2 von 3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-837135-p0002-9

TM 1120

Theodor Mahlmann
25. Febr. 2008
Burgdorf I. CH
*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-837135-p0003-5

TENTAMEN THEOLOGIÆ DOGMATICÆ METHODO SCIENTIFICA PERTRACTATÆ.

TOMUS II.

1747.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-837135-p0005-6

)o(

PRÆFATIO.

I. SEcundus hicce Tomus complectitur ex iis, quæ hominem ſpectant: omnia enim, quæ revelatio tanquam principium cognoſcendi in Theologia tradit, ad duo generalia revocari poſſunt Capita, nimirùm conſiderationem vel Dei [quo de præf. To. I. §. 28. ſeq. & actum Locô III. IV. & V.] vel hominis, ſeu docet nos cognoſcere aut Deum aut nosmet ipſos.

II. Omnia verò, quæ Scriptura habet quoad hominem, ad quatuor ipſius reduci poſſunt *ſtatus*, ut ſcil. fit 1. ſtatus primævus, in quo homo primus à Deo poſitus fuit, qui dicitur ſtatus *inſtitutus*, ſeu *naturæ inſtitutæ*, aliâs & *ſtatus innocentiæ*; 2. ſtatus, in quem homo prolapſus per peccatum, & in quo omnes naſcimur, qui audit ſtatus *deſtitutus*, *ſeu naturæ corruptæ*, aliâs *ſtatus peccati*; 3. ille, in quem quidam per Liberatorem traducuntur, dictus ſtatus *reſtitutus*, ſeu *naturæ reſtitutæ*, vel communiter *ſtatus gratiæ*; 4. ſtatus futurus

post hanc vitam, consummatæ felicitatis, qui appellatur *præstitutus*, aliâs *status gloriæ*; conf. & (sch. §. 210.).

III. Status gratiæ autem sub se complectitur considerationem tum Auctoris ejus, tum bonorum, tum repræsentationis horum per signa externa, tum eorum conjunctim, qui Auctorem statûs illius seu Liberatorem vel ore vel & corde profitentur, ac bonorum repræsentatorum participes esse volunt, ut inde Loci VIII. IX. X. & XI. opusculi hujus statum gratiæ exhibeant; status verò gloriæ involvit considerationem & oppositi, dicti, *statûs damnationis*, & eorum, quæ utrumque præcedunt, mortis nimirum temporalis, judicii post eam particularis, resurrectionis mortuorum ac judicii ultimi; atque hæc omnia juxta partitionem præf. To. I. (No. 21.).

IV. Omnia illa adeò, quæ ùt circa hominem consideranda proponuntur, hinc quæ in seq. Theologiæ Locis exhibentur, pertinent ad articulos puros: siquidem nonnisi per revelationem innotescunt; possent equidem & proponi sub forma considerationis operum Dei [quippe quod arbitrarium] unde uti Opera illa Dei, de quibus Locô V. ac etiam

etiam ex parte IV., appellantur *Opera naturæ*, ita è contrà hæcce, quæ circa hominis ſtatus verſantur, ſeu proùt eum Deus è miſeria eripere vult, *Opera gratiæ*; interim convenientius eſt ea proponere ſub forma rerum, quæ hominem ſpectant: commodius tunc tota Theologia ſe dividit; cùm quædam ex iis, de quibus Locô IV., inter Opera naturæ referri non poſſint, uti prædeſtinatio, prætereà ex iis, quæ conſiderationem hominis exhibent, uti ſtatus peccati, quònam commodè referri debeant, non liqueat. Ememoratis materiis, quæ ad Tomum huncce II. conſtituendum commodè ordinatæ ſunt, erunt, ſtatus inſtitutus, deſtitutus, cum dimidia parte materiæ de ſtatu reſtituto, adeòque Loci, VI. VII. VIII. & IX.

V. De *ſtatu innocentiæ* quià primus fuit, ideò & primò agendum eſt, cujus natura benè noſcenda, ut, quidnam tum in ſtatu deſtituto per peccatum amiſerimus, tum in ſtatu gratiæ per Liberatorem recuperare debeamus, diſcatur, licét Scriptura ex ipſo ſtatu gratiæ illum innocentiæ in quibusdam noſcendum exhibeat. Quæ verò circa hominem in hocce ſtatu noſcendum conſideranda ſe offerunt, vel ad ſtatum ejus

internum, vel externum vel & relationem ad Deum commodè reduci posse mihi videntur; quod ad statum internum, ibi, dum in memoriam revocantur, quæ Locô III. & V. posita de fine, quem Deus intendit in operibus suis, & ob quem creaturas rationales condere debuit, inde, ut homo Deum non solùm glorificare posset, verùm actu quoque glorificaret, idoneus reddendus fuit, atque sic mens ejus [siquidem ad eam pertinet τὸ glorificare, cùm id fiat per actus Intellectûs voluntatisque] in statu perfectionis, qualis capax, licèt mutabilis, creanda fuit, Intellectui ideò cognitio Creatoris, & eorum, quæ inde fluunt, concreanda, sicuti voluntati sanctitas, facultatibus inferioribus cum superioribus iis harmonia; quia etiam ad glorificationem quàm maximè pertinet, si perfectiones alterius, quas mente quis concipit, aliis quoque enarrare valeat, quod non aliter nisi per sonos articulatos ore prolatos fieri potest, ideò facultate tales proferendi, ac inde res per se subsistentes & accidentia relationesque indicandi, ideas item vel conjungendi vel separandi homo instruendus fuit. Creaturam rationalem autem nonnisi glorificationi Creatoris intentam non aliô

aliô Hicce instruere potuit corpore nisi omnis labis experte [vi bonitatis suæ] ac ita morbis mortique non obnoxiô.

VI. Perfectionibus illis mentis cùm Deus possideat analogas, licèt gradu infinities superiores, ideò ob dotes illas homo Deo aliquâtenus erat similis, ut hinc *imaginem Dei* constituerint, licèt enim & per spiritualitatem ac vim repræsentativam mens similitudinem habeat cum Deo tamen id ad imaginem Dei non aliter pertinebat, nisi quòd imago hæc illud præsupposuerit, ac aliâs locum habere non potuerit, ut essentialia imaginis Divinæ constituerint perfectiones mentis, quas ideò Scriptura titulô imaginis Divinæ honorat. Atque sic & homo perfectiones proprias intuens non poterat non voluptate affici maximâ, tantò magis quòd & status ejus externus admodum fuerit felix, exemtus omnibus, quæ hodiedum eum turbant, ac vitam hominis funestam faciunt, & quòd post felicitatem in his terris fruendam adhuc aliam majorem in cœlis expectaverit vi cognitionis concreatæ, ac præconceperit.

VII. Quum verò eô ipsô, quòd Deus hominem creaverit eum in finem, ut ab Ipso glorificaretur, & propterea dotibus

cum ornaverit singularibus, non potuerit non ab illo postulare determinationem actionum juxta talem regulam; quæ glorificationem illam secum ferat, injungat officia illa æternæ obligationis, è relatione Creatorem inter ac creaturam resultantia, Sapientiæ prætereà Ejus conveniens fuerit tale iis adjungere mandatum, loco & circumstantiis, in quibus homo positus, accommodatum, ideò utrique illi ut homo se confirmaret, ei incumbebat, ac ad illud se fortiter adstringi obligarique cognoscebat per Dominium Dei supereminens, beneficiaque ab Eo accepta maxima, atque ut ab una parte pœnam mortis nomine annuntiatam effugeret, ab altera verò felicitatem illam majorem præconceptam aliquando reportaret, ut tam pœna quàm remuneratio ipsi fuerit obversata, quam utramque Deus non potuit non statuere vi Sapientiæ suæ, cui rationes ab una & altera parte observabantur, quæ id postulabant. Ut verò homo felicitatem eò magis præconciperet ac reportare studeret, per *signa* quædam externa ut repræsentaretur, conveniens itidem erat.

VIII Atque sic, dum hîc perspicitur Deus cum homine agens, & ei tam pro-

promissionem sub certa conditione quàm & minas proponens, simùl reapse perspicitur *fœdus*, quod adeò naturâ Dei & hominis nitebatur, etiam per naturam cognoscebatur, hominique felicitatem promittebat maximam, obtinendam continuô operum ad glorificationem Dei tendentium exercitiô, unde fœdus *naturæ* & *operum* rectè dicendum, quod ideò homo primus non solùm sibi sed & posteris utile judicabat, hinc pro se & posteris acceptabat; quæ acceptatio pro posteris fundamentum sternit imputationi transgressionis fœderis seu peccati primi, cujus primus homo reus, itidem contra posteros ejus instituendæ. Cum quibus autem in hocce Loco præcipuè res est, Socinian. sunt, & qui in castra eorum transeunt.

IX. In statu illo felici num primus homo perstiterit, non potest non quæri, cujus contrarium cùm evenerit, id, tanquam res facti, è Scriptura sciscendum, nec non quid inde fuerit insecutum, atque sic sequitur consideratio statûs deplorandi, *destituti*, qui materiam continet Loci VII. in eo ostendendum, quòt quantaque mala homini primo ac posteris è peccato supervenerint & quomodo, quòd interim mala quædam in

præsenti statu sint utilia, ut ideò liberatio desideretur, opteturque, & qualis ac à quibusnam malis. Ad *primum peccatum* per quasnam rationes externas & internas homo, qui tamen ornatus imagine Divinâ, induci potuerit, atque sic quomodo possibile fuerit, juxta regulas psycholog. ostendendum fuit, nec non an & quomodo providentia Divina circa id versari potuerit; & cùm magnitudinem uti boni sic & mali noscere semper interfit, ideò quòd fuerit pergrave involveritque violationem Legis de amore Dei consequenter mandati non solùm positivi verùm & officiorum immutabilium, indicari debuit, item quòd & quomodo per nexum alia inde fuerint secuta peccata ac tandem servitus peccati [& ipsa pœnæ rationem induens], monendum erat, quæ servitus cùm & *mors* audiat *spiritualis* tritâ appellatione, notio ejus distinctè fuit evolvenda. Inde porro per se sequitur, quòd protoplasti amiserint imaginem Divinam, & cùm transgressionem Legis sequi debeat ac sequatur, quod Legislator cum ea connexum voluit, inde *pœnæ* peccatum secutæ consideratio se offert, mortis nomine indigitatæ, sub qua quid intelligatur, indicandum fuit,

fuit, quò ita peccatorum gravitas Liberatoris item neceſſitas ac beneficentia agnoſci poſſit.

X. Dum jam primus homo per peccatum primum fœdus operum fregit, ac in fœdere hocce Caput fuit repræſentativum poſterorum, inde, quòd & pro hiſce fregerit, deducendum fuit: ſiquidem conſenſu interpretandô conſenſiſſe rectè cenſeri poſſunt, ac ita *imputatio peccati primi* Adamici *poſteris* ipſius omnino fundamentum habet, aliâs autem nec juſtè fieri nec defendi poſſet: cùm careret ratione objectivâ, hâc verò deficiente cum jure quid fieri nequit, hinc nec ad voluntatem Dei confugi tunc poteſt, eò minùs, quòd imputatio ſit odioſa, dilucidiùs ideò, quàm aliâs fit, ad ductum Virorum Cl. CANZII in *jurispr. Th.* & CARPOVII tr. *de imput.* è natura conſenſûs, ſocietatis, Capitis repræſentativi, imputatio illa deducenda ac contra adverſarios adſtruenda fuit, unde ſimùl reſponſio ſufficiens ſe dabat ad quæſtionem, cur non & cætera Adami peccata poſteris imputentur. Quod ſi jam imputatio peccati, tum etiam conſequens ejus ſeu *pœna* reſpectu *poſterorum*: hi & quippe non potuerunt participes fieri fructuum

ctuum ex imagine Dei resultantium vel promissorum fœderis.

XI. Protoplastô per peccatum corruptô posteri non potuerunt non corrupti nasci: radice namque infectâ nil nisi infectum inde succrescit, atque sic ad *propagationem peccati* considerandam ordo ducebat; per præformationem nempe corporis in priore cui jam anima [licèt gradu adhuc nonnisi sensitivô gaudens] sociata, benè explicatur, quomodo posteri jam in protoplasto corrupti fuerint, ut positiones Leibnitianæ percommodè occurrant, quæ nec justitiæ Dei præjudicium nec propagationi animæ per traducem locum relinquunt; *corruptio* hæcce dum ita possibilis invenitur, ita quòd actualiter omnibus inhæreat, ostendit experientia per considerationem facultatum animæ superiorum & inferiorum, ubi utiliter psychologiæ advocantur principia. Sine natura autem corruptionis illius & peccati cognita cùm in perplexitates incidatur, interfuit dicere, in quonam *peccatum originale* consistat, quòd non sit substantiale quid, nec de essentia hominis, & quòd præterea, licèt, quid non deliberationem secum ferat, tamen ideò non desinat esse peccatum.

XII.

XII. Mentis dispositio cùm non possit non se ostendere occasione ferente actionibus internis & externis, ad *peccatorum actualium* considerationem ut pergatur, proximum erat; hinc ut ea noscantur, qualem actiones liberæ debeant habere convenientiam, quid sit earum *rectitudo*, quomodo, dum ab hac receditur, *culpam* contrahant, quid ideò hæc, quotuplicia item sint peccata, definiendum explicandumque fuit. Dum & peccatorum exercitium servitutem inducit, per quam tantò magis imago Divina extinguitur, num ideo & quidnam de imaginis hujus restet donis, num servitus illa omnem tollat libertatem, quid sibi velit *liberum*, quid *servum arbitrium*, definire opùs erat: cùm sæpè, ubi quæstio, num liberum arbitrium homo perdiderit, quali item impotentiâ bonum agendi laboret, litigetur definitionum neglectu. Post malum actionis considerandum erat, quod Deus cum eo vel naturali vel arbitrariô interim sapienti nexu connexum voluit, malum passionis, unde quòd mala naturaliter evenire & tamen *pœnæ peccati* esse [Deô ita præordinante, cursum naturæ, dispositionemque corporis humani accommodante statui hominis morali prævisô, in-

indicandum fuit: cùm multum interſit, quomodo ſeu ſub quali forma mala phyſica reſpiciantur, hinc quòd ſimùl in ſtatu præſenti homini ſint utilia ac remedia peccati, moneri oportuit; quoad pœnam maximam, ſeu æternam, quidnam reſpectu infantum modeſte ſtatuendum ſit, monitum: nil præterea ut moneretur hôcce Locô, ſupererat, niſi mala actionis & paſſionis conſtituere *miſeriam* hominis; in eo autem res præcipuè eſt cum Socinian., & qui in caſtra eorum tranſeunt.

XIII: Atque ita dum malorum plauſtris homo premitur, præſentibus & futuris, ea ſeriò conſiderans non poteſt non anxius eſſe, eorum ut immunis fieri poſſit; cùm verò Deus tum ob juſtitiam ſuam, tum peccatorum naturam [princip. in anteced. poſita] non poſſit immunitatem tribuere, niſi alius locô peccatoris tantum ſuſcipiat pœnarum, quantum hic debebat, inde qualibus, qui ſe in pœnis ſubeundis vicarium ſubſtituere vellet, debeat gaudere requiſitis, unum ex altero deduci potuit: inde enim neceſſitas naturarum Divinæ humanæque, unitatis interim perſonæ, ἀναμαρτησίας, item quòd voluntariò ſe ſubſtituere debuerit &c. quum verò ea omnia

nia non procederent, si *substitutio vicaria* perfectionibus Dei moralibus contrariaretur, ideo possibilitatem ejus talem ostendere multum intererat. Stabiliuntur autem requisita illa & inde, quòd homini non sufficiat simpliciter immunitas à malo, verùm optetur etiam actualis boni possessio, cujus ideo non solùm impetratio sed & applicatio desideratur, hinc ejus, qui ea omnia in se suscipere voluit, ac *Liberator* audit, status duplex. Is porro quoniam necessarius ob peccatum hujusque sequelas, in anteced. autem jam monitum, quædam, quæ tamen peccati sequelæ, in statu præsenti esse utilia, inde quibusnam peccati sequelis ut Liberator occurreret, quòd expectandum fuerit, deduci poterat, Intellectûs scil. voluntatisque morbum & hinc oriens demeritum pœnæ ut tolleret, ac ideò Doctoris, Regis & Sacerdotis Judicem placantis officia sustineret. Atque qui ea omnia præstare deberet, Scriptura prænuntiavit, characteribus loci, temporis, quibus compararet, aliisque, *externis* designavit.

XIV. Requisitis illis omnibus simùl cùm gaudeat Jes. Naz. [quod verò dein per inductionem probandum], Eum verum esse Liberatorem sequitur; quià

jam

jam ad susceptionem pœnæ opùs erat naturâ humanâ, inde quomodo eam acceperit, è quanam oriundus fuerit prosapia &c. contra Judæos commemorare ordo ferebat, quum verò simùl fuerit Deus [juxta dicta Locô III.] nec tamen nisi unus, quomodo naturæ eæ secum invicem fuerint unitæ, adeoque ad ea, quæ *unionem hypostaticam* spectant, considerandæ, series ducebat. Susceptio illa pœnarum cùm faciat *statum humilem*, qui per gradus fiebat, ejus consideratio sequebatur, qui verò non suffecisset: siquidem & applicatio felicitatis in *statu glorioso* facienda requirebatur, hic considerandus erat, qui incepit per *resurrectionem* Jesu *à mortuis*, atque hæc cùm sit documentum clarum Divinæ Ipsius missionis, ut prolixius tractaretur, ac vulgò fit, & fortiter adstrueretur conveniens videbatur, ubi præstantissimus DITTONI tractatus prorsus in subsidium advocatus.

XV. Liberator porro dum, ut in anteced. monitum, debuit per triplex officium subvenire indigentiæ hominis, ab Intellectu autem emendando incipiendum, quod per doctrinam fit, inde ad Jesum quâ Doctorem seu in *Prophetico* suo *munere* considerandum ordo ducebat,

bat; ac quæ edocuit, juxta naturalem veritatum ordinem exhibentur, simul non omittitur disquisitio, quare se Messiam esse taceri voluerit, ubi LOCKII cogitata oportuna advocata. Demeritum verò pœnæ cùm gravissimum sit, quô peccator premitur, ac ad id tollendum Jesum pœnam suscipere hinc *munus sacerdotale* sustinere oportuerit, ad hujus considerationem ideo devenièbatur; quæ materia equidem ad statum Ejus humilem locari potuisset: cùm hicce status constiterit in susceptione pœnæ, interim quia communiter officia Christi penes se invicem locantur, & prolixitas materiæ postulat, ut peculiariter tractetur, ideò & hôcce modô instituere visum, tantò magis quòd pars officii Sacerdotalis altera, scil. intercessio ad statum humilem non pertineat. Hæcce materia autem, quòd centrum constituat Theologiæ revelatæ, facilè agnoscitur, ideo & prolixius tractata reliquis, in subsidium advocatô præstantissimô Celebratiss. GROTII tract. *de satisfact.*, ubi, quæ hancce spectant materiam, magnâ eruditione ac judiciô è Scriptoribus antiquis, foro ICtorum ac Theologia Christiana, orthodoxe [paucis exceptis] contra Socinum adstruxit,

cùm è contrà in Commentar. in N. T. paria non protulerit; unde nuperus tract. ejus editor LANGIUS eum encomiis ornat singularibus: siquidem & præter GROTIUM vix alius Socino confutando par fuisset, ut mirari subeat, Theologos tractat. illum non plùs in auxilium advocasse; non pauca etiam ad rem facientia desumta ex OUTRAMO *de sacrific.*

XVI. In illa verò materia porro opùs erat dare notiones distinctas terminorum [præter illos *liberationis*, *satisfactionis* de quibus in anteced.] *remissionis*, *condonationis*, *propitiationis*, *expiationis*, *reconciliationis*; porro memorare, cur & quomodo Christus fuerit ac dici possit *Sacerdos*, scil. ob voluntariam sui-ipsius traditionem in mortem, præcipuè ostendere [ad ductum Cl. CANZII] quomodo Christi passiones fuerint *æquivalentes:* siquidem inde demum sibi constat emtio, redemtio, satisfactio, expiatio, ac quomodo locari debeant, unaque ex altera deduci, liquidum fit. Christus autem cùm non solùm passiones vicarias sed & actiones tales seu *obedientiam activam* præstiterit, inde hæc considerandа veniebat, è qua demum reconciliatio, cujus notio à placatione distincta;

distincta; pro quibusnam verò utraque obedientia à Christo sit præstita, num pro omnibus nec ne, non poterat non quæri, ubi, quòd controversia inter Protestantes de redemtione universali non sit realis, memoratum. At dum Liberator redemtionem applicare quoque debuit, inde quomodo nunc in statu glorioso illam præstitam suis in bonum cedere faciat per *intercessionem* [ad modum S. Sacerdotis, hinc ex antiq. heb. illustrandam] considerandum veniebat. Per redemtionem etiam Christus jus in quosdam acquisivit ac imperium, vi & pacti, ut Dominus & *Rex* inde fuerit factus, quod cum reliquis muneribus facit munus Ipsius *mediatorium*. Patet autem, multæ huncce Locum ingredi Juridica: quid enim aliud sunt, liberatio, satisfactio, emtio, redemtio, Creditor, acceptilatio? quibus elucidandis advocatus HUBERUS, præter quem, qui res Juridicas Theologiam ingredientes ita explanaverit, non occurrit, in *exercit. Jurid. Theolog.* &c. etiam Philologica non pauca afferri possunt tùm aliâs, tum contra Judæos, cum quibus ac præcipuè Socinian. in hocce Loco res est, contra quos & loca Scripturæ, cùm agatur de centro Theologiæ, vindicanda fuêre.

XVII. Ita ergo dum de *imputatione ſalutis* ac aliquid de ejus applicatione Locô VIII. actum, quomodo nunc *applicatio* illius fiat ratione effectûs inde in homine reſultantis, Locô IX. videndum. Requiritur nempe, ut liberatio à pœna ac jus vitæ æternæ, quæ Chriſtus eſt meritus, peccatori quoque in bonum cedant, ſeu ut actu liberetur à pœna & jure vitæ donetur; ea ideo, per quæ Chriſtus hæc eſt meritus, debent haberi, ac ſi homo ipſe egiſſet, conſequenter ipſius fieri moraliter propria, quod nonniſi per imputationem fit; imputatio verò locum habere nequit niſi per & ob conſenſum ſive in factum ipſum ſive in ejus imputationem, conſenſus autem hicce non datur niſi per fidem, & quod è fide reſultat, determinationem actionum liberarum ei convenienter: ad conſenſum quippe actu animi hinc Intellectûs voluntatisque eſt opùs, talis verò fidei ineſt; Deus ideo & Chriſtus non aliter poſſunt quàm fidem ſanctitatemque poſtulare ab homine, qui fructuum obedientiæ Hujus particeps eſſe vult, ut hoſce promittant ſub conditione, ubi verò hoc, ibi *fœdus*, cujus adeò fundamentum ſatisfactio Chriſti convenienter pacto & Teſta-

mento

mento æterno gratiæ præstita, quod ideò prius adhuc est fundamentum, & fœdus illud hujus executio ac *gratiæ* rectè appellandum; sive autem dicatur, postulari fidem sanctitatemque, sive resipiscentiam & fidem, res ipsa eadem manet; posset & dici, postulari aliquid respectu præteriti, scil. resipiscentiam, aliquid respectu præsentis, scil. fidem, & aliquid respectu futuri, nimirùm sanctitatem.

XVIII. Necessitate fidei ergo ita ostensâ, quæritur, quomodo in homine efficiatur, si jam consideretur, tum quid illa involvat, tum dispositio hominis naturalis [qua de Lôcô VII.], mox perspicitur, quòd vires hominis naturales transcendat, à Deo ideo & supernaturaliter efficienda, interim ita, ut superflua miracula evitet; fides verò, quia actus Intellectûs voluntatisque secum fert, propterea propositio doctrinæ requiritur: quippe & merita Christi, ob quorum imputationem fide opùs, nonnisi per doctrinam revelatam innotescunt, illaque dum homini offeruntur acceptanda, exurgit *vocatio*, quâ si homo perducitur ad actu consensum præbendum, inde fit *efficax*. Perspicitur autem, quòd juxta seriem cogitationum hôccè

Locô primô se considerandam offerat imputatio meritorum Christi, secundò medium, per quod imputari possunt, scil. fides, cum eo, quod inde externè se ostendit, nimirùm sanctitate, & demum post modus, quô fides efficitur, scil. vocatio; interim si non juxta modum & ordinem cognoscendi, verùm juxta ordinem, quô mutationes in homine fiunt, hæcce considerentur, vocatio præcedit, fides dein exurgit, ac sequitur imputatio, seu justificatio, quô & ordine nos, quia & consuetus, materias hôcce Locô IX. disponimus.

XIX. Ibi autem perplexitates se produnt: nimirùm, quomodo, si operatio requiratur supernaturalis, libertas hominis in salvo maneat, quomodo adhortationes usum habere possint, quomodo iis, qui non convertuntur, culpa hujus possit imputari &c. difficultatum verò memoratarum fons, quòd natura libertatis tum in genere tum in statu gratiæ non benè concipiatur, quòd non benè ponatur natura concursus Divini, hujusque cum actionibus liberis concordia, porro necessarium & contingens, item non attendatur, si Intellectus supernaturaliter fuerit emendatus, reliqua inde sponte sequi;

unde,

unde, quòd principiorum Philosophiæ requiratur cognitio, perspicitur. Iis sic perstructis benè non solùm conciliari potest *gratiæ* efficacia cum libertate, verùm & plura ùt corollaria inde deduci, v. g. quòd gratia hominem præveniat, quòd in conversionis actu homo passivè se habeat, quòd vocatio fiat efficax non per & ob voluntatis consensum, quòd interim, cùm mediis opùs sit externis, qui non convertuntur, propriâ culpâ non convertantur; liberè, dum nolunt, qui verò convertuntur, cedant superpondio rationum *per illuminationem* repræsentatarum, ut nullum libertati oriatur præjudicium; atque sic inter Pelagianissimi & eorum, qui necessitatem inducunt libertati inimicam, syrtes tutò prætervehitur.

XX. Alia autem hîc adhuc attendenda, nimirùm cùm multum intersit, ut *natura* à gratia tutò secernatur, ideo *gradus* illius diversos distinctè ponere oportebat, ac ubinam gratia incipiat: aliâs confusis notionibus non solùm invehitur in naturam, corruptâ ab emendata non distinctâ, verùm & gratiæ quid adscribitur, quod tamen ejus non est, unde error in cognitione sui - ipsius. Porro ut sciatur, num unum vel plura

fidem præcedant beneficia, quæ vulgò plura ponuntur, nec tamen quomodo differant, ostenditur, vocatio, regeneratio, conversio, quòd unum idemque sint sub diversis nominibus, posui. Cùm etiam in hacce materia Protestantes dissentire planè credantur, tamen ope principiorum Philosophiæ primæ & concordiæ in præsuppositis (No. XIX.) consensum eorum distinctè perspici posui, qui ipsorum consensus & memoratus quoad universalitatem vocationis. Cæterum materiam de operatione gratiæ ii, qui cognitioni jungunt pietatem, non in materiam litium verùm medium profectûs in donis gratiæ adhibebunt, ut absint ab eo, quod hac in re exprobrat BRUYERIUS *Caract. de ce siécle To.* 2. p. m. 109. „ le Theologien ne songe pas „ tant à profiter de la grace, qu'à en „ connoître les differens effets; est-ce „ là l'usage, que nous devrions faire de „ la science?

XXI. Quòd si jam in vocatione efficaci vis animæ fuerit in contrarium versa versùs veram felicitatem, quæ per redemtionem Christi impetrata, inde exoritur conatus felicitatem eam in Christo quærendi, atque sic confugitur ad Christum, in quo consistit *fides*, quæ

sive

sive per conatum illum sive per refugium ad Christum definiatur, perinde est, cùm refugium [terminus Theologis receptus] dicat conatum. Per se autem determinatur, quòd, dum Christus unicus est Salvator, porro omnia, quæ in Ipso sunt, ac ab Eo præstita, necessaria fuerunt ad redemtionem, ideo in Eo *solo ac toto* felicitas quæratur; interim sufficit dicere, quòd fides sit conatus animi veram felicitatem in Christo quærendi, cùm, ubi dicitur, *in Christo*, indigitetur, quòd unicus sit, ac indigitetur totus, quod idem de refugio ad Illum valet.

XXII. Fides igitur quòd incipiat à desiderio Christi vel fructus meritorum Ipsius impetrandi, item oriatur ex indigentiæ propriæ seu miseriæ sensu vivido [per illuminationem excitato] clarum est, unde ni illa noscantur, ac *assensu* firmô teneantur, nulla fidei genesis; atque inde non solùm, quales animi affectus fidem præcedere debeant [psychолog. advocatâ] sed & qualis dispositio Intellectûs prærequiratur, hinc quòd *cognitio*, & qualis ac quarumnam rerum, per se colligitur. Etiam cùm conatus ille vel refugium constituat fidem hinc primum hujus conceptum, inde per se

liquet, num in *fiducia* possit constitui actus fidei essentialis, dummodo notio fiduciæ distincte teneatur, nimirùm non aliô sensu fides [in genere nempe talem sine respectu ad gradus intelligimus] in ea potest constitui, nisi quòd meritum Christi pro sufficientissimo agnoscatur, & Christus pro perfecto Salvatore. Assensus autem ille ac studium felicitatem quærendi ita exoriens gignit conatum actiones liberas ad gloriam Dei in Christo determinandi: siquidem felicitas ea in Christo invenitur, & in illa se exhibuit Salvatorem perfectissimum, uti & Deus perfectiones ostendit, ex agnitione verò perfectionum alterius glorificatio, quam Deo etiam obligatione deberi æternâ præterea tutissimum veræ fidei signum esse assensus ille agnoscit. Actus illi, qui in fide distinguuntur, dum plus aut minus secum ferre possunt, inde *gradus* fidei exoriuntur; ob eosdem & actus, dum ab uno hic ab altero ille magis respicitur, fit, ut fides diversimodè exprimatur, interim reliqui actus non negentur: siquidem unus per alterum determinatur.

XXIII. Cùm fides felicitatem quærat in Christo, quærit ea, quæ Christus impetravit, liberationem à pœna cum jure

re vitæ æternæ ob Ejus obedientiam; id jam dicitur *justificatio*, igitur hæc est felicitas, quam fides quærit, ejus forma ideo in imputatione obedientiæ vel factorum Christi consistit [unde ob justificationem fidei illa necessitas] (No. XVII.) ac est impetratio promissorum fœderis gratiæ. Liberatio autem à pœna à Deo Judice concedi nequit, etsi homo in posterum vitam etiam perfectè emendaret: siquidem justitia illius semper ob præterita delicta compensationem postulat, ut per Opera homo non possit justificari, verùm per fidem, quâtenus in compensationem delictorum propriorum Judici à Sponsore factam consensum præbet, hinc talem, quæ studium Judicem huncce Sponsoremque glorificandi secum ferat: hæc enim demum verè consensum præbet, ac adeò comitata sit resipiscentiâ, studiô vitæ novæ &c. unde & homo conscius fit justificationis suæ, ac exurgit justificatio *secunda*; ut sanctificatio, etsi justificatione in se posterior, tamen sensu prior sit. E dictis facilè quoque perspicitur, quomodo & obedientia Christi & fides in justificatione se habeat, altera scil. ùt causa meritoria, altera verò ùt medium vel instrumentum justificationis.

XXIV. Justificationem autem illam quum Socin. ferre nolint, ideo, quòd cum perfectionibus Divinis concordet, monendum fuit, id quod jam ostensum per substitutionis vicariæ cum illis concordiam, quippe illa huic ex altera parte respondet. Justificatio etiam cùm dicat absolutionem à pœna, ut sit, qui absolvat, qui absolvantur & ob quem &c. inde *processus judicialis* in illa invenitur; nec non cùm adjudicatio juris ad vitam æternam ferat hæreditatem, inde *adoptionis* consideratio exurgit. Doctrina verò hæcce quòd proximè connexa sit cum Sacerdotio Christi, per se patet, unde sicuti hoc centrum est Theologiæ revelatæ, ita quòd doctrina illa momentosissima sit, patet, in qua ideo cum Socinian. præcipuè, quia Sacerdotium Christi evertunt, res est; nec tamen prorsus logomachiis cum aliis adversariis exemta; sanctitas autem doctrinæ hujus contra adversarios ostendenda fuit è fructibus ejus saluberrimis.

XXV. Atque ita dum felicitas illa in Christo seu justificatio impetratur mediante fide, quæ conatum Deum ob Christum glorificandi secum fert, & ipsa illa felicitas ad gratitudinem impellit, quæ *sanctitas* audit, hæc considerandа

seque-

sequebatur, quæ benè secernenda ab alio actionum honestarum studio, quod nondum de vera testatur fide, ut ritè natura semper à gratia discriminetur; unde, num, aliæ adhuc præ oculis habendæ obligationes, inquirere pronum erat, quomodo inde actio perfectior fiat aut minus perfecta, hinc &, quid de actionibus gentilium ac irregenitorum, ubi cum Lege conveniebant, judicandum sit, cùm ita pretium diversis actionibus diversum, ùt convenit, statui possit. Studium jam mentis internum externè non potest non se ostendere, unde actiones externæ, sanctæ, quæ audiunt *Opera bona*, quorum & requisita facilè se exhibent; uti verò actiones illæ, quæ plures præ oculis habent obligationes, gradum perfectionis diversum obtinent, ita & hæ, quæ sanctæ, ac supremam nonnisi obligationem sibi præfigunt, scil. gloriam Dei in Christo, diversum talem nanciscuntur gradum, ac ex earum tanquam partium consensu & perfectione exurgeret perfectio sanctitatis tanquam totius, quæ autem *imperfecta* est, quia deficit & numerô & intensione partium. Quæstio verò de possibili Legis impletione logomachiam fert.

XXVI. *Necessitas* jam *sanctitatis* satis

se

se ostendit, dum aliâs fides non est viva, hinc sine illa justificatio non impetratur, quâpropter ut promoveri per *media*, è contrà *impedimentis* ejus obviam iri possit, videndum; porro obligatio ad illam cognoscitur, quia glorificatio Dei debet esse finis hominis primarius, & glorificatio Ejus in Christo primarius Christianorum, uti & est Religionis Christianæ scopus primarius, quæ quippe ad praxin tota tendit, ut demum tales sint veré Christiani, membra Christi, siquidem reliqui fide verâ Christum non amplectuntur; juxta sanctitatem & homines olim judicabuntur, non verò quid crediderint conformiter Ecclesiæ, in qua educati; ut longè meliùs de Ecclesia fuisset actum, si, qui ei præfuerunt, locô tòt funestarum litium sanctitatis studium excolere ac promovere sibi sumsissent. Cæterum in Theologia dogmat. generalia nonnisi quoad sanctitatem afferre locus, specialia pertinent ad Theologiam moralem.

XXVII. Supereſt, ut homo felicitatis per Christum impetratæ conscius sit, & eam non amittat, hinc conscientia ac constantia salutis, quæ unô nomine *obsignatio* dicitur, ad verum requiritur solatium; signis ideo opùs est; ordine

hinc

hinc retrogadô, ab affectis ad causas concludendo, ab ultimo effectu, qui facillimè sentitur [dum per varia signa se ostendit] sanctitate nimirùm, argumentatio fit ad fidem, inde ad justificationem, ac inde ad salutem; versantur hæc circa cognitionem sui - ipsius quoad statum gratiæ, uti ea, de quibus Locô VII. circa cognitionem sui quoad peccata & miseriam: uti verò tùm sæpè nimis præclarè tum & aliquando nimis tenuiter homines de se sentiunt, ideò cautelæ quædam indicandæ fuêre. Qui jam beneficiorum fœderis gratiæ participes facti, in Testamento gratiæ hæredes scripti, fidem vivam, sollicitudinem in salute operanda nunquam non ostendunt, ii & *perseverant* Deo custodiente, Christô pro iis intercedente. Atque hæc est obsignatio *interna*.

XXVIII. Ita ergo habetur status gratiæ, ac quænam per eum in homine fiant mutationes, alia enim, quæ itidem ad statum illum pertinent, & de quibus Locô X. XI. mutationem propriè in homine non faciunt. Summa statûs illius est, ut homo felicitatis in Christo particeps fiat; unde, quòt sint beneficia fœderis gratiæ, determinatur: requiritur nimirùm participatio, medium ad par-

participationem, actus medium id producendi, testificatio medii, ac tandem conscientia & constantia horum; participatio felicitatis in Christo & justificatio, medium participationis est fides, actus medium id producendi vocatio efficax, testificatio externa est sanctitas, quorum omnium conscientia & constantia facit obsignationem, præter quæ plura dari nequeunt, essentque eadem sub diversis nominibus, quod & aliunde adhuc ostenditur. Status illæ gratiæ exemplum horum beneficiorum sustinens, juxta dispensationem consideratus, est ac audit regnum gratiæ, quod adeò non differt à fœdere gratiæ, utrumque non est nisi executio Testamenti gratiæ, & restitutionem imaginis Divinæ secum fert.

XXIX. Atque hîc finis habetur Tomi II. ubi quoad dogmatica Lectorem non inventurum spero, quod jure reprehendi possit, dummodo non malè mentem capiat, uti quoad nonnulla contigit Auctori linguâ vernaculâ Tomum I. recensenti. Nil restat, nisi Deum ut rogemus humiliter, ipsa hæc, quæ circa statum peccati & gratiæ considerandum versantur, faciat conducere, ut illum horreamus è contrà Jesum fontem gratiæ amplectamur fide, quæ Ipsum ac Deum actionibus sanctis glorificare impellat, sic fiat!

LO-

LOCUS VI.

DE STATU HOMINIS INSTITUTO, SEU INNOCENTIÆ.

672. *Deus non potuit non homini tales dare facultates, quibus ad Eum ut Creatorem Conservatoremque glorificandum aptus esset:* etenim gloria est supremus Dei finis, uti docet & Ratio (§. 49.), & revelatio (§. 271.), eum in finem creavit ut reliqua omnia (§. 486.), ita & hominem (§. 512.), ac omnia conservat (§. 567.), cum ergo finem hunc voluerit Deus, etiam media ad eum ducentia adhibere debuit vi Sapientiæ suæ (§. 267.), consequenter cum homo debuerit Creatorem Conservatoremque suum glorificare, Deusque hominem voluerit facere instrumentum gloriæ suæ (§. 512.), talibus ideò ipsum donare oportuit facultatibus, quæ eum ad Deum glorificandum aptum redderent. *Quales Deus homini dare debuerit facultates.*

Hactenus ferè de articulis mixtis (§. 188.) actum fuit [exceptis iis, quæ de prædestinatione, Deo ὑποστατικῶς spectato dicta] nunc autem & in seq. fere agetur de articulis puris (ib.).

Glorificare Deum quid sit.

673. *Glorificare Deum* est tùm admirabiles Ipsius perfectiones agnoscere, tùm ex perfectionibus hisce agnitis motiva desumere aliquid vel agendi, vel omittendi, quod in viribus nostris situm est.

Per prius judicium fertur, quòd Deus sit perfectissimus, per posterius judicium hoc influit, in voluntatem, cùm motivum suppeditet vel volendi vel aversandi quid (*Met.* §. 495.), adeòque cognitio tùm fit viva (*Mor.* §. 169.), prius illud igitur pertinet ad Intellectum (*Met.* §. 287.).

Est idem quod Eum honorare & colere.

674. Glorificare Deum adeò idem est, quod Eum honorare & colere (§. 52. 53.), per princip. moral. (*Mor.* §. 590. 652. 657.).

Inter *honorem* autem & *honorare* discrimen intercedere perspiciet attendens ad definitiones utriusque (*Mor.* §. 590.), nempe honor nonnisi judicium de alterius perfectionibus dicit seu cognitionem earum, adeòque tantùm ad Intellectum pertinet, honorare autem addit determinationem actionum convenienter judicio illi, adeòque pertinet tam ad Intellectum quàm voluntatem.

Homo debuit aptus fieri ad Deum honorandum.

675. Deus proinde tales homini dare debuit facultates, quibus ad Eum honorandum aptus esset (§. 672. 674.).

Deus ideò ipsi dare debuit Intellectum & libertatem.

676. *Deus homini dare debuit Intellectum & libertatem:* namque homo cognoscere debuit perfectiones Dei, ut posset Deum glorificare (§. 673.) & honorare (§. 674.), perfectiones Dei autem ùt aliquid à sensibus longissimè remotum (§. 227. 318. 319.), non possunt per facultatem cognoscitivam inferiorem cognosci, hinc nonnisi per superiorem, seu Intellectum, ideò

ideò quoque non potest dici, quòd cognoscantur, ubi ideæ illarum habentur claræ : ideæ quippe claræ locum tantùm habent circa ea, quæ à sensibus dependent (*Met.* §. 277.); adeòque perfectiones Dei tum demum cognosci possunt dici, quando discrimen earum ab aliis rebus sibi repræsentari potest, seu cognitione distinctâ (ib. §. 206.), quæ nonnisi Intellectui competit (ib. §. 276.), Deus propterea homini dare debuit Intellectum; porro cùm ad glorificationem Dei, & ut honoretur, etiam requiratur, ut ex perfectionibus Ipsius cognitis motiva desumantur aliud agendi aliud autem omittendi (§. 673.), id est, ut actiones liberæ determinentur ex motivo perfectionum Divinarum, Deus, cùm velit glorificari (§. 672.), homini etiam dare debuit libertatem.

Sch. 1. Quòd Deus homini primo dederit animam liberam, seu libertatem, jam vidimus (§. 526.), hinc & quòd Intellectum dederit: siquidem libertas sine hoc sibi non constat (*Met.* §. 892.), interim hic paulò aliter ostendendum fuit, quare id necesse fuerit.

Sch. 2. Dum dicimus, perfectiones Dei non posse per Sensus cognosci, non id volumus, quòd ex iis, quæ Sensibus objiciuntur, non possint colligi & probari perfectiones Divinæ (sch. 1. §. 44. & §. 529.), sed quòd Sensus sine Intellectu & soli id non possint: quicquid enim percipitur per Sensus, seu sentitur, nonnisi materia est, & quæ ab omni materia secreta sunt, ea nonnisi intelliguntur, qualia sunt præter Deum v. g. entia moralia, syllogismorum connexiones, vires motrices, perceptrices, uti benè monet Cl. Canzius, *Jurispr. Civ. Dei* §. 561. d.

677. *Deus homini etiam dare debuit loquelam, ut homo posset Eum laudare:* cùm enim Deus voluerit glorificari ab homine (§. 672.), hinc, ùt perfectiones suæ *Item loquelam.*

agnoscantur (§. 673.), non potuit non quoque velle, ut perfectiones suæ ab uno alteri indicentur seu narrentur: quippe per hoc honoratur is, cujus perfectiones ita indicantur, & id oritur ex honore, quô illum prosequimur (*Mor.* §. 742.), perfectiones alterius autem enarrare est eum *laudare* (ib. §. 590.); id jam fieri nequit nisi per signa cogitationum seu verba (*Met.* §. 291.), ore prolata, facultas talia ore proferendi est *loquela* (*Phys. to.* 1. §. 430.), Deus igitur homini dare debuit loquelam ad se glorificandum per laudem ejus.

Sch. 1. Per loquelam etiam Intellectus acuitur, dum voces faciunt ad cognitionem universalem acquirendam (*Met.* §. 834.), hæc autem ab Intellectu venit (ib. §. 286.).

Sch. 2. De laude Dei sæpè in Scriptura mentio fit, præsertim in Psalmis, ubi per varias quoque locutiones exprimitur, ex gr. per ספר נפלאות יהוה Psal. 9: 2. ספר כבודו v. 12. הגיד עלילותו v. 15. ספר תהלתו 96: 3. שבח מעשי יהוה 145: 4. הדר כבוד הודו השיח v. 5.

Porro actualem cognitionem. 678. Prætereà cùm ille, qui perfectiones alterius jam actu cognitas habet, aptior sit ad eum honorandum, certiusque Illum honoraturus sit, quàm is, qui tantùm facultate pollet ad cognitionem perfectionum alterius perveniendi, nondum verò eas actu cognoscit, Deus autem, quià intendit honorari ab homine (§. 672. 675.), non potuerit non hominem ad id quàm maximè aptum reddere (§. 672.), *non potuit aliter quàm homini actu dare cognitionem perfectionum suarum.*

Adeòque eam illi concreare. 679. Deus igitur non potuit non homini cognitionem illam *concreare*, nec

nec tantùm dare facultatem ad eam perveniendi discursivè (*Log.* C. 5. §. 1.), per considerationem Mundi.

Hoc est, quod dicitur, cognitionem primo homini fuisse *innatam*, non autem acquisitam, ita ut homo, quàm primùm creatus erat, eâ gavisus fuerit, quod stylô Scripturæ dicitur, *inscripta cordi ipsius*, Rom. 2: 15.

Quam homo confirmare debuit per considerationem Mundi.

680. Interim cùm ea, quæ de Deo cognoscuntur ex consideratione Mundi, seu à posteriori, consentiant cum iis, quæ de Ipso à priori cognoscuntur (*Phys. To* 2. §. 3-5.), ideò *homo primus cognitionem de Deo Ipsi concreatam confirmare potuit ac debuit per considerationem Mundi.*

Sch. 1. Ea hinc, quæ de Deo demonstrantur in Metaphysica, nempe ea ejus parte, quæ dicitur Theologia naturalis (*Log.* prol. §. 14.), adeòque à priori cognoscuntur, conformia esse iis, quæ ex consideratione Mundi vel à posteriori de Deo cognoscuntur, & in Physicis docentur, exploratum est Philosophis: aliâs creaturæ non possent appellari specula perfectionum Divinarum (*Met.* §. 1046.); Theologia naturalis ideò quasi theorias exhibet, Physica verò, & speciatim illa pars, quæ de finibus rerum agit, ac *Teleologia* nomine venit, experimenta, per quæ theoriæ confirmantur, conf. (sch. 2. §. 44. & *Mor.* §. 684.).

Sch. 2. Primus homo adeò cognitioni innatæ (sch. §. 679.), debuit jungere acquisitam Rom. 1: 20. ut consensum utriusque pulcherrimum perspiciendo eò magis fieret viva (sch. §. 673.).

Sch. 3. Quando autem dicimus, hominem primum cognitionem Dei ipsi concreatam confirmare potuisse ac debuisse per considerationem Mundi vel creaturarum, non hæc ita intellecta volumus, uti Philosophi moderni structuram creaturarum investigant per Telescopia, microscopia, ope Matheseos mixtæ: non enim (ut & in seq. dicetur) ex Adamo faciendus est Philosophus, quales moderni; sed quòd creaturas contemplatus fuerit ut specula perfectionum Divinarum, eô modô, quô quilibet homo vires Intellectûs intendens id potest.

Quânam cognitione primi parentes gaviſi fuerint.

681. *Primi parentes* itaque *gaudebant præter cognitionem ſui ipſius cognitione Dei concreatâ & acquiſitâ*, item *officiorum erga Deum*: etenim cognitio ſui ipſius non poteſt non præcedere omnem aliam cognitionem (*Met.* §. 728.), quòd verò cognitione Dei gaviſi fuerint, patet ex dictis (§. 676. 678--680.), nec non ex eo, quòd cognitio hæc adhuc ſuperſit aliquâtenus apud poſteros ipſorum Rom. 1:19. ex cognitione jam Dei vel perfectionum Ipſius oritur cognitio officiorum erga Eum (§. 51. 54. 57.), ut adeò & hâc cognitione gaviſi fuerint primi parentes, quod itidem probatur ex reliquiis hujus cognitionis apud poſteros ipſorum Rom. 2:15. & quòd alias Deum glorificare non potuiſſent (§. 673.), ut ideò Deus eam ipſis non potuerit non concreare (§. 678-679.).

Idem etiam probari poteſt è ſtatu reſtituto, [de quo autem demum Locô VIII.] in quo hæcce cognitio quàm maximè obtinet, quò pertinet, quod Locô III. ad ductum Revelationis oſtenſum fuit: quis autem dixerit, ſtatum inſtitutum quoad cognitionem cedere ſtatui reſtituto, niſi in iis rebus, quarum cognitio ſtatui reſtituto propria eſt, quià peccatum præſupponunt? hinc etſi primi Parentes cognoverint Deum habere Filium æternum, & ex his procedere Sp. S., qui tres Mundum creaverint (§. 344. 353. 496.), non tamen Filium tunc adhuc cognovêre ut Liberatorem vel placatorem (§. 91.), nec Spiritum S. ut talem, qui hominem denuò reficere & à peccatis purgare debeat.

Error Socin. 682. Malè proinde Socinus talem primo homini cognitionem denegat.

Sch. 1. Homo primus namque dicitur fuiſſe יָשָׁר Eccleſ. 7:29. *rectus*, quod ubi de perſonis dicitur, indigitat, ita eas comparatas eſſe, prout debent, nempe ad eum finem, quem omnes ſibi debent habere præfixum, ſcil.

scil. gloriam vel honorem Dei, quem finem quià Deus quàm maximè vult (§. 49. 58.), ישר ideò ille demum dici potest, qui voluntati Creatoris est congruus, sine cognitione autem primus homo non fuisset voluntati Creatoris congruus, quià non fuisset aptus ad Eum glorificandum (§. 673.).

Sch. 2. Uti autem Socin. quoad cognitionem primi hominis in defectu peccant, ita alii peccant in excessu, dum juxta eos Adamus fuit [si Diis placet] Medicus, Mathematicus, Astrologus, Chymicus &c. libros & carmina reliquit, quæ verò suppositritia esse probatione ne quidem indiget, vid. Buddeus *Philos. Ebr. p.* 5. 6. Interim non omnem planè rerum naturalium cognitionem Adamo denegamus, si modò non ex Seculi nostri genio æstimetur, referunt illuc nonnulli, quòd animalibus nomina imposuerit, Gen. 2: 19. 20. hæc namque naturam ipsorum expressisse ostendit Cel. Bochartus *Hieroz. P.* 1. p. m. 59--72.

683. *Cognitio interim primi hominis fuit limitata, potuit augeri, minui ac perdi:* finis namque, ob quem Deus homini cognitionem dedit, fuit, ut Ipsum glorificaret (§. 673. 676. 678.), ad hunc finem autem sufficiens est cognitio limitata, ut sine ratione alia statueretur; præterea notiones de perfectionibus Divinis possunt perfectiores fieri, dum ex distinctis fiunt adæquatæ (*Log. C.* 1. §. 16.), & per novas rationes, quas consideratio Mundi suppeditat, semper confirmari possunt (§. 680.), hinc uti augeri potuit hæcce cognitio, ita & minui potuit ac perdi, quod ipsò factò apparuit in posteris primorum parentum Eph. 4: 18. *Cognitio hæc fuit tamen limitata &c.*

Sch. 1. Perdi nempe potuit hæc cognitio à posteris primorum parentum quoad actum, non autem quoad potentiam (sch. §. 213.).

Sch. 2. Quando dicimus, notiones de perfectionibus Divinis posse fieri adæquatas, minimè volumus, eas intelligendo exhauriri & magnitudinem illarum repræ-

sentari posse ab homine: finitum enim non est capax infiniti, & notiones de perfectionibus Divinis habemus nonnisi per suppressionem limitum, quos in nobis deprehendimus (sch. §. 320.); sed quòd notiones acquirantur terminorum, qui notionem perfectionis alicujus Divinæ ingrediuntur, ut liquet ex citat. (*Log.* C. 1. §. 16.).

Sch. 3. Sapientia quoque Divina non admisisset, ut homo cognitione illimitatâ [etiam tali, qualis aliâs capax est] donaretur: ea enim cùm ab extremo ad extremum transire non permittat sine peragratione intermediorum (sch. 2. §. 649.), etiam non admittit, ut primâ statim vice creatura in summo ponatur fastigio, quod ascendere potest.

Primus homo Deum amavit.

684. *Primus homo non potuit non Deum ardenter amare, ea velle, qua Deus voluit:* cùm enim Intellectus illius collustratus fuerit cognitione Dei ac officiorum erga Ipsum (§. 681.), non potuit non voluntati semper motiva suppeditare quædam volendi, quædam autem non, voluntasque ea non potuit non sequi, cùm oriatur è repræsentationibus Intellectûs (*Met.* §. 878.). Vel ponatur, quòd homo primus Deum non amaverit, tunc dissensus fuisset inter Intellectum ejus voluntatemque, dum ille perfectiones Dei, quas cognoscebat (§. 678.), ut bonas repræsentabat (§. 334.), hæc autem eas non amabat, Deusque hominem creasset non bonum, quod cogitare nefas (§. 527.), & homo Deum non glorificasset (§. 673.), in quem finem tamen à Deo creatus fuerat (§. 512. 672.), homo primus ergo Deum omnino amavit.

Fuit sanctus.

685. Voluntatis hæcce dispositio dicitur *sanctitas*, adeòque primus homo fuit sanctus.

Sch. 1. Alium igitur sensum habet vox *sanctus*, quando de homine adhibetur, ac quando de Deo: in Deo namque

namque dicit segregationem ab omni imperfectione (§. 332.), adeòque perfectionem tam Intellectûs quàm voluntatis (sch. §. 333.), reliquarumque Ejus virtutum summum gradum, in homine verò tantùm perfectionem voluntatis.

Sch. 2. Quod sanctitate ornatus fuerit primus homo, ipsa etiam vox קדש indicat Eccles. 7: 29. imo præcipuè ob sanctitatem epitheton hoc ipsi tribuitur, præcipuè, inquam: nam vox illa etiam indigitat perfectionem Intellectûs (sch. 1. §. 682.); sanè nemo dixerit, creaturam rationalem esse rectam, habere se, uti debet, esse voluntati Creatoris congruam, si non sit sancta.

686. *In primo homine Sensus suberant intellectui:* ubi enim Intellectus gaudet cognitione recenter concreatâ, quæ voluntati motiva suppeditat, adeòque est viva (*Mor.* §. 169.), ibi Sensus adhibentur pro adminiculis ad ea, quò Intellectus & voluntas tendunt, consequenter subsunt Intellectui, atqui Intellectus & voluntas in primo homine se hôc modò habebant (§. 678--681. 685.). Vel ponatur, Sensus non subfuisse Intellectui, tùnc iterum dicendum esset, Deum produxisse Opus non bonum, quod verò cogitare nefas (§. 684.). *Sensus suberant Intellectui ipsius.*

Sensus è contrà primi parentes adhibebant quasi pro perspicilli, quæ perfectiones Divinas in creaturis contemplandas offerrent (§. 680.), nec non pro incitamentis ad præstanda officia erga Deum.

687. *Imaginatio* ideò *quoque concordabat cum Intellectu:* ea namque à sensibus ortum trahit (*Met.* §. 235.), hinc ubi hi concordant cum Intellectu, etiam illa concordat, jam verò Sensus concordabant cum Intellectu, quià ei suberant (§. 686.), ergò & imaginatio. *Ut & imaginatio.*

Imaginatio ideò in primò homine non repræsentavit bonum apparens absens, quod similitudinem quandam

haberet cum præsenti quodam objecto (*Met.* §. 238.); non [quod sæpissimè fit] per repræsentationes confusas & simultaneas perceptionum jucundarum ante habitarum à Lege naturæ deviare fecit (*Mor.* §. 181.); è contrà quià Sensus exhibebant perfectiones Dei in creaturis (sch. §. 686.), ideò imaginatio occasione earum alia reproducens objecta itidem cogitare faciebat de Deo, & hinc quoque observationem officiorum erga Ipsum promovebat.

Ac appetitus sensitivus.

688. Cùm è Sensibus originem ducat appetitus sensitivus (*Met.* §. 434.), per imaginationem deinde corroborandus (ib. §. 435.), oportet, ubi Sensus subsunt Intellectui, ibi quoque subsit appetitus sensitivus, proinde quià in primo homine Sensus ac imaginatio suberant Intellectui (§. 686. 687.), etiam *appetitus sensitivus eidem suberat*, hinc *cum appetitu rationali concordabat:* siquidem hic Intellectûs collustrati repræsentationes sequebatur (§. 684.), adeòque uterque appetitus eundem sequebatur ducem, consequenter utrique cum altero benè conveniebat.

Affectibus non turbabatur primus homo.

689. *Affectibus* itaque *non in transversum agebatur primus homo:* ii namque sunt notabiles gradus appetitûs sensitivi (*Met.* §. 439), jam verò hic intra justos manebat limites (§. 688.).

Nulla ideò admitti potest, quam Scholastici Doctores volunt, lucta carnis & spiritûs in primo homine; est autem hæc eadem cum pugna Rationis & appetitûs sensitivi, nisi quòd dicatur tantùm de hominibus, qui actiones liberas determinare inceperunt ex motivo operis redemtionis (§. 598.), adeòque pertineat ad regnum gratiæ (§. 667.), pugna Rationis & appetitûs sensitivi autem dicatur de hominibus, qui actiones determinant ex motivo perfectionum Divinarum, prout in regno naturæ se manifestant (§. 51. 667.); ut propriè terminus *lucta carnis & spiritûs* non conveniat statui innocentiæ, quià tùm adhùc Opus redemtionis locum

locum habere non poterat, sed terminus *pugnæ Rationis & appetitûs sensitivi*. Quòd autem nulla talis fuerit pugna in primo homine, patet ex definitione ejus & ex antea dictis: definitur namque, quòd sit contrarietas vel dissensus ab una parte sensuum, imaginationis & affectuum, ab altera parte Rationis, in dijudicatione actionum liberarum, num bonæ vel malæ sint (*Mor.* §. 185.), atqui Sensus, imaginatio & affectus in primo homine concordes erant cum Intellectu (§. 686. 687. 689.), consequenter cum Ratione: hæc enim ex Intellectu oritur (*Met.* §. 865.); ergò pugna talis locum tunc non habebat.

Per externas actiones tendebat ad bonum finem.

690. Ubi Intellectus verum & bonum novit, voluntas in hoc fertur, Sensus ac imaginatio Intellectui subsunt, & adhuc bonum promovent, appetitus sensitivus atque affectus intra justos manent limites, ibi externæ actiones non possunt non omnes fieri in bonum finem, cùm jam illa in primo homine ita se habuerint (§. 681. 684. 686–689.), *per externas actiones omnes ad bonum tendebat finem.*

Membra ipsius ideò totidem quasi erant instrumenta ad exequenda officia erga Deum, [talia nempe, quæ in eo statu locum habere poterant,] ut ore v. g. enarraverit alteri perfectiones Dei, Opera Ipsius, adeòque Eum laudaverit (§. 677.) &c. hinc in homine fuerit δόξα τ῀ Θε῀ Rom. 3: 23. ὁσιότης τῆς ἀληθείας Eph. 4: 24. cùm enim ad hæc reformari debeat homo in statu restituto, inde probatur, iis gavisum fuisse in statu instituto; conf. (Sch. §. 681.).

Non solùm mali fuit expers, sed adhuc boni studiosus.

691. E dictis patet, *hominem primum non tantùm fuisse expertem pravitatis, sed fuisse præterea boni studiosum:* is namque, qui tantùm pravitatis est expers, & nil mali agit, nondum Deum glorificat (§. 673.), at primus homo debuit Deum glorificare (§. 672.), ad id creatus

tus (§. 512.), ergo non tantùm debuit esse sceleris purus, sed adhuc sanctitatis studiosus.

Socin. tenent, in homine primo nonnisi fuisse absentiam mali, at tunc nondum desumsisset è perfectionibus Divinis motiva quædam agendi, alia autem omittendi, hinc nondum Deum honorasset (§. 674.), quod tamen Deus voluit (§. 675.). Vox ישר etiam denotat talem, qui non modò vitii est expers, sed præterea virtutis studiosus, hinc substantivum conjungitur cum צדקה Deut. 9: 5, plus namque dicit quàm נקי *noxæ expertem*; ideò rectè J. DAMASCENUS hominem primum dixit fuisse non tantùm ἄκακον, sed præterea εὐθῆ, ἐναρετον, πάσῃ ἀρετῇ κατηγλαϊσμένον; *de orthod. fide Lib.* 2. *C.* 12. p. m. 118.

Justitia originalis quid sit.

692. Cognitio Intellectûs homini concreata (§. 679.), sanctitas voluntatis ipsius (§. 685.), consensus facultatum inferiorum cum superioribus (§. 686. 689.), adeòque vires homini à Deo concreatæ bonum agendi dicuntur *justitia originalis* ipsius, vel *rectitudo originalis.*

Animi gaudiò & conscientiâ tranquillâ fruebatur.

693. *Homo primus suavissimò animi gaudiò fruebatur & tranquillâ conscientiâ:* cùm enim non tantùm mali fuerit expers, sed adhuc boni studiosus (§. 691.), actiones externas ederet bonum in finem (§. 690.), sensibus uteretur ad perfectiones Dei in creaturis perspiciendas (§. 680. coll. 686.), actiones suas tàm externas quàm internas sibi in memoriam revocans videbat eas pulchrè consentire, ad eundem optimum finem gloriam Dei propriamque perfectionem tendere, consensum autem earum intuens & propriam perfectionem inde resultantem (§. 61.), non poterat non maximâ affici voluptate (*Met.* §. 404. 409.), hujus verò notabilis

notabilis gradus constituit gaudium (ib. §. 446.); inde quoque judicium post actionem patratam idem erat cum eo ante actionem patratam vi cognitionis sibi concreatæ (§. 681.), adeòque conscientia consequens eadem cum antecedenti (*Mor.* §. 101.), hinc autem tranquillitas conscientiæ exurgit (ib. §. 127.).

Enimverò cùm homo in statu restituto ad tale animi gaudium perducatur Rom. 14: 7. eô illum in statu instituto gavisum esse hinc nullum est dubium (sch. §. 681.).

694. Licèt autem sanctitatis studiosus fuerit primus homo (§. 685. 690. 691.), *sanctitas ipsius tamen fuit mutabilis*: in studio boni namque nondum ita firmus erat, ut non posset ab eo deflectere, & cùm cognitio Intellectûs mutabilis fuerit (§. 683.), etiam sanctitas voluntatis mutabilis fuerit oportet, hæc enim sequitur repræsentationem ab Intellectu, sensibus & imaginatione oblatam (*Met.* §. 878. & *Mor.* §. 81.), at Intellectus etiam ipse paulatim obfuscari potuit à sensibus & imaginatione in dijudicando vero & bono. *Sanctitas ipsius tamen erat mutabilis.*

Etiam decuit Deum non aliâ hominem ornare sanctitate ob rationem allegatam (sch. 3. §. 683.), & hominis erat diligenti exercitiô studiôque habitum acquirere firmum sanctitate.

695. Mutabilitas hæc sanctitatis in primo homine nec non cognitionis (§. 683.), hujusque limitatio (ib.), constituunt *limitationem originalem* illius, seu imperfectionem originalem (§. 611.). *Quid fuerit limitatio ipsius originalis.*

Per hanc adeò neutiquam intelligenda est præsens & actualis imperfectio seu labes (sch. 2. §. 685. & sch. §. 689.), absit! ita enim malum Opus malum arguisset opificem [absit blasphemia verbo,] sed possibilitas

futuræ

futuræ imperfectionis, & limitatio præsentis perfectionis; seu clarius: nullus adhuc erat dissensus in primi hominis facultatibus, interim tamen possibile erat, ut talis oriretur, hinc homo sensim à studio boni posset deflectere; adeòque imperfectio originalis excludit quidem actualitatem præsentis imperfectionis, at ponit nihilominus possibilitatem futuræ imperfectionis, idque ob absentiam præsentis ulterioris perfectionis.

Justitia hominis origin. opùs habuit conservatione Dei.

696. *Ob limitationem hanc justitia originalis hominis à Deo conservari opùs habuit:* cùm enim homo eam sibi ipse non dederit, sed à Deo acceperit (§. 679. 684.), prætereà nondum ita firma fuerit, quin paulatim deflectere potuerit (§. 694.), & homo per se ipsum nimis debilis fuerit ad illam conservandam, ùt eventus docuit, ideò indiguit conservatione Dei eâque speciali (§. 589.).

Concursu hinc Dei speciali (§. 608.), seu, ùt alii loquuntur, auxiliô Dei speciali homo non minùs opùs habuit, ut ex viribus à Deo sibi datis vel concreatis (§. 692.) porrò elicerentur actiones bonæ (§. 594. 600. 690.).

Non erat de essentia hominis vel attributum ipsius.

697. *Justitia originalis non erat de essentia hominis, nec attributum naturæ ipsius:* namque fuit mutabilis (§. 683. 694.), & ipsô actu homo eam perdidit (§. 82. 117.), essentiæ autem & attributa sunt immutabilia (*Met.* §. 42. 44.), homoque ea perdere nequit, ut tamen manent homo (ib. §. 42.).

Ideò justitia originalis non constituebat perfectionem hominis essentialem, sed accidentalem (sch. 1. §. 527.), non quidem, quòd illi jam creato superaddita fuerit (§. 679.), sed quòd homo eam perdere potuerit, & tamen homo manere.

Quare dicatur donum

698. *Benè dicitur autem fuisse donum hominis naturale:* homini enim vel naturæ

naturæ ipsius erat concreata (§. 679.), adeòque extitit, quàm primum natura hominis extitit, prætereà eam perficiebat. *naturale.*

E Romanæ Ecclesiæ Doctoribus quidam justitiam originalem vocant *donum supernaturale*, statuunt nempe hominem obnoxium fuisse pravis concupiscentiæ motibus (sch. §. 689.), nec justum nec peccatorem, quod vocant *statum purorum naturalium*, motibus iis coërcendis superadditam esse justitiam originalem tanquam frenum aureum, ideòque fuisse supernaturalem, quæ admitti non posse ex anteà dictis patet; nisi quis per abstractionem mentis naturam hominis primi consideret absque justitia originali, licet utramque tempore simul fuisse & neutram sine altera à Deo creatam esse fateatur, quò considerandi modò justitia illa superaddita dici posset naturæ hominis sine ea consideratæ, interim tutius est hôc considerandi modò & locutione abstinere, ne in errorem inducamur.

699. *Justitia originalis hominis constituebat statum ipsius internum*: ad mutabilia namque hominis pertinebat (§. 697.), jam verò status est, ubi ens cum fixis mutabilia simul sustinet (per desin. ontol.); & quia ad interna hominis pertinebat, dispositionem nempe facultatem ejus (§. 692.), constituebat statum illius internum (*Met.* §. 121.). *Constituebat statum hominis internum.*

Constituebat statum internum non excluså interim dispositione corporis ipsius, quippe quæ itidem ad statum internum pertinet, & de qua postea.

700. Status hicce hominis, in quo à Deo creatus erat, ornatus justitiâ illâ originali, dicitur *status institutus*, quià Deus illum in eo statuit, item *status innocentiæ* vel *integritatis*. *Quomodo status ille hominis dicatur.*

701. Quandoquidem in hocce statu homo gaudebat cognitione (§. 681.), sanctitate (§. 685.), vi cujus *Homo Deo aliquâtenus similis erat.*

malum

malum averſabatur, è contrà boni erat ſtudioſus (§. 691.), per actiones ad bonum tendens finem (§. 690.), adeòque ſapiens (*Met.* §. 914.), Deus autem cognitione pollet (§. 242.), bonum vult (§. 273.), malum averſatur (§. 315.), per Sapientiam ſuam ad optimum finem tendit (§. 270.), *homo ob illas dotes ſibi concreatas aliquâtenus Deo ſimilis fuit.*

Aliquâtenus inquàm, nam Deus perfectiones illas poſſidet ſine ulla limitatione (§. 322.).

Gerebatque imaginem Dei.

702. *Dotes illæ ideò conſtituebant imaginem Dei:* res namque eſt *imago* alterius, quando alteri eſt ſimilis (*Met.* §. 822.), jam verò per dotes illas homo Deo aliquâtenus erat ſimilis (§. 701.).

Hinc hominem Deus dicitur creaſſe *ad imaginem ſuam* Gen. 1: 27. ubi Scriptor S. duas adhibet voces ea de re loquens, nempe צלם & דמות quæ autem idem ſignificant: quippe cùm Deus dixiſſet v. 26. *faciamus hominem* בצלמנו כדמותנו, dicitur v. 27. creaſſe hominem בצלמו, ut adeò vox צלם æquipolleat utrique, hinc utraque idem ſignificet; interim non eſt ταυτολογία, quòd utraque ponatur, ſed facit ad rem clariùs exprimendam, dum ſcil. v. 26. non tantùm adhibetur vox צלם ſed & דמות, hâc ratione meliùs declaratur, quid per צלם intelligendum ſit.

Prototypon erat Deus.

703. *Deus* itaque *erat prototypon hujus imaginis:* tale nempe dicitur res illâ, ad quam altera ſimilis ſeu imago efformatur, jam verò Deus hominem efformavit per dotes illas juxta ſe vel ad ſe Gen. 1: 27.

Sch. 1. Ad prototypon hoc homo quoad dotes ſuas efformatus erat, ut equidem prototypon ex his tanquàm imagine (§. 702.), cognoſci potuerit, interim tamen imago neutiquàm ipſum gradum excellentiæ in prototypo attingeret & referret, non tantùm ob mutabilitatem donorum hominis (§. 683. 694.), ſed quòd prototypon

totypon gradu perfectionis imaginem immensô anteiret intervallô (§. 331.).

Sch. 2. Hominem speciatim imaginem Christi retulisse existimarunt quidam, vid. Buddeus *Theol. dogm.* p. 542, non magis autem unius è SS. Trinitatis personis imaginem referre potuit quàm alterius, quoniam omnes tres iisdem gaudent perfectionibus (§. 248. 357.).

704. E dictis patet, *imaginem Dei, quâ primus homo ornatus erat, non in corpore ipsius quærendam esse:* quærenda namque est in ea, in quo homo Deo aliquâtenus similis erat (§. 702.), jam verò quoad corpus homo nullô modô Deo potest similis esse, quoniam Deus est Spiritus (§. 318.), segregatus ab omni corporeo (§. 227.). *Imago illa non quærenda est in corpore hominis.*

In corpore primi hominis imaginem Dei olim quæsiverant Anthropomorphitæ auctore Audæo Syrô Sec. IV. [qui non aliter poterant, Deum quippe corporeum statuentes,] quæ quàm maximè crassa erat opinio; nec magis probanda sententia, quæ vult, corpus, quod Filius Dei in terris esset habiturus, fuisse imaginem, ad quam primus homo conditus sit, ut tenuit Tertullianus, & quoque tribuitur Andr. Osiandro; quamvis negandum non sit, Deum primo homini dedisse corpus præstantissimum, omnis labis morborumque expers: ita enim menti dotibus eximiis ornatæ (§. 681. 685. seq.) corpus itidem excellens sociando, perfectionem totius suppositi majorem reddebat. Licèt perfectio corporis primi hominis non talis statuenda sit, qualem Poiretus, qui voluit, corpus fuisse luminosum, transparens, inter creaturas omnes agilissimum, levissimum, vid. Buddeus *Theol. dogm.* p. 551. qua in re ut in aliis sibi præeuntem habuit Bourignoniam mira de corpore primi hominis somniantem, quæ legi possunt apud Bælium *Dict. Hist. Crit. Art. Adam.*

705. Patet è contrà, *rectè illam quæri in anima hominis, nempe cognitione Intellectûs & sanctitate voluntatis:* etenim in eo quærenda est omnino, ad quod homo *E contrà in mente.*

mo (in ſtatu reſtituto reformandus ad imaginem Dei), renovari debet adeòque in eo, quò caret naturâ in eo ſtatu, quò nunc eſt, atqui renovatur ad cognitionem Dei Col. 3: 10. & denuò creari debet in juſtitia ſanctitateque veritatis Eph. 4: 24. quæ dici non poſſent, niſi imago Dei in primo homine præcipuè conſtitiſſet in cognitione ac ſanctitate, vel talibus donis, quibus homines naturâ deſtituuntur.

Hæc eſt illa δόξα τῦ Θεῦ, quâ omnes deſtituuntur Rom. 3: 23.

Licèt non præcipuè ejus ſpiritualitate nec in dominio.

706. Ut hinc *malè Socin. ac Remonſtr. illam præcipuè quærant in ſpiritualitate mentis & dominio in creaturas:* quippe ſpiritualitatem mentis omnes homines à natura habent, imago Dei autem præcipuè conſiſtebat in talibus, quibus naturâ caremus (§. 705.), dominium verò in creaturas in ſtatu reſtituto recuperare non debemus, at imago Dei quærenda eſt in donis, quæ recuperamus in ſtatu reſtituto (ib.).

Sch. 1. Dicimus non *præcipuè* in hiſce quærendam eſſe imaginem Dei, nam ad eam quoque pertinuiſſe mox videbimus; in hiſce autem Socin. ac Remonſtr. præcipuè imaginem Dei collocant, ut evincere poſſint, hominem naturâ non deſtitui imagine Dei, quo de Locô VII.

Sch. 2. Interim quià homo ob imaginem Dei multò excellentior erat reliquis creaturis in terra, iiſque uti poterat ad gloriam Dei, ideò Deus eum Dominum conſtituit harum creaturarum: cùm enim hæ utpote Ratione carentes Deum per ſe glorificare non poſſint (§. 673. coll. §. 676.), ſed nonniſi occaſionem præbere creaturis intelligentibus Deum glorificandi, id autem multò meliùs fieri poſſit, ſi concedatur poteſtas iis utendi: ſiquidem Sapientia, potentia & bonitas Creatoris tunc quaſi ſentiuntur, Deus ideò homini dominium dedit in

in res creatas reliquas in terra, Gen. 1: 28 —— 30.

707. Interim *spiritualitas mentis & dominium in res creatas etiam pertinebant ad imaginem Dei:* imago enim Dei in primo homine posita est in talibus rebus, per quas homo aliquâtenus Deo similis erat (§. 702.), jam cùm Deus sit Spiritus (§. 318.), Ipsique competat dominium in omnia absolutum (§. 576.), homo per spiritualitatem mentis ac dominium in res creatas Deo aliquâtenus similis fuit; consequenter ad imaginem Dei hæc quoque pertinebant. *Quæ tamen etiam ad imaginem Dei pertinebant.*

Aliud nempe est dicere, quòd quid pertineat ad imaginem Dei, aliud verò, quòd quid eam constituat; notandum scil. imaginem Dei sumi posse vel *strictè* pro *bono* imaginis *morali* [ut dicitur] vel *late*, ut *bonum* imaginis *physicum* [quod dicitur] simùl complectatur; priori modô si sumatur, spiritualitas cum dominio non pertinent ad illam, sed tota Dei imago absolvitur cognitione [vel, ut âliâs dicitur, Sapientiâ] ac sanctitate; si autem posteriori modô, tùm spiritualitas ac dominium pertinent ad imaginem Dei, interim tamen non præcipuæ ejus sunt partes, sed semper cognitio & sanctitas. Hôc sensu latiori sumitur tùm Scriptoribus S. Gen. 9: 6. Jac. 3: 9. tùm aliquando Patribus Ecclesiæ, quo de vid. Buddeus *Theol. dogm. p.* 539. 556. necesse verò est, ut utraque acceptio probè distinguatur; nobis autem [quemadmodum & ut plurimum Theologis] imago Dei semper sumetur strictè pro cognitione sanctitateque.

708. E dictis perspicitur, *in imagine Dei posse considerari tabulam, essentialia & ornamenta*: imago enim, quià, dum ad prototypon quoddam efformata erat (§. 703.), aliquid repræsentabat, potest comparari cum imagine corporea aliquid corporei repræsentante, pictura aut statua (*Met.* §. 751.); jam in picturis possunt distingui *Quanam cum re imago Dei comparari possit.*

tabula, cui pictura inest, dein essentialia, seu id, quod repræsentatur, tandem ornamenta quædam superaddita, sic & in imagine Dei aliquid tabulæ vicem sustinebat, & cui imago inscripta, nempe anima, aliquid essentiale erat, scil. cognitio cum sanctitate (§. 705.), & tandem ornamentum, nimirum dominium in creaturas (§. 707.).

Sch. 1. Nemo non videt autem, quando imago Dei comparatur cum pictura, adeòque re corporea, differentiam tamen inter illam, quæ nil corporei involvit, & hanc semper salvam manere, nec inde imaginis Divinæ conceptui corporei quid adspergi: comparatio enim non ulterius tendit, nisi quâtenus in pictura tria illa distinguere licet, lucem præbere potest exemplum (*Met.* §. 510.) allatum.

Sch. 2. Uti verò pictura aliquando sumitur latè, pro tabula essentialibus picturæ & ornamentis, aliquando autem strictè, tantùm pro essentialibus picturæ, sic & imago Dei potest sumi latè, pro mente, ejus spiritualitate, cognitione sanctitateque, & dominio in creaturas (sch. §. 707.), vel strictè, tantùm pro cognitione sanctitateque, ùt communiter à Theologis fit (ib.); porrò uti in pictura latè accepta non adeò attenduntur tabula ac ornamenta, sed picturæ essentialia pro præcipuo habentur, ita & in imagine Dei late accepta præcipuum est cognitio cum sanctitate (§. 705.).

Quale fuerit dominium hominis in statu innocentiæ.

709. *Dominium autem, quod Deus dedit homini in paradiso collocato* Gen. 2: 8. 15. *longè differebat à dominiis hodiedum obtinentibus:* dominium nempe homini à Deo datum neutiquam denotat dominium *personale*, seu jus rebus utendi cum exclusione aliorum, ita ut quilibet habeat res sibi proprias, quibus alteri non liceat uti, talibus enim dominiis introducendis pravi hominum affectus ansam dedêre, & ob eosdem retineri necesse est (*Mor.* §. 887.), cùm jam pravi

pravi affectus in statu innocentiæ (§. 700.) abfuerint (§. 689. 691.), dominia cum exclusione aliorum locum non invenissent, nec etiam multiplicatô deinde genere humanô: id quippe cum sincero erga proximum amore, qui non poterat non sequi ex amore Dei (§. 684.), consistere non potuisset.

Sch. 1. Dominium ideò hominum, si in statu innocentiæ perstitissent, tale fuisset, ut omnia omnibus essent communia, quilibet esset Dominus omnium rerum, utendo iis, prout opus haberet ad conservationem sui, neutiquàm ad luxuriam (§. 688.) superbiam &c. sed ad gloriam Dei propriamque felicitatem.

Sch. 2. Dominium autem hoc Deus primo homini ipse dare debuit: cùm enim Deo competat dominium in res creatas omnes absolutum (§. 576.), eô ipsô nemo alius, hinc nec homo licèt imagine Divinâ ornatus, dominium in ullam rem creatam à se & propriâ auctoritate vendicare poterat, adeòque nonnisi per concessionem Dei habere debuit & potuit; ad nutum ideò Dei, qui dominium concessit, & territorii est Dominus (sch. 2. ib. omnibus rebus homo uti debuit, id est ad gloriam Ipsius vel honorem propriamque felicitatem.

Sch. 3. Deus ideò quoque reapse hominem in hocce dominium immisit, ponendo ipsum in horto amœnissimo à se plantato, omnis generis arboribus consito Gen. 2: 8. 9. 15. fuit hicce hortus in Edene ab oriente v. 8. id est ab orientali plaga respectu Cananeæ ac Mosis illa scribentis, uti sanè Eden in Mesopotamia fuit 2. Reg. 19: 12. Es. 37: 12. Mesopotamia autem Palæstinæ versus orientem sita erat; quod præterea patet, quia Eden conjungitur cum Charan & Canneh Ez. 27: 23. hæc autem in Mesopotamia fuisse constat, uti & fluvii hortum perfluentes Gen. 2: 10--14. ab Eruditis in illa Regione inveniuntur; cæterùm quæ quoad paradisum & præcipuè situm illius à Viris Doctis disputata sint, in compendio inveniuntur apud Cel. Buddeum *hist. Eccles. V. T. to.* 1. *per.* 1. *Sect.* 1. Debuit autem homo hortum hunc colere v. 15. nimirum non laborando ad defatigationem &c. hoc

enim cum statu innocentiæ, in quo omnia communia erant (sch. 1.), & imagine Dei non convenisset, & demùm post peccatum obtinuit Gen. 3: 19. sed ad voluptatem animi.

Adamo in matrimonium jungenda fuit fœmina.

710. *Deus* etiam *non potuit non Adamo in matrimonium jungere fœminam* Gen. 2: 24. cùm enim voluerit ab homine glorificari (§. 672.), & in hunc finem ipsum ornaverit imagine suâ 702. 703.), ideò quoque non potuit non velle, ut plures essent imagine hâc ornati, per quos glorificaretur, medium jam ad id cum sit propagatio legitima per matrimonium, Deus ideò viro in matrimonium dare debuit uxorem ad sobolem sanctam quærendam, Gen. 1: 2. Mal. 2: 15.

Deus mirificâ suâ virtute fœminam è costa viri formavit Gen. 2: 21. 22. eamque huic in matrimonium dedit v. 23. 24. quæ adeò est institutio conjugii sancta omnino, quemadmodum finis ipsius sanctus fuisset in statu integritatis, cui sanè matrimonium non repugnavit, ut POIRETUS existimavit, ridiculè statuens, genus humanum aliô modô propagandum fuisse, vid. BUDDEUS *Theol. dogm.* p. 555. revocatur nempe Judæorum de homine primo utriusque sexûs compote fabula, à qua quomodo abluserit PLATONIS illa de primis hominibus, vid. Rev. MOSHEMIUS *ad Cudworthi conjunct. Christ. & Eccles. in typo* p. 18.

Statum externum hominis quænam constituerint.

711. *Dominium hominis in res creatas, habitatio in paradiso cum matrimonio constituebant statum ejus externum:* ad mutabilia namque illius & externa pertinebant, per quæ relatio inter illum & res alias intercedebat (*Met.* §. 121.).

Qualis tunc fuisset status paternus.

712. E statu matrimoniali non potest non sequi paternus, *è matrimonio ideò primorum parentum secutus fuisset status paternus, at minimè molestus*

&

& *infelix:* infelix enim in præsenti generis humani statu redditur per peccata, pravos affectus, molestus præter alias causas per paupertatem, at in statu innocentiæ peccatum & pravi affectus locum non habuissent (§. 685. 689. 690.), nec paupertas: siquidem ab usu & dominio rerum nullus excludebatur (§. 709.).

Sancti parentes sanctis dotati fuissent liberis, unde nec hi illis, nec illi his molestiam ærumnamque creassent, è contrà voluptatem, gaudium, liberi etiam à matribus sine dolore in lucem editi fuissent, Gen. 3: 16.

713. *Nullus* autem *tunc locum inveniſſet ſtatus herilis:* hic enim oritur è servitute aliorum, hæc verò inde venit, quòd multi ob paupertatem alimentum quærere cogantur serviendo aliis (*Pol.* §. 162.), jam verò in statu integritatis paupertas nulla fuisset (§. 709.), præterea statui herili ansam quoque præbuit & eum fovet luxuria, superbia, ambitio &c. tales pravi affectus autem procul abfuissent ab eo statu (§. 685. 689.). *Nullus fuiſſet ſtatus herilis.*

Status herilis etiam propterea locum non habuisset tunc, quia maximam secum fert hominum inæqualitatem, hæc autem apud homines imaginem Dei gerentes locum non invenisset: siquidem ob sanctitatem voluntatis, & hinc orientem amorem erga alios, nullus cupiisset se supra alterum efferre (*Mor.* §. 796.).

714. *Nullus* etiam *tunc fuiſſet ſtatus civilis:* hic namque necessarius est tum ob vim extraneam propulsandam (*Pol.* §. 212. 214.), tum ad eos coërcendos, qui in ipso statu degentes legibus se conformare nolunt (ib. §. 341. 401.), at in statu innocentiæ nullus alteri vim intulisset, hoc enim à pravis oritur affectibus (*Mor.* §. 817. seq.), tales autem tunc non fuissent (§. 685. 689.), & ob sanctitatem *Nec civilis.*

voluntatis quilibet se sponte conformasset Legi cordi inscriptæ Rom. 2: 15. officia erga alios præscribenti (§. 80. 81.).

Interim etsi status Civilis vel Politicus ad instar modernorum tunc non obtinuisset, ordo quis tamen locum habere potuisset, & postquam homines insigniter multiplicati fuissent, talis revera inter eos obtinuisset, ita ut quædam fuisset subordinatio, & unus ab altero in quibusdam dependisset, licèt aliô respectu æquales fuissent inter se homines & mansissent, & neutiquàm talis subordinatio, quales hodiedum obtinent, non ob tales rationes, in talem finem, nec eòusque se extendisset.

Mors & morbi abfuissent.

715. *Mors & morbi prorsus abfuissent à statu integritatis:* etenim mors seu dissolutio corporis humani à peccato venit Gen. 2: 17. Rom. 5: 12. cujus stipendium est 6: 23. at in eo statu peccatum non fuisset (§. 690. 691.), hinc nec hominem mori oportuisset Gen. 2: 7. 1. Cor. 15. 45. Ut etiam corpus à dissolutione præservetur, partes ejus secum invicem maneant, vel continuò reficiantur, essentiæ ejus non repugnat, adeòque in se possibile est; morbi verò, quià ad mortem ducunt, & à peccato veniunt, pravis affectibus, intemperantia &c. ii itidem abfuissent à primo homine & posteris ipsius, quàmdiu in illo statu perstitissent.

Sch. 1. Objicitur autem, Gen. 2: 17. Rom. 5: 12. non intelligi mortem naturalem, verùm spiritualem & æternam, [quarum ista est inveteratus peccandi habitus, cui tantùm non resisti nequit (*Met.* §. 491.), hæc perpessio pœnarum post hanc vitam] (§. 87.) præprimis Rom. 6: 23. clarè indigitari mortem æternam: siquidem opponatur vitæ æternæ; adeòque hæc loca non probare, mortem naturalem à peccato venire, hinc nec probare, quòd homini in statu integritatis moriendum non fuisset; at respondetur, mortis vocabulô mortem naturalem indigitari Gen. 2: 17. li-

quare

quere ex Gen. 3:19. ubi Deus sine conditione annuntiat pœnam, quam priori locô cum conditione minatus erat, cùm jam posterior locus clarissimè loquatur de morte naturali seu corporeâ, etiam in priori eam indigitari [licèt non solam, ut posteà videbimus] sequitur. Præterea mors æterna naturalem includit, ut, si illa indicetur l. cit., etiam hæc indicetur; & quòd hæc indigitetur Rom. 5:12. 6:23. non autem præcipuè spiritualis, inde patet, quòd, si sola spiritualis intelligatur, Apostolus tantùm non ταυτόλογος fiat: cùm enim peccatum ibi non solùm unum vel alterum actum peccaminosum sed habitum peccandi vel mortem spiritualem denotet, si præcipuè hæc intelligi deberet, idem esset, ac si Apostolus dixisset, mortem spiritualem parere mortem spiritualem, ut hinc omninò naturalis intelligenda sit. Nec negotium facessere debet, quòd locô postremô mors opponatur vitæ æternæ & non vitæ temporali, quasi ideò nec mors temporalis intelligenda sit: nam mors naturalis seu temporalis nunc est medium perveniendi ad vitam æternam, & ideò benè huic opponi potest, uti id & à Christo fit Joh. 11:25. vid. etiam Seylerus *Anab. larv. P.* 2. p. 72. seq.

Sch. 2. Alia objectio contra originem mortis à peccato potest desumi à brutis, quæ cùm non peccaverint, & tamen mortem non effugiant, sed naturali Lege dissolvantur, inde videri posset, mortem corpoream non à peccato venire: at benè respondet Cl. Canzius *Jurispr.* &c. §. 820. f. disparem esse rationem brutorum ac hominis: brutorum corpora semper morti obnoxia fuerunt ideò, quià ipsa per se gloriam Dei promovere non potuerunt ut homo, qui si eam promovisset pro virili, adeòque non peccasset, ideò etiam meliorem sortem quàm bruta experiri debuisset, hinc morti non subesse.

Sch. 3. Corpus etsi ut ens compositum oriri ac interire possit (*Met.* §. 64.), tamen actu & vi essentiæ adeòque necessariò dissolvi debere dici nequit: contrarium è beatorum cœlitum corporibus [quo de autem demùm Locô XII.] patet; non erat ratio dissolutionis actualis nec in homine, nec extra illum, non in illo, ob perfectam humorum temperiem (*sch.* §. 704.), conservationem convenientem Sapientiæ ei concreatæ; non

extra illum; casus namque violentæ enecationis ab aliis inferendæ non dabatur in statu integritatis, ubi nullum peccatum (§. 690. 691.), & Deus sine respectu ad peccatum habito dissolutioni actuali non subjicere potuisset corpus humanum, vi bonitatis suæ: cùm enim ea spiritui finito molestissima sit, Deus innocentem afflixisset, uti hæc monet Cl. CANZIUS, ubi modò b--e.

Interim homo alimentis opùs habuit, & potuit enecari.

716. *Homo tamen opùs habuit vitam conservare alimentis, & corpus Ipsius potuit vi dissolvi ac enecari:* nisi enim corpus hominis opùs habuisset alimentis, frustrà ipsi Deus dominium dedisset in res creatas (§. 709.), ac in paradiso collocasset (ib.), fructibus varii generis refer-to Gen. 2: 9. eosque edendos dedisset v. 16. præservatio etiam à dissolutione tantùm possibilis erat (§. 715.), & actualis positis mediis adhibendis, dissolutio itaque neutiquàm in se impossibilis, repugnat enim id essentiæ corporis (*Met.* §. 64.)

Sch. 1. Includebat itaque dispositio corporis primi hominis, quâ dissolutioni actuali non subjacebat, media, neutiquàm autem excludebat; potuit corpus id omninò ferrò confici, fame enecari, lapsu ex alto &c. adeòque in statu instituto non fuit absoluta impossibilitas moriendi, verùm possibilitas non moriendi, quo de nervosè Cel. SPANHEMIUS *el. controv.* cum Socin. *contr.* XXIX. vid. etiam Cl. CANZIUS *Jurisprud. &c.* §. 820. l--o. unde falsò Socin. Orthodoxis affingunt, quòd statuant, impossibilitatem moriendi in statu integritas obtinuisse.

Sch. 2. Quòd si quis objiciat, etsi homo alimentis usus fuisset, & tanquam imagine Dei ornatus caviisset omnes mortis causas, ei nihilominus tandem moriendum fuisse: siquidem corpus humanum ita dispositum sit, ut partes successu temporis atterantur, hinc totum dissolvatur, ei respondendum: ex dispositione corporis, quæ in statu peccati hodierno obtinet, non firmiter concludi ad eam in statu innnocentiæ: homines enim omnes

omnes à parentibus progignuntur variis morbis ac morti obnoxiis, iisque quasi infectis, ut jam tùm quasi morbosi sint, cùm in lucem eduntur, seminaque veluti morborum & destructionis in dias luminis auras secum apportent, quæ deinde augescunt, dum regulæ temperantiæ regimenque affectuum non exactè observantur. Deus etiam facilè corpus hominis ita disponere potuit, ut partes aut non atterentur, aut etsi attritæ in pristinum statum restituerentur, viresque semper integræ manerent, vel reficerentur, & quidem sine miraculo. Nec sine ratione statuitur, arborem vitæ destinatam fuisse conservando corpori hominis reficiendisque viribus, suadente id ipsô arboris nomine, vid. Buddeus *Theol. dogm.* p. 555. idque sine præjudicio immortalitatis primi hominis, si modò rectè teneatur, ut arbor ea fuerit medium vitæ servandæ extraordinarium, quemadmodùm usus alimentorum ordinarium,

Sch. 3. Attendi etiam meretur, quòd, cùm Deus præsciverit (§. 257.), hominum non perstiturum in statu integritatis, tali modô jam corpus ipsius dispositisse, resque corporeas externas & cursum naturæ, ut, quià ob peccatum insecuturum corpus hominis dissolvendum fuerat, cursusque naturæ pœnam peccati suppeditare debuit (§. 646. & sch. 1. §. 669.), hæc omnia statui hominis peccaturi accommodata futura fuissent, nec opùs habitura mutari (§. 419.), cùm vix sancita & ordinata erant, adeòque statui potest, [sine quòd mors sequela habeatur naturæ] in alia rerum serie, ubi homo non peccaturus fuisset, etiam aliud corpus [accidentaliter nempe diversum, non essentialiter] eum habiturum, resque externas cum cursu naturæ ita ordinandas futuras fuisse, ut ad dissolutionem corporis humani nil contulissent.

717. Malè ideò Socin. post veteres Pelagianos statuunt, homini etiam in statu innocentiæ moriendum fuisse, mortemque esse sequelam naturæ, non autem stipendium peccati. *Error Socin.*

Πρῶτον ψεῦδος est, quòd imaginem Dei extenuent (§. 706.), & quòd dissolutionem corporis per se ex dispositione ipsius venire putent; scopum eorum, seu

cui

cui dogmati hoc assertum substernant, & quid intendant, suo loco videbimus; mors nonnisi eo sensu posset dici sequela naturæ, quo denotaret possibilitatem nudam dissolutionis, quod vero esset aburi terminis.

Status innocentiæ fuit felicissimus.

718. Quandoquidem homo in statu institutio collustratus erat cognitione excellenti (§. 681.), ornatus voluntatis sanctitate (§. 685.), affectibus non turbabatur (§. 689.), conscientia tranquilla & animi gaudio fruebatur (§. 693.), sollicitudinis de necessariis acquirendis vacuus (§. 709.), tædii ab aliis creandi expers (§. 712.), morbis denique ac morti non subjectus (§. 715.), *status ejus in his terris fuit felicissimus.*

Nil aliud supererat, nisi ut per crebros actus longumque exercitium mutabilitas (§. 694.) in firmitatem abiret; felicitatis hujus primævæ vestigia Viri Docti invenisse sibi visi sunt in seculo aureo Poëtis celebrato aliisque, vid. Cel. Præsulis Abrincensis *Quæst. Alnet. Lib.* 2. *Cap.* 11. EUSEBIUS *præp. Evang. Lib.* 12. *Cap.* 11. huc trahit, quæ PLATO refert in symposio de horto Jovis.

Felicitatem tamen majorem homo potuit obtinere & appetiit.

719. *Felicitas* tamen *ipsi poterat obtingere major, talemque appetiit:* poterat namque ad arctiorem cum Deo communionem pervenire fruendam in cœlis, ibique cum beatis Spiritibus (§. 553.) augustioribus adhuc favoris præsentiæque Divinæ documentis frui, vivendo vitam æternam, hanc Adamum appetivisse videre est tum ex desiderio animæ insito posteris ipsius, vi cujus anima non exsatiatur nisi fruitione summi boni (§. 334.), immediatâ & perenni; tum ex eo, quod talem sperare posset à bonitate Dei cæterisque Ipsius perfectionibus ei cognitis (§. 681.), quæ ostendebant, dignum esse Deo hominem admittere ad arctam sui communionem Es. 45: 19. Heb. 11: 6.

Quòd

Quòd si enim tale desiderium animæ inest in statu restituto, etiam in statu instituto ei infuisse oportet: ille namque hunc pro exemplari habet, cùm juxta hunc reformandis sit homo Col. 3: 10. ùt sæpius jam monitum.

720. *Vita æterna homini quoque promissa fuit in statu integritatis:* Etenim promissa fuit in Lege Sinaitica Lev. 18: 5. coll. Matth. 19: 16. 17. hæc verò eadem præscripsit officia cum iis, quæ primis parentibus incumbebant (§. 684. 685. 691.) Matth. 22: 37 -- 40. iisdem officiis autem seu præstandis Deus non potuit non idem annectere præmium vi justitiæ suæ (§. 315.). Præterea status restitutus habet annexam vitæ æternæ promissionem Joh. 3: 16. Rom. 6: 23. ergò & à statu instituto abesse non potuit. *Talis ei promissa erat.*

Sch. 1. Assumimus hîc, Legem in Sinai datam eadem præscribere officia, ac ea, quæ præstanda incumbebant primo homini, quia hic loci nondum agi potest de Lege Sinaitica, & non facilè quis id negaverit: Legem enim Sinaiticam in se continuisse summam & compendium juris naturalis quivis fatebitur; at itidem quivis fatebitur, ad observationem juris naturæ hominem primum obstrictum fuisse, quia resultat ex perfectionibus Dei (§. 54. 76.), Adamo cognitis (§. 681.), immutabilis est (§. 56. 75.), hinc semper obligans.

Sch. 2. Nec negotium faceſſet cui contra promissionem vitæ æternæ, quòd Moses de ea sileat, & tamen minoris momenti res memoraverit, nam respiciendus est scopus ipsius & ratio instituti (§. 180.), vi cujus non omnia narrat (sch. ib.), præsertim quoad secula remotiora, ac historici more magis intentus erat factis quàm aliis rebus recensendis.

721. Malè proinde Socinus & Episcopius negant, promissam fuisse homini primo vitam æternam, nec Amyraldus rectè sensit, statuens, præter vitam in his terris felicissimam nullam aliam in statu innocentiæ Deum homini promisisse. *Error quorundam.*

Quid

Quid Socin. & Remonstr. per hoc suum assertum intendant, Locô VIII. videbimus; AMYRALDI sententia obelô transfigitur in *formula consensûs Helvet.* §. 9.

Quid Deus ab homine tunc postulaverit.

722. *In eo statu Deus ab homine postulavit, ut legem naturæ perfectè servaret, & ut abstineret à fructu arboris cujusdam:* posterius probatur ex Scriptura Gen. 2: 17. & quidem, quòd Deus sub pœna mortis fructu illô homini interdixerit; prius inde probatur, quià lex naturæ est necessaria, æterna, immutabilis &c. (§. 75.), Deusque eam abrogare nequit (§. 78.), ut Deus non possit non velle servationem ejus quôcunque loco & tempore (§. 58. 76. 77.); indidem quoque patet, Deum voluisse, ut perfectè ab homine servaretur, aliâs oporteret legem illam esse mutabilem, quod enim in quibusdam servatur, in quibusdam verò non, mutabile est.

Sch. 1. Ita ergò ne quicquam obstante silentiô Mosis sufficienter probari potest, Deum ab Adamo postulasse perfectam Legis naturæ servationem: quomodo enim Deus potuisset omittere ea postulare officia, quorum fundamentum sunt perfectiones Ipsius (§. 54. 57.)? quæ bona sunt antecedenter ad voluntatem Ejus (§. 56. 69.)? hominem felicem reddunt (§. 77. & *Mor.* §. 725. 733. 753.)? ac ad quorum observationem homo etiam in statu restituto obligatur? Deut. 6: 5. Matth. 22: 37. seq. Jac. 2: 10.

Sch. 2. Theologi communiter docent, id, quod Deus ab homine postulaverit in statu innocentiæ, fuisse perfectum amorem Dei ac proximi, hoc autem reipsâ convenit cum eo, quod modò stabilitum ivimus, Deum postulasse perfectam Legis naturæ servationem: nam qui Deum amat, ille studet nil agere, quod Ei displiceat (*Mor.* §. 693.), adeòque ut servet legem, quam Deus approbat, legem naturæ (§. 76.); & qui proximum amat, felicitatem ejus, quantum in se est promovebit (*Mor.* §. 776.), hinc aget erga eum, quæ lex naturæ postulat (§. 80. 81.). Imò posset dici, Deum ab homine non postulasse nisi perfectum sui amo-

amotem: hic enim reapse tantundem dicit ac lex naturæ, siquidem, qui Deum perfectè amat, observabit omnia, quæ Deus Injungit, officia (*Mor.* §. 694. seq.), adeòque & ea erga alios ac seipsum, cùm omnia hæc postulet Deus (ib. §. 34. 771.), ac lex naturæ (ib. §. 224. 767.); quin quæcunque præterea Deus vult ac mandat, amor namque Dei stimulat facere, quæcunque Deo grata esse cognoscuntur (ib. §. 693.).

Sch. 3. Arbor ea, cujus fructibus primi parentes sub pœna mortis prohibebantur, dicitur à Mose arbor cognitionis boni & mali Gen. 2: 17. quare autem nomen id illi impositum fuerit, non convenit inter Theologos ac Interpretes; credibile est, ob eventum, dum homo comedendo de fructibus illius intuitivè cognovit, quid bonum sit, quid malum, sensitque statum suum malum, in quem se præcipitem dedit.

Sch. 4. Status hicce hominis, ubi Deus ei dominium in creaturas concesserat (§. 709.), certa ab eo officia postulaverat, vitamque promiserat æternam (§. 720.), benè considerari ac dici potest *feudum*, homoque *Vasallus*: substantialia enim vel essentialia feudi in illo reperiuntur, namque *feudum in genere* definitur, quòd sit dominium utile in re aliqua alteri à Domino concessum sub conditione fidelitatis mutuæ; vid. *hor. subsec.* 1729. *trim. æst.* p. 258. deprehenditur enim in illo statu dominium utile: siquidem tale dicitur, quod complectitur usumfructum totum & proprietatem restrictam, ib. p. 254. jam verò tale erat dominium, quò primus homo gaudebat (sch. 2. §. 706. & §. 709.); tale dominium qui habet, dicitur inde *dominus utilis*, qui est Vasallus, uti è contrà, qui ejusmodi dominium concedit, *Dominus directus*, qui in præsenti materia erat Deus (§. 576.), homini dominium concedens (sch. 3. §. 709.); fidelitas mutua tandem continetur à parte Dei, tùm quòd homini vitam in paradiso felicissimam agere daret (§. 718.), tùm post eam fine interventu mortis æternam fruendam promitteret (§. 715. 720.), à parte hominis, tùm quòd servare deberet officia juris naturæ, tùm abstinere à fructibus arboris cujusdam.

723. *Postulatio Dei, ut homo abstineret à fructibus arboris illius, erat* *Sapienter posuit lex*

stinentiam à fructibus arboris cujusdam.

lex sapienter à Deo lata: dum enim homo illam postulationem ut determinationem in agendo sequi debebat, erat regula (*Mor.* §. 146.), & dum respiciebat liberas actiones, erat lex (ib. §. 16.); sapiens erat, quià, dum locus, in quo homo versabatur, fuit hortus Eden variis consitus arboribus Gen. 2: 8. 9. conveniens fuerat, aliquid postulare ab homine, quod cum loco & circumstantiis, in quibus positus erat, congrueret, quô mediante posset præbere externæ obedientiæ testimonium, jam nullam aliam externæ obedientiæ materiam Deus aptiùs eligere potuisset: quippe nondum tunc erant alii homines, alia objecta, à quibus talis desumi potuisset, illa itaque fuit medium convenientissimum ad finem, quem Deus intendit, at medium ad finem convenientissimum eligere est Sapientiæ (§. 266. 269.), proinde Deus sapienter ab homine postulavit abstinentiam à fructibus arboris illius.

Deô ergò omninò dignum erat, talem homini præscribere legem [etsi materia, circa quam versabatur, non adeò magni posset videri momenti,] idque præter jam dicta etiam propterea, ut homo eô pactô agnosceret, se à Deo dependere, Deumque esse supremum omnium rerum creatarum & absolutum Dominum (§. 576.).

Lex positiva quænam.

724. Lex, cujus ratio desumta est ab indole alicujus gentis aut hominum quorundam, item à certis circumstantiis, appellatur *positiva.*

Lex hinc positiva nihilominus ab objecto petita est, seu habet rationem objectivam (§. 233.), nec est planè arbitraria (§. 408.), etsi in sapienti arbitrio fundata sit.

Est mutabilis.

725. *Lex positiva* igitur *est mutabilis:* indoles quippe hominum circum-

cumstantiæque mutantur, à talibus autem desumitur ratio ejus (§. 724.).

Atque hinc petendum est discrimen inter legem naturalem & positivam: illius nempe ratio desumitur à talibus objectis, quæ non variant aut mutantur, uti sunt perfectiones Dei (§. 54. 56.), natura hominum in genere, veraque ipsorum felicitas seu perfectio (§. 60.), licèt ea diversimodè diversis temporibus promoveri possit (sch. 2. §. 75.), præterea ab universali; uti è contrà ratio Legis positivæ desumitur ab objectis, quæ variationem subeunt, & à particulari, hinc non possit esse universalis, quod Christ. Thomasius priùs stabilitum iverat in *fundam. J. N. & G.* posteà verò iterum destruxit; Leges positivæ etiam dicuntur *hypothetica*, naturales verò *absoluta*.

Lex de abstinentia à fructu erat positiva.

726. *Lex de non comedendo fructu arboris vetitæ erat positiva:* ratio namque ejus desumta erat à circumstantiis, in quibus homo positus fuit (§. 723.), talis autem est lex positiva (§ 724.).

Præter hancce legem positivam Theologi gravissimi non pauci aliam adhuc statuunt, nempe eam de die hebdomadis septimo cultui Dei externo unicè destinando; at ob rationes allatas (sch. §. 531.), nobis verosimilius videtur, Sabbathum longè post demùm institutum fuisse, licèt omninò existimemus, quòd homines primi, quàmdiu in statu integritatis perstitissent, frequenter diem destinassent peculiariter transigendum Cultu Dei externò; ut talis Cultus jam tùm obtinuerit, interim non alligatus diei septimo, nec ex Seculo nostro æstimandus; Cultui autem interno illos tantùm non semper incubuisse dubitari nequit: siquidem nil aliud poterat sequi ex cognitione sanctitateque, quâ ornati erant (§. 681. 685.); accedit, quòd nulla tunc temporis ipsis se objecerint impedimenta sanctis hisce occupationibus vacandi (§. 689. 709. 718.), qualia piis hodiedum accidunt sæpissimè.

Homo efficacissima habebat motiva.

727. *Primi parentes etiam non poterant non efficacissimè permoveri ad observandam legem tam naturalem quam*

ad observationem Legis naturalis & positivæ.

positivam Deo ipsis præscriptam (§. 722. 726.) : efficacissima enim ad hoc habebant motiva, à Deo quippe immissi erant in felicissimum statum terrestrem (§. 718.), quem adhuc alius felicior debebat sequi in cœlis (§. 720.), sine interventu mortis temporalis (§. 715.); sciebant etiam vi cognitionis sibi concreatæ (§. 679.), legem naturalem fluere ex ipsa Dei immutabili natura ac ex natura hominis, hinc se ad illam perfectè servandam esse obligatos, & si per unicam violetur actionem, Majestatem Dei lædi Jac. 2: 10. sufficientes præterea ad illam observandam acceperant vires, ad imaginem Dei creati (§. 702.); tandem non poterant ignorare, se æquè obstrictos esse ad observandam legem positivam: siquidem considerantes dependentiam sui omniumque rerum à Deo, felicissimum statum, in quo à Deo positi (§. 718.), facilè videbant, Deo competere summum jus Legi naturæ adhuc superaddendi alia mandata.

Transgressio legis naturalis mortem habebat annexam.

728. *Transgressio Legis naturalis* autem *mortem habebat annexam & quidem non solùm naturalem sed & spiritualem ac æternam:* etenim si lex positiva morte sancita fuit (§. 722.), quæ tamen fuit lex mutabilis (§. 725.), oportet tantò magis morte sancita fuerit lex naturæ, quæ est immutabilis (§. 75.), quod adeò quàm maximè conveniens fuit, hinc Sapientia Dei postulavit (§. 269.), & justitia Ipsius (§. 314.); quòd verò sancita fuerit morte quoque spirituali & æterna, inde videre est, quià vocabulum *mortis* præter mortem naturalem denotat etiam

etiam spiritualem, Eph. 2: 1. 1. Tim. 5: 6. ac æternam Joh. 5: 24. 8: 51. 52. & quià peccatum post se trahit tam illam Joh. 8: 34. Rom. 6: 16. 2. Pet. 2: 19. quàm hanc Joh. 3: 16. 36.

Quòd si adeò mors tantùm naturalis intelligenda esset, [ut Socin. volunt,] sequeretur omninò, Deum majorem infligere pœnam, quàm comminatus fuerat, id quod contrariaretur veracitati ac justitiæ Ipsius (§. 305. 314.): Deum quippe in statu destituto [qui est ille, in quo nunc homines sunt §. 82. seq.] peccatum punire morte spirituali æternâque negari nequit, & quidem vi comminationis primis parentibus factæ, jam si in comminatione illa mors tantùm naturalis intelligenda esset, Deus plùs infligeret, quàm comminatus esset, at id etiam in judice terrestri culparetur; Deus proinde talem in comminatione intellexerit oportet pœnam, qualem postea infligit, mortem scil. spiritualem æternamque.

729. Cùm itaque Deus cum transgressione Legis tam naturalis quàm positivæ connexuerit mortem quoque æternam (§. 728.), ex oppositorum natura liquet, *Ipsum cum servatione Legis è contrà connexuisse vitam æternam* Lev. 18: 5. *E contrà servatio ejus vitam æternam.*

Deum adeò servationem Legis [perfectam nempe: nam ubi non perfectè servatur, jam adest transgressio, & tunc non servatur] remunerari constituisse vitâ æternâ inde dubitari nequit: cum enim violationi Legis malum quoddam annexuerit (§. 728.), observationi Legis non potuit non annectere bonum malo priori oppositum, vi Sapientiæ suæ bonitatisque (§. 267. 309.) contrariorum enim non possunt non contraria esse prædicata; Ut vel hôc argumentô, quod suprà (§. 720.) nondum afferre potuimus, promissio vitæ æternæ in statu innocentiæ adstrui possit; quam confirmat lex moralis Israëlitis data, quæ nisi per peccatum infirmata fuisset, gravisa esset vi homini dandi possessionem vitæ cœlestis Rom. 8: 3. Socin. autem ac Remonstr., qui promissionem vitæ cœlestis in statu innocentiæ obtinuisse negant, & nonnisi comminationes statui dicto relinquunt, in ipsam Dei bonitatem quodammodo injurii sunt.

Ut ea per res sensibiles repræsentaretur, opùs habebant primi parentes.

730. *Primi parentes opùs habebant, ut vita æterna ipsis repræsentaretur per res quasdam sensibiles easque præsentes:* cùm enim ea illis promissa fuerit sub conditione perfectæ servationis Legis (§. 729.), ideò juri ejus acquirendo operam dare debebant, omnes suas actiones liberas determinando juxta legem, adeòque quamlibet actionem collimare faciendo ad æternam felicitatem; ad id autem opùs est rebus externis sensibilibus, ut hominem commonefaciant, quò semper in agendo felicitatem illam, quæ à gloria Dei separari nequit (*Mor.* §. 42.), tanquàm finem supremum sibi præfixum habeat (ib. §. 175.); talibus igitur rebus externis primi parentes opùs habebant.

Pertinet hùc materia de ceremoniis; ideo hic ad animum revocanda ea, quæ traduntur (*Mor.* §. 176. 177.).

Tali modò ideò eam repræsentare Deo conveniens erat.

731. *Conveniens erat, ut Deus vitam æternam primis parentibus repræsentaret per res externas sensibiles:* cùm enim Deo conveniens fuerit, ipseque voluerit illam iis promittere (§. 720. 729.), ita, ut promissionis hujus participes fierent, tales iis res objiciendæ fuerant, quarum intuitu instigarentur ad præstandam conditionem, sub qua Deus promissionem illam fecerat (§. 722.), adeòque ratio erat maxima tales primis parentibus res objiciendi, id verò est, quod dicitur *conveniens* (§. 269.), Deo igitur id conveniens fuit.

Deus namque, dum homini promittebat vitam æternam, eò ipsò ostendebat, se gaudere eam illi dare; non poterat non ideò quoque gaudere talia homini præbere adjumenta, quæ facerent, ut vitam illam reportare studeret.

732. *Vita*

732. *Vita æterna primis parentibus repræsentabatur per paradisum & arborem vitæ :* paradisus namque cùm fuerit locus felicitatis in his terris maximæ (§. 718.), non poterat non hominem commonefacere de felicitate majori ipsi promissa nempe cœlesti (§. 720.), quàm etiam appetiit (§. 719.); adeòque in se paradisus aptissimus fuit pro tali repræsentamine, quòd verò actu tale fuerit, ex eo videre est, quoniam Scriptura per paradisum cœlum indigitat Luc. 23:43. 2. Cor. 12:4. Apoc. 2:7. quemadmodum &, quòd arbor vitæ repræsentaverit vitam cœlestem, indidem probatur: siquidem per eam Scriptura designat hancce vitam ac Filium Dei Prov. 3:18. Apoc. 2:7. 22:14. *Repræsentabatur per paradisum & arborem vitæ.*

E silentio Mosis nil in contrarium colligi potest, repetantur dicta (sch. 2. §. 720.).

733. Paradisus & arbor vitæ cùm repræsentarint homini vitam cœlestem (§. 732.), res autem, quæ indicat præsentiam vel adventum alterius, seu ex qua cognosci potest, aliquid vel jam adesse vel adfuturum esse, fit *signum* (*Met.* §. 292.), sequitur, *paradisum ac arborem vitæ fuisse signa vitæ cœlestis.* *Quæ fuerunt signa vitæ cœlestis.*

Nec obstat, quòd arbor vitæ vegetaret vitam corporis (sch. 2. §. 716.): namque (ut loquitur Cl. Gürtlerus *inst. Theolog.* p. m. 135. §. 47.), „ signis sacris solenne „ est, utramque simùl vitam firmare, quô & modô signi „ & rei signatæ major est similitudo.

734. *Mereri* dicitur is, qui in alterum quid confert, quod non est perfectè debitum, seu quod alter postulandi jus non habet, & ejusmodi opera, quæ alteri præstatur, est *meritum,* *Quid sit mereri, item meritum ac merces.*

tum, vel id parit; cui respondet *merces*, quæ est compensatio debita tali operi indebito.

Si ad opus indebitum, quod alteri præstatur, accedat lex Superioris adjudicans tali operi remunerationem, oritur *meritum sensu rigidô*, vid. CANZIUS *Us. Philos. &c. To.* 1. *Cap.* 10. §. 2.

Consectarium. 735. Inde sequitur, si quis alterum opere quodam demereri velit, illi secundum id non debere esse obnoxium, & si quis alteri per omnia sit obnoxius, eum hunc demereri planè non posse.

Aliud. 736. Sequitur porrò, cum merces sit compensatio operis indebiti (§. 734.), adeòque per eam Opus æquetur, *aliquam debere intercedere æqualitatem inter mercedem ac Opus.*

Adamus mereri nil potuit. 787. *Adamus perfectâ obedientiâ mereri tamen nil potuisset:* etenim Deus jure talem obedientiam potuit postulare ùt supremus & absolutus Dominus (§. 576.), homoque illam obedientiam debebat tùm ob perfectiones Divinas (§. 54.), tùm ob propriam felicitatem (§. 58. 60.), ac beneficia à Deo accepta maxima (§. 718.), adeòque obedientia vel perfectissima Opus fuisset purè debitum, siquidem homo quoad omnia Deo est obnoxius (§. 51.); at ubi hæc, ibi meritum locum habere plane nequit (§. 734. 735.).

Multò minùs meritum sensu rigido (sch. §. 734.) locum tùnc habere poterat, siquidem Deo nulla potest lex injungi, cum vi independentiæ suæ (§. 224. 278.) sit supremus.

Vita æterna ipsi promissa erat non ùt 738. *Vita æterna proinde homini promissa ac repræsentata fuit* (§. 720. 732.), *neutiquàm ùt merces:* ubi namque

namque nullum est meritum, ibi nec merces. *merces.*
merces, siquidem merces ex merito oritur, & ob id debetur (§. 734.), jam verò meritum locum non habebat tunc (§. 736.), ergò nec merces; quod inde etiam patet, quià nulla intercedit æqualitas inter vitam æternam seu remunerationem sine fine & obedientiam hujus vitæ, at merces requirit æqualitatem (§. 736.).

Sch. 1. Locô XII. ulterius videbimus, non esse æqualitatem inter vitam æternam & obedientiam qualemcunque hujus vitæ, cùm magnitudinem remunerationis illius intensivam & extensivam viderimus, hic loci nonnisi per magnitudinem ejus extensivam assertionem nostram probare potuimus.

Sch. 2. Vita æterna adeò Adamo in casu perfectæ obedientiæ ab ipso præstitæ neutiquàm collata fuisset sub titulo mercedis Luc. 17: 10.

739. *Adamus vitam æternam à Deo petere potuisset nonnisi vi pacti:* cùm enim Deus homini primo vitam æternam promiserit (§. 720. 729.), & ab eo postulaverit servationem Legis (§. 722.), ad quam homo se obligatum sciebat (§. 727.), homo quasi contra promittebat servationem Legis, at ubi aliquid promittitur mutuò, ibi est *pactum* (*Mor.* §. 1008.); vi hujus pacti homo petere potuit vitam æternam, si nempe illud implesset, Rom. 4: 4. promissiones namque & pacta cùm servari debeant (ib. §. 1005. 1012.), etiam peti potest, quod iis continetur. *Eam petere potuit vi pacti.*

Interim non obstante hôcce pactô meritum & merces longè abfuissent: nam per hoc pactum neutiquam tollitur, quod in anteced. (§. 737. 738.) dictum; accedit, quòd pactum hoc unicè innixum fuerit favore Dei remunerantis, adeòque bonitate Ipsius, quæ non præcisè respicit, num remuneratio Opus transcendat, & hoc illi æquale sit nec ne.

740. Quandoquidem inter Deum *Inter Deum*

& hominem fuit fœdus. & hominem pactum interceſſit (§. 739.), pactum autem, ſi ineatur à perſonis publicis vel potentibus, dicatur *fœdus*, ſequitur, *inter Deum & hominem primum fœdus interceſſiſſe* Hoſ. 6: 7.

Sch. 1. *Fœdus* etiam definitur, quòd ſit promiſſum ab altero acceptatum, quæ definitio reipſâ non abludit ab ea, quam dedimus: ſiquidem exprimit naturam pacti, à quo fœdus non differt niſi quoad qualitatem perſonarum, dum illud requirit perſonas privatas, hoc autem publicas & potentes.

Sch. 2. Fœdus hebr. dicitur בְּרִית græc. διαθήκη, prior vox in Scriptura ſæpè etiam aliud quid denotat, ex. gr. ordinem firmum, quem Deus in regno naturæ obſervat, Jer. 33: 20. propoſitum firmum hominis Job. 31: 1. interim quando Scriptura per illam fœdus indigitat, eandem illi ſubjicit notionem, quam nos, nempe ut unus quid promittat alteri, poſtuletque ab hoc, alter verò contrà promittat, vid. Gen. 14: 13. 21: 27. 32. Ex. 34: 10. Deut. 26: 16. —— 19. notio fœderis itaque etiam ad ductum Scripturæ formari poteſt, etſi non conſtet certò de etymo vocis בְּרִית: ſiquidem grammatica vocum analyſis notiones rerum non ſuppeditat (*Log. C.* 12. §. 12.).

Sch. 3. Quoniam fœdus hoc continebat ſervationem Legis (§. 739.), ideò pars Scripturæ ſeu doctrina ejus agens de illo fœdere & ipſa dicitur *lex*: licèt enim in ſtatu integritatis Scriptura vel Verbum ſcriptum locum nondum habuerit, tamen lex, quam Deus poſteà publicavit Verbô ſcriptô, eadem eſt, quàm primò in fœdere cum Adamo ſervari poſtulavit: ſiquidem eſt lex naturæ (§. 74. 722.), hæc autem eſt æterna immutabilisque (§. 75.).

Perſonas quot fœdus requirat. 741. Patet è notione fœderis (§. 740.), duas ad tale ineundem requiri perſonas ſeu partes.

Nempe pars una etſi aliquando plures imò plurimas perſonas ſeu individua intelligentia complectatur, tamen in moralibus ut unica conſideratur perſona (*Pol.* §. 220.).

742. Par-

742. Partes, quæ fœdus secum invicem ineunt, dicuntur *partes contrahentes*. *Quomodo dicantur, qui fœdus ineunt.*

Eæ in hocce fœdere erant Deus & homo (§. 740.).

743. Patet ulterius, fœdus secum ferre, tum ut una pars aliquid postulet ab altera, addicatque bonum pro postulato, seu promittat alteri quid, tùm ut altera pars in se suscipiat præstare, quod prior postulavit, seu contrà promittat, & ubi præstiterit, petat, quod prior promiserat. *Quid fœdus secum ferat.*

Fœdus enim non est nisi pactum (§. 740. & sch. 1. ib.), at pacto hæc insunt.

744. Actus, quô pars prior ab altera quid postulat, dicitur *stipulatio*; actus, quô ei addicit bonum, *promissio*; actus verò, quô altera pars in se suscipit præstare, quod prior postulaverat, dicitur *adstipulatio*; & ubi petit promissum, *restipulatio*. *Actus fœderis quinam.*

745. Actus itaque cuilibet fœderi insunt quatuor, duo nempe partis, quæ fœdus inchoat, & duo ejus, quæ fœdus oblatum accipit. *Quot sint.*

Ubi promissum ab una tantùm adhuc parte datur, quod ab altera deinde acceptetur, fœdus hactenus est ac dicitur *unilaterale*, græc. μονόπλευρον; ubi verò altera promissum acceptat, & contrà promittit, tùm fit ac dicitur *bilaterale*, græc. δίπλευρον.

746. Stipulatiô in fœdere dicitur etiam *conditio fœdere præscripta*, item *lex fœderis*. *Stipulatio quomodo etiam dicatur.*

747. *In fœdere Dei cum homine primo deprehenduntur omnes quatuor fœderis actus*: dum enim Deus ab homine postulavit perfectam Legis servationem (§. 722.), deprehenditur in illo *In fœdere Dei cum Adamo deprehenduntur quatuor actus.*

stipulatio (§. 744.), & dum homini promisit vitam cœlestem (§. 720.), ac jam contulit felicitatem in his terris maximam (§. 718.), deprehenditur *promissio* (§. 744.); ab altera verò parte quàm diu homo Legem Dei servare studuit (§. 684. 690.), *adstipulatio* ab illo fiebat ad postulationem Dei, in quo si strenuè & continuò perrexisset, tandem potuisset à Deo petere bonum promissum (§. 739.), adeòque insecuta fuisset *restipulatio* (§. 744.).

Quando itaque dicimus in fœdere Dei cum Adamo omnes quatuor actus deprehendi, nemo non videt, hoc ita intelligendum esse, quòd ultimus actus insequi potuisset, cùm demùm in seq. visuri simus, eum insecutum non esse.

Quænam fuerit conditio fœdere præscripta.

748. *Servatio Legis perfecta nempe naturalis & positivæ erat conditio fœdere præscripta seu lex fœderis:* erat enim illa stipulatio (§. 747.), at hæc non differt à conditione fœdere præscripta & Lege fœderis (§. 746.).

Fœdus illud quomodo dicatur.

749. Fœdus hoc quoniam ob perfectam servationem Legis, quæ in eo postulabatur (§. 722. 748.), requirebat, ut omnes actiones liberæ seu Opera ab homine determinarentur juxta legem Dei, ideò dicitur *fœdus operum.*

Dicitur etiam *fœdus naturæ*, quià lex ejus erat lex naturæ (§. 722. 748.), & quia cum natura hominis incepit, ac in ea fundatum fuit.

Continebat etiam comminationem.

750. *Continebat autem fœdus id etiam comminationem:* Deus namque homini non tantùm promiserat vitam æternam, si legem perfectè servaret (§. 729.), sed & comminatus erat mortem naturalem, spiritualem æternamque, si eam violaret (§. 728.).

751. Pro-

751. Promissio & comminatio fœderis simùl sumtæ dicuntur *sanctio fœderis*. *Sanctio fœderis quid sit.*

Sanctio fœderis adeò erat motivum voluntatem excitans ad legem fœderis servandam.

752. *Sacramenta* sunt signa externa visibilia, repræsentantia sive præteritum aliquod, sive futurum, bonum nempe à Deo conferendum, ac etiam obsignantia. *Sacramentum quid.*

753. *Fœdus operum sua habuit Sacramenta, paradisum nempe & arborem vitæ:* etenim Paradisus ac arbor vitæ fuêre signa vitæ cœlestis (§. 733.), hæc autem fuit promissio fœderis operum (§. 747.), seu bonum à Deo in eo fœdere promissum, & ab Eo conferendum, talia signa cùm sint Sacramenta (§. 752.), fœdus operum hæc habuit Sacramenta. *Fœdus operum quænam habuerit Sacramenta.*

Quòd si quis autem aliam animô habeat notionem Sacramenti, nimirum quòd sit tale signum, per quod bonum aliquod non solùm repræsentetur & obsignetur, verùm & exhibeatur ac conferatur, uti Lutheri discipuli hanc de Sacramentis notionem habent, ei, licet statuat, paradisum arboremque vitæ repræsentasse tantùm ac obsignasse vitam cœlestem, tamen necessario negandum est, quòd fuerint Sacramenta fœderis operum, hinc est, quòd Buddeus *Theol. dogm.* p. 569. 570. paradisum cum arbore vrtæ non habeat pro Sacramentis in fœdere operum, reipsâ tamen consentit cum Theologis Reform., dicit enim p. 570. „ interim si quis „ in statu integritatis eô sensu Sacramentum admittere „ velit, quô sigilla quædam atque signa promissiones „ Divinas obsignantia & confirmantia hocce nomine ve„ niunt non quidem magnopere repugnabimus. Unde patet, quòd si quis contra Fratres dictos vellet disputare de Sacramentis fœderum operum, ille nonnisi de voce litigaret, & hæc lis in logomachiam abiret.

754. Cùm fœdera ab hominibus *Fœdus Dei ad-*

ineantur

modum differt ab humanis.

ineantur ob mutuam utilitatem, uti experientiâ constat, porrò utrique parti liberum sit fœdus inire vel non, prætereà semper aliqua sit inter partes contrahentes æqualitas, Deus autem ob omni-sufficientiam suam (§. 334.), nullam planè ex fœdere cum homine inito utilitatem capere possit Job. 22: 2. porrò homini neutiquàm liberum sit, velitne fœdus cum Deo inire nec ne, sed obligatus sit ad servandam legem fœderis (§. 53. 722. 727. 746.), tandemque ob summam Dei perfectionem (§. 331.), ac infinitatem (§. 322.), longè maxima inter Ipsum ac hominem sit inæqualitas, adeòque infinita partium contrahentium disparitas, ideò *fœdus Dei cum homine admodùm differt ab humanis.*

Nihilominùs modus, juxta quem Deus cum homine in statu innocentiæ egit, rectè fœdus appellatur, & sub fœdere proponitur, siquidem in eo reperiuntur requisita fœderis (§. 744. 747.).

In Adamo Deus fœdus pepigit cum ejus posteris.

755. *Fœdus, quod Deus cum homine pepigit* (§. 740.), *in ipsius persona cum omnibus ejus posteris pepigit:* etenim lex fœderis (§. 746.) ad omnes omninò homines pertinet (§. 51. seq.), Deusque ideò non potest non ejus observationem ab omnibus postulare (§. 58. 76.); prætereà in Adamo primo homine (§. 513.), seu Capite naturali totius generis humani, omnes homines virtualiter jam extiterunt, Deusque præscivit, quinam & quot inde orituri essent (§. 257.), ita ut omnes Ipsi jam tum quasi præsentes fuerint (§. 237 242.); quòd si autem lex fœderis ad omnes pertinuit, Deusque eam à posteris Adami, qui Ipsi omnes ut præ-

sentes

sentes obversabantur, postulavit servandam, sequitur, quòd non minùs promissum fœderis ad omnes pertinere voluerit sub conditione perfectæ servationis Legis (§. 748.): nulla quippe est ratio, cur lex ad omnes pertinuerit, & non item promissio præmii; totum itaque fœdus Deus ad omnes Adami posteros pertinere voluit, adeòque in ipsius persona cum posteris omnibus pepigit.

Accedit, quòd alia, quæ Deus cum Adamo egit, v. g. quando Ipsi dedit dominium in res creatas (§. 709. & sch. 3. ib.), jussitque genus propagare Gen. 1: 28. utique non ad ipsum solum pertinuerint Matth. 19: 4. 5. sed ad omnes ejus posteros, unde inferri potest, & fœdus operum ad illius posteros pertinuisse. Etiam Deus aliâs quoque solebat fœdus contrahere cum posteris nondum actu existentibus, sed nonnisi in persona Majorum suorum præsentibus, exemplum illustre & locus expressus habetur Deut. 29: 14. 15.

756. *Etiam Adamus, ubi fœdus acceptavit per adstipulationem* (§. 747.), *id acceptavit quoque pro posteris suis*: hâc ratione namque Deus illi fœdus obtulit (§. 755.), at quâ ratione illi oblatum fuit, tali sine dubio acceptavit; præterea quià Adamus gaudebat voluntate sanctâ (§. 685.), hinc flagrabat amore erga alios, non potuit non acceptare in sua persona pro posteris, [quales se habiturum esse vel ex benedictione Divina Gen. 1: 28. sciebat] quod iis maximo esse poterat emolumento, felices eos reddendo in hac vita (§. 718.), & posteà (§. 719.). Vel ponatur, quòd noluerit fœdus à Deo oblatum etiam pro posteris acceptare, tunc non gavisus fuisset eorum felicitate, at id pravitatem argueret, talis verò ab fuit à primo homine (§. 691.).

Et tali modò Adamus id acceptavit.

Sch. 1. Quòd si objiciatur, Adamum fœdus cum Deo acceptasse etiam pro posteris suis inferri non posse ex eo, quòd fœdus id emolumento illis futurum esse perspiceret: siquidem æquè perspiciebat fœdus hocce perniciosum futurum posteris, dum in casu inobedientiæ morti se subjecturi essent (§. 728.), respondendum, semper rectè dici de negotio, quòd emolumento sit, si conditionem prærequisitam facilè quis præstare possit, è contrà dici non posse, negotium quoddam alicui perniciosum esse in se, ubi malum inde obventurum facillimè præcavere potuerit, & tali modò judicatur in rebus humanis; Adamus autem haud difficulter cognoscebat (§. 681.), Deum posteris suis itidem sufficientes largiturum vires ad conditionem fœdere requisitam præstandam.

Sch. 2. Inde quoque videre est, quòd ipsi posteri Adami, si præsentes fuissent, ubi Deus fœdus cum eo pepigit, non minùs ac Adamus id accepturi fuissent: non aliter quippe judicare potuissent, nisi negotium hoc ita omnino esse comparatum, ut pro utili habendum sit ac tali, quòd emolumentum afferat maximum, hinc acceptandum esse.

Rationem simùl à posteris desumendo.

757. Adamus itaque rationem, cur fœdus à Deo oblatum acceptaverit, à posteris simùl desumsit.

Quid sit moraliter unitus & moraliter existens.

758. Quòd si quis rationem agendi ab aliis simùl desumat, cum iis *moraliter unitus* dicitur, & ii, quorum intuitu ita agitur, si nondum actu adsint, verùm ùt aliquando futuri considerentur, *moraliter existentes* dicuntur.

Suppeditat hasce definitiones Cl. CARPOVIUS *de imput.* &c. §. 225.

Ita erat Adamus posterique ejus.

759. Adamus igitur cum posteris suis, tùnc ubi fœdus acceptavit, moraliter erat unitus, & hi moraliter existentes.

Societas quid.

760. Ubi plures ad eundem tendunt finem, *societatem constituere* dicuntur.

Defini-

Definitionem hancce suppetitat laud. modò Carpovius *tract. cit.* §. 217. nec repugnat ei altera, quæ traditur (*Pol.* §. 2.), ut facile perspiciet utramque inter se comparans.

761. *Adamus cum posteris societatem constituebat:* dum enim fœdus acceptavit etiam pro posteris suis (§. 756.), & hi illud itidem acceptassent, si præsentes fuissent (sch. 2. ib.), ad eundem cum ipsis tendebat finem, nempe obtinendam promissionem fœderis (§. 747.), at tendentia plurium ad eundem finem facit societatem (§. 760.). *Talem constituebat Adamus cum posteris.*

Notandum nempe, quòd etsi communiter societas intercedere dicatur tantum inter eos, qui simùl existunt, & hùc præcipuè spectet definitio societatis, quæ suppeditatur (*Pol.* §. 2.), tamen non obstare, quò minùs societas dici possit intercedere etiam inter successivè existentes, præsertim respectu Dei omnia præscientis (§. 257.), & cui ob omniscientiam suam (§. 262.), omnia ut simùl existentia & præsentia observantur.

762. Qui nomine societatis agit, dicitur *Caput repræsentativum*, sive suò simùl nomine agat sive non. *Caput repræsent. quid.*

763. *Adamus in fœdere operum erat Caput repræsentativum totius generis humani:* cùm enim fœdus illud acceptaverit etiam pro posteris suis (§. 756.), cum quibus societatem constituebat (§. 761.), nomine societatis egit, id est omnium suorum posterorum seu totius generis humani, qui autem ita agit, est Caput repræsentativum (§. 762.), adeòque eo in negotio Adamus fuit Caput repræsent. generis humani. *Adamus tale fuit totius generis humani.*

Caput repræsentativum dicitur etiam *Caput morale*, & quia Adamus fuit Caput repræsentativum in fœdere acceptato

ceptato, ideò quoque dicitur *Caput fœderale;* fuit ergò non solum *Caput naturale* seu *seminale* totius generis humani, dum omnes homines ab ipso orti Act. 17:26. sed & morale seu repræsentativum, NB. *eo in negotio*, seu in fœdere, quod acceptavit, id quod probè notandum.

Quid sit consentire, & quomodo distinguatur.

764. Qui actionem ab altero committi vult, vis in eandem *consentire* dicitur, & quidem *consensu formatô*, ubi per actionem physicam id significaverit, *interpretandô* autem, ubi id intelligatur è natura negotii, sine actione physica.

Vid. CARPOV. *tract. de imput.* §. 204.

Posteri Adami consenserunt in acceptationem fœderis.

765. *Posteri Adami in acceptationem fœderis ab Eo factam consenserunt consensu interpretandô:* dum enim Adamus fœdus acceptavit pro posteris studiô felicitatis ipsorum ductus (§. 756.), ut hi, si præsentes fuissent, ipsi illud acceptassent (sch. 2. ib.), actionem Adami, quâ fœdus acceptavit, voluerunt committi, at id constituit consensum (§. 764.), cùm verò ut actu nondum præsentes id significare non potuerint actione physicâ, consensus eorum fuit interpretandus (ib.).

Hinc & in conseq. ejus.

766. *Consenserunt* hinc *etiam in consequens fœderis sibi obventurum, nempe in casu servationis, vitam æternam* (§. 720.), *in casu verô violationis, mortem* (§. 728.): conjuncta enim hæc sunt, nimirùm servatio fœderis seu Legis fœderis (§. 746.) & vita, è contrà violatio ejus ac mors (§. 750.), ut neutrum sine altero obtineri vel evitari possit, hinc in fœdus consentiens in ea simùl consentire debeat; etiam nemo in fœdus quoddam consentire potest, nisi & simùl consentiat in conse-

consequens ejus, id est, tam comminati mali inflictionem seu perpessionem, quàm promissi boni impetrationem.

767. E dictis liquet, fœdus operum fuisse pactum seu conventionem inter Deum ac hominem primum (§. 740.), ubi Deus ab Ipso omnibusque ejus posteris (§. 755.) postulavit obedientiam perfectam (§. 722.), & promisit vitam æternam (§. 720. 729.), è contrà comminatus fuit mortem naturalem ac æternam (§. 528.), infligendam in casu inobedientiæ, cui postulationi homo primus adstipulatus (§. 747.), ad id obligatus (§. 754.), fœdusque acceptavit pro se & posteris (§. 756.), ex fœdere promissionem expectans, neutiquàm ut mercedem (§. 738.), sed ut remunerationem postulatô longè majorem (ib.).

Fœdus operum quænam in se continuerit.

LOCUS VII.

DE STATU HOMINIS DESTITUTO, SEU PECCATI.

Non diu illud servarunt primi homines.

768. *Fœdus Dei acceptatum* (§. 756), *primi homines non diu servarunt:* transgressi enim sunt legem fœderis positivam (§. 726. 746.), de non comedendo fructu arboris vetitæ (§. 722.), dùm primò fœmina (§. 710.) de eo comedit Gen. 3: 6. deinde & Vir ibid., at ubi lex fœderis non servatur, ibi nec fœdus ipsum servatur.

Sch. 1. Ita ergo felicissimum illum statum integritatis (b. 718.) excipit status infelix, qui eheu! quantum mutatus ab illo! originem sumsit à Protoplastorum peccato, quod in posteros eorum myriades malorum plaustraque infelicitatis advexit, ita ut, quod HOMERUS de ira Achillis dixit, eam infinita mala Græcis fuisse causatam, plurimosque eorum morti tradidisse,

—— μυρὶ' ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε,
πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν. *Iliad.* A. v. 2, 3.

id sensu plenissimò de illo peccato dici possit: mala nempe innumera, infinita, quæ ob multitudinem magnitudinemque nemo assecutus fuerit, illud incolis terræ attulisse, eosque omnes morti tradidisse, plurimos etiam æternæ.

Sch. 2.

Sch. 2. Quàm diu ſtatus ille felix, adeòque tempus, per quod Protoplaſti fœdus Dei ſervarunt, duraverit, Scripturâ tacente definiri nequit; interim ſine temeritate ſtatui poteſt, non adeò longæ fuiſſe durationis: tùm quià aliàs habitum in bono contraxiſſent, tùm intereà ſobolem ſanctam generaſſent; at id demum poſteà legitur factum Gen. 4: 1. cæterùm Sapientiâ Divinâ moderante, contigit, ut tam maritus quam fœmina legem Dei violaverit, „ quid enim (ita loquitur *Cl. Gërtlerus inſt. Theol. Cap.* 10. v. 29.) „ ſi Eva peccaſſet „ ſola, liberine ſancti an corrupti fuiſſent nati, Ma„ trisne luiſſent culpam, an accepiſſent præmium „ Patris?

769. *Inducta fuit autem mulier ad legem Dei transgrediendam per malum genium:* per ſerpentem enim Gen. 3: 1. ſeq. non poteſt intelligi mera beſtia ſerpentis, ſiquidem ratiocinabatur, malum ſeu damnum ex interdicti Divini violatione oriturum in dubium vocando v. 4. è contrà ſtatum perfectiorem ex ejus transgreſſione reſultarum promittendo: hôc pactô namque media ad finem quendam perveniendi inſinuabat, quod Rationem arguit (*Met.* §. 911.), hâc autem beſtiæ deſtituuntur (ib. §. 869. 892.); ergò per ſerpentem illum & cum eo agebat ens Ratione præditum, & quidem malum ſeu pravum, quià mulierem ad actionem malam inducere tendebat; at entia Ratione prædita & prava tùnc nulla fuerunt præter malos genios ſeu diabolos (§. 558.): quippe nulli erant alii homines præter Adamum ac Evam, & præter homines nulla entia rationalia finita niſi genios vel angelos agnoſcit tàm Ratio quàm revelatio (§. 532--534.), oportet igitur talis & quidem malus fuerit, qui Evam induxit ad peccandum. *Ad quod inducta fuit mulier per malum genium.*

Sch. 1. Sanè indè diabolus Servatori dicitur homicida ab initio & mendax Joh. 8:44. inducendo enim hominem vel Evam ad peccandum omnes homines morti tradidit seu in mortem præcipites dedit, quoniam per peccatum mors intravit Rom. 5:12. adeòque homicida fuit, idque ἀπ' ἀρχῆς, *ab initio* scil. Mundi: hæc quippe locutio respondet τῷ בראשית Gen. 1:1. luculentus quàm maximè hanc in rem est locus Apoc. 12:9. 20:2. ubi serpens antiquus (Judæis הנחש הקדמוני) dicitur esse diabolus, & ita indicatur, quid per serpentem in historia tentationis sit intelligendum; etiam vetus Ecclesia Judaica diabolum tenuit auctorem & causam, cur mors in Mundum venerit Sap. 2:24. hinc pro eo, qui Protoplastum ad peccandum induxerit; PAULUS tandem dum Satanam pedibus fidelium conterendnm promittit Rom. 16:20. utique respicit promissionem primam de semine mulieris Caput serpentis contrituro Gen. 3:15. & adeò serpentem explicat per Satanam, consequenter innuit, per sperpentem in illa historia subintelligendum esse diabolum;

Sch. 2. Quòd verò serpens dicatur à MOSE, qui Evam ad peccatum induxit, malus genius, inde est, quia omnino serpens & bestia fuit objectum, quod Eva experta est: MOSES enim more historici indicat res easque describit, ut se sensibus manifestarunt, & juxta judicium intuitivum (*Log. C.* 5. §. 1.), quod formabatur & excitabatur in iis, qui rei gestæ præsentes fuerunt, nempe Eva; res invisibiles autem, quæ per visibiles operabantur, MOSES relinquit, quoniam aliàs de geniis in historia creationis obscurè mentionem fecerat (sch. §. 536.). Itaque jungenda sunt serpens propriè talis & malus genius, qui eò ut instrumentò usus; ideò etiam Deus serpenti seu bestiæ simul maledixit Gen. 3:14. & non tantùm diabolo, „ uti judex, (sunt verba Cel. *Bocharti Hieroz. P.* 1. *Lib.* 1. *Cap.* 4. p. 30.) „ falsarium unà „ cum calamo damnat, & sicarium cum suo telo, & si „ quis cum jumento rem habuerit, Divina lex jumen„ tum etiam morte mulctari jubet Lev. 20:15. & „ bovem cornupetam Deus unà cum Domino occidi „ voluit, si quem feriisset per Domini negligentiam „ Ex. 21:28. 29.

Sch. 3. Quòd autem malus genius potiùs serpente usus

sit

sit pro instrumento quàm alius cujusdam speciei animali, ratio est, quia serpens præ reliquis callidus erat Gen. 3: 1. & inde fraus facilius tegi poterat; nempe ut Eva minus suspicaretur malum genium operari per serpentem, cùm ab astuto animali talia provenire posse cogitare potuerit: loquelam enim transcendere vim talis animalis certò nosse nondum poterat; nec hoc pugnat cum cognitione ei concreata (§. 679.): hæc quippe circa alia versabatur quàm præcipuè naturam animalium (§. 681.), Eva etiam naturam omnium animalium nondum perspectam habere poterat, potius Adamus eam cognoscebat (sch. 2. §. 682.); inde nesciebat, an non Deus animalibus quibusdam tales dederit facultates, quales homini. Porrò pro ratione affertur, quòd serpens agilitate suâ facilè se insinuare potuerit, & eô animali quondam homines delectati fuerint, eô ludere soliti, siquidem non omne genus serpentum noxium fuerit; pro ratione etiam posset valere sententia Eruditiss. Angli Sim. Patrick, qui in *Comment. in Genes.* tenet, serpentem, quô diabolus usus sit, fuisse allatum, volantem, quales in oriente fuerint, quos Scriptura שרף vocet Num. 21: 6. 8. & memoret שרף מעופף *serpentem volantem* Es. 14: 29. 30: 6. sub forma talium serpentum angelos hominibus apparuisse, qui propterea appellentur שרפים Es. 6: 2. & alibi; inde diabolum, qui se in angelum lucis transformare soleat 2. Cor. 11: 14. sub tali forma Evæ comparuisse, sub qua angeli boni apparere solebant, ut eam facilius ad peccandum induceret, vid. *Act. Erud.* 1696. p. 197. 198. serpentes autem ejusmodi volantes dari probat etiam Bochartus è Scriptoribus antiquis & recentioribus, vid. *Hieroz.* P. 2. *Lib.* 3. *Cap.* 13. p. 423. Cæterum ex his patet, historiam hancce de serpente, licèt primô intuitu mira videatur, tamen ita esse comparatam, ut omninò concipi possit, nec necesse sit recedere à sensu literali (§. 173.), quod sine necessitate fieri non debet (§. 170.), uti fecit præter Cel. Thom. Burnetium Bekkerus *mund. fascin. Lib.* 2. *Cap.* 20.

770. Qui motiva suggerit alteri ad peccandum, is eum *tentat*, & *Qui eam tentavit ac se-*

duxit. si per talem motivorum suggestionem eum eò perducit, ut actu peccet, tùnc eum *seducit*, cùm jam diabolus Evæ motiva suggesserit ad interdictum Divinum transgrediendum (§. 769.), adeòque peccandum (§. 620.), & illam eò perduxerit, ut actu peccaret (§. 768.), *diabolus Evam tentavit ac seduxit* 2. Cor. 11: 3.

Sch. 1. Callidè autem rem instituit malus genius: adortus enim erat mulierem, quòd facilius se fine potiturum videret cum ea primò agendo, cùm interdictum Divinum [ut valde probabile est] non ab ipso Deo sed à marito acceperit; deinde existimare se simulabat, interdictum Divinum respicere omnes arbores; verba enim v. 1. לא תאכלו מכל עץ הגן vertenda sunt, *non comedetis ab ulla arbore horti?* stylô enim hebræô כל sæpissimè denotat cum negativa לא *nullum*, vid. Ps. 49: 18. Dan. 11: 37. & quòd Eva verba serpentis ita intellexerit, patet ex ejus responsione v. 2. cùm verò deinde mulier veram interdicti Divini rationem exposuisset v. 3. diabolus illud non ita crudè & apertè negavit: ita enim nil se effecturum videbat, quoniam Eva nimis certa erat de interdicto Dei, & id nimis clarum fuit, ideò studebat saltem consectarium vel damnum ex interdicti Divini violatione oriturum nempe mortem removere, quasi mulier metu mortis ob interdicti violationem sibi obventuræ ut præjudiciô quôdam detenta esset, quô se eam liberare velle bonâ specie præ se ferebat; hinc non dixit, *Deus vobis id non interdixit*, sed *non moriemini* v. 4. quod ut eo facilius persuaderet, probabile est, ut interpretes quidam existimant, se suô exemplô id comprobasse, comedisse nempe serpentem de fructibus arboris vetitæ, fuisse crebrò circa eam &c. ipsôque factô mulieri ostendisse, fructuum horum esum ac usum innoxium esse: quippe sibi nullum inferre damnum, hinc nec mulieri tale quid inde oriturum esse, è contrà esum eorum majorem adhuc perfectionem inferre, hanc & se ei debere, ope ejus se perductum esse ad tantam humanæ naturæ similitudinem, quam mulier admiretur, & de facto videat, inde

inde clarum esse, Deum propterea interdixisse fructibus arboris illius, quoniam majorem homini perfectionem felicitatemque invideat: id namque innuunt verba serpentis v. 5. atque in hisce consistebat illa πανουργία serpentis 2. Cor. 11: 3.

Sch. 2. Quòd autem malus genius hominem seducere quæsiverit, provenit tùm ex invidia erga hominem, tùm è studio Deo retinendi: per seductionem enim tendebat hominem è statu suo felici deturbare, adeòque felicitatem hominis quasi ferre non poterat, consequenter tædiô ob eam afficiebatur, id verò est invidia (*Met.* §. 460.); & dum homini persuadere conabatur, ut obedientiam erga Deum detrectaret, interdictum ipsius violando, Deo reniti studebat: id namque quærit malus genius, dum Imperium Dei minuere allaborat (sch. 1. §. 563.). Ex eo etiam, quòd malus genius hominem seduxerit, patet, angelos peccasse ante hominem vel ante hunc à Deo defecisse.

Homo seductus fuit mediante perversâ & confusâ boni malique repræsentatione.

771. *Quòd homo seduci se passus fuerit, provenit ex perversis & confusis boni malique repræsentationibus:* venit ex repræsentatione boni, quoniam spem & desiderium conceperat homo perfectionis majoris (§. 769.), dum autem perfectionem hanc per transgressionem interdicti Divini obtineri sibi persuasit, eam habuit pro medio ad bonum, adeòque pro ipso bono quodam, servationem verò interdicti pro impedimento majoris boni, adeòque pro malo, id autem est sibi bonum malumque perversè repræsentare; prætereà dum esum fructûs prohibiti felicitatem sibi allaturum pro certo tenuit, & fructum illum aspectu pulchrum deprehendit Gen. 3: 6. repræsentatione sensuali ad ejus esum adeòque ad interdicti Divini violationem perductus fuit, repræsentationes sensuales autem sunt confusæ (*Met.* §. 277.).

Sch. 1. Etiam dici potest, per vitium subreptionis (*Log. C.* 5. §. 4.) contigisse, quòd Eva seduci se passa fuerit: videns enim serpentem naturæ humanæ quàm similem, adeòque illum judiciô intuitivô cognoscens, credidit simùl, eam serpentis præstantiam, quâ ad perfectionem humanam accedebat, aut eam tantùm non superabat, provenire ab esu fructûs prohibiti; valdè nempe probabile est, (ut in anteced. sch. 1. §. 770. monitum) serpentem comedisse priùs de fructu illo, mulierique persuasisse, se naturæ suæ præstantiam fructui illi debere; mulier inde non aliud putabat, quàm id se itidem experiri seu judiciô intuitivô cognoscere, quòd nimirum serpentis præstantia veniat ab esu fructûs prohibiti, quòd verò non experiebatur: quippe erat illud judicium discursivum; ubi verò quis experiri se quid putat, quod nonnisi per judicium discursivum cognoscit, ille committit vitium subreptionis. Unde confirmatur, per repræsentationem confusam mulierem seductioni cessisse: vitium quippe subreptionis arguit cognitionem confusam, & per distinctam tollitur; repræsentatio illa confusa mulieris etiam respicitur ex eo, quòd præstantiam serpentis visu audituque, hinc per Sensus adeòque confusè, perceperit.

Sch. 2. Mulier nempe serpentem visu audituque percipiens non potuit non eum considerare cum relatione ad statum aliarum bestiarum, & ad statum suum: siquidem omnino eum admirata fuerit oportet; repræsentationibus sensualibus indulgens autem, vidensque serpentem frui arbore prohibitâ, audiens item magnifica prædicari de ejus salubritate, considerans deinde serpentem in relatione ad arborem, mox ad se, mox se ad arborem nec non statum suum præsentem ad futurum, quem sperabat &c. mentem habebat obruram multitudine cogitationum; hæc ideò animum mulieris perturbatum reddebant, ac repræsentationes confusas omninò inducere debebant, tantò magis, quòd brevissimô tempore vel celeriter omnia ea contigerint; id namque pro calliditate sua quærebat malus genius, cùm eô modô facilius se fine potiturum probè sciret.

Sch. 3. Per quas repræsentationes autem mulier seducta fuit, per easdem vir à muliere seductus fuit, ut comederet de fructu prohibito Gen. 3: 6. inde Deus spem impetrandæ perfectionis majoris tam virô quam mulieri expro-

exprobrabat v. 7, 11. atque hæ fuêre cogitationes illæ multæ, quibus homo rectam, quam à Deo acceperat, mentem perdidit Eccles. 7: 29. Mirum autem videri potest, quòmodo possibile fuerit, ut Adamus interdictum Divinum, quod ipse immediatè à Deo acceperat, tamen non diutius servaverit; ad quod notandum, eum probabiliter non inaudivisse serpentis cum muliere colloquium: aliâs tanquam caput uxoris interfatus fuisset, cùm res, de qua agebatur, ad se quoque spectaverit; deinde quòd, postquam mulier comedisset, nullum ita mox ei supervenire damnum viderit: quippe illa non fiebat conscia nuditatis suæ, antequàm maritus comederat v. 7. unde hic & sibi impunitatem promittere potuit; cæterum quoad tentationis primorum parentum à diabolo factæ historiam lectu digna est *exercit.* Zur Lindens in eam, Jenæ, 1734. in qua rationes factorum redduntur ex regulis logico --- moralibus.

Non obstante imagine Divinâ possibile fuit, ut homo peccaret.

772. E dictis patet, *quòd & quomodo possibile fuerit, ut primi parentes peccarent, non obstante imagine Divinâ, quâ ornati erant:* imago enim Divina licèt cognitionem involverit (§. 705.), tamen non excludebat repræsentationes confusas, nec possibilitatem repræsentationum perversarum; dotes etiam imaginem Divinam constituentes erant limitatæ ac mutabiles (§. 683. 694.), in iisque protoplasti nondum habitum contraxerant, vel òbfirmati erant longò crebrôque exercitiò, ut hinc interdictum Divinum omnino transgredi potuerint, licèt eâ ornati, præsertim ad id allecti pollicitatione felicitatis majoris (§. 769.).

Perpendendum nempe, hominem occasionem peccandi non ipsum quæsivisse, nec propriò instinctu in animum induxisse, quòd velit interdictum Divinum transgredi, è contrà hæc ipsi insidiosè suppeditasse ac suggessisse malum genium; Eva nimirum [ut dubitare non licet, & quod observat etiam Auctor *exercit.* modò laud. §. 70.] vi imàginis Divinæ sibi concreatæ assidua erat in contemplandis creaturis tanquàm speculis

perfectionum Creatoris (§. 680.), objecit autem se inter alias etiam malus genius in forma serpentis, quod Eva impedire non potuit, nec potuit eum non videre (*Met.* §. 226.), nec scire, num mera sit bestia: cum naturam omnium bestiarum nondum perspectam habere potuerit (sch. 3. §. 769.); minus, quòd sub ea lateat malus genius: cum, etsi sciviſſet, creatos esse à Deo spiritus adhuc alios præter mentem humanam, tamen, quòd jam peccaverint, malique sint, scire nondum potuerit; inde bestiam illam admirata ob suavitatem amoremque, quem præ se ferebat erga hominem, eâ delectata, cum ea sermones miscens, tempus terens, pollicitatione ingentis felicitatis animum nacta est perturbatum variis repræsentationibus (sch. 2. §. 771.), ut appetitum conciperet felicitatem propositam obtinendi transgrediendo interdictum Divinum, quò fortiter impulit vitium subreptionis ab ea commissum (sch. 1. ib.); repræsentationes illæ fortes confusæque affectum in ea pepererunt, ex affectu autem facillimum erat, ut actus transgressionis ipse consequeretur. Unde etsi affectibus homo turbatus non fuerit in statu innocentiæ (§. 689.), nempe de se ipso & propriâ suggestione, tamen suggestione & incitatione ab extra veniente id est tentatore id fieri omninò facilè potuit, nequicquàm obstante imagine Divinâ; ut omninò Socin. haud firmiter rationes subducant, contendentes ex eo, quòd Protoplasti mox interdictum Dei transgressi seque seduci passi fuerint, ipsos carnisse imagine Divinâ tali, quali communiter ornati fuisse dicantur.

Non per saltum id factum est.

773. Patet porrò, *non per saltum factum esse, ut primi parentes peccarent, sed successivè:* uti enim ea, quæ in corporibus fiunt, non per saltum fiunt (*Met.* §. 686.), ita nec ea, quæ in anima fiunt (ib. §. 333. 334), id est cogitationes appetitionesque ejus.

Sch. 1. Accedit, quòd ea, quæ per saltum fiunt, hinc simultanee, intelligibiliter explicari nequeant (*Met.* §. 90.), peccatum autem primorum parentum, quomodo factum fuerit, intelligibiliter explicari possit (sch. 1 – 3. §. 771. & sch. §. 772.)

Sch. 2.

Sch. 2. Quoad nos hîc dicimus, protoplastos non per saltum peccasse sed successivè, id aliâs à Theologis dicitur, quòd *diversis passibus* peccatum commiserint, vid. Gürtlerus *inst. Theol. Cap.* 10. §. 35. qui etiam gradus designat, per quos ad peccandum induci se passi sint, licèt de ordine temporis disputandum non esse moneat, itaque rectè: ea enim, quæ in anima fiunt, adeò subitò se invicem consequuntur, ut, quamvis tempore non careant (*Met.* §. 736.), tamen adeò breve requirant, ut ita se nobis sistant, ac si contingant simultaneè (*Met.* 335. 446.), quamvis acumine pollentes varia in iis sibi invicem succedentia distinguere valeant (ib. §. 334.).

774. Peccatum primorum parentum, quò transgressi sunt interdictum Dei de abstinentia à fructu arboris cognitionis boni malique (§. 722. 723. 768.), dicitur *lapsus* eorum; ad hunc igitur inducti fuerunt à Diabolo (§. 770.), lapsusque protoplastorum erat possibilis non obstante imagine Divinâ, quâ ornati fuêre (§. 772.). *Lapsi sunt & quomodo.*

Ab ipso quoque Paulo peccatum hoc appellatur *lapsus*, παράπτωμα Rom. 5: 17. item *transgressio* παράβασις v. 14. quia illud patrando legem Dei transgrediebantur primi parentes, nec non *inobedientia*, παρακοὴ v. 19. quià Deo obedientes non manserunt.

775. *Decretum Dei ac providentia Ipsius circa lapsum primorum parentum versata fuêre, interim tamen Deus non fuit causa lapsûs:* prius propositionis membrum clarè patet ex eo, quòd decretum Dei se extendat super omnia in Mundo (§. 410.), & quòd providentiæ Ipsius omnes subsint eventus (§. 657.); posterius ex eo, quòd Deus, quia peccatum Ipsum non decrevit (§. 629.), nec lapsum decreverit volueritque, sed nonnisi permissionem ejus (§. 635.), homoque liberrimè lapsus fuerit *Decretum & providentia Dei Eum non faciunt causam lapsûs.*

rit (§. 641.), cùm facillimè sibi ab eo cavere potuisset, instructus viribus sufficientibus (§. 701. 702), ut ratio lapsûs fuerit in ipso, hinc ipse fuerit causa ejus, & non Deus.

Equidem objici potest, Deum esse causam lapsûs, quià sit causa eorum, per quæ lapsus actum consecutus est, dùm rationes ac circumstantias adduxit, mediantibus quibus lapsus determinatus fuit, Illum namque, qui sit causa causæ, etiam esse causam causati, Deum lapsum permisisse non otiosè sed efficaciter (§. 572. 640.); at respondetur, propositionem illam, *qui est causa causæ, etiam est causa causati*, limitandam esse in causis moralibus: potest enim quis rem producere bonô fine, quàm alius deinde in malum finem trahit, & causam mali facit, prior quidem est causa causæ, sed tamen non causa causati, quià illam non produxit tanquàm causam mali, sed bonum in finem; Deus quidem per decretum suum seriem causarum ita ordinavit (§. 415.), ut præviderit, hominem per eas liberè esse lapsurum (sch. §. 419. & §. 423.), tamen positivô actu eum non concitavit ad lapsum, absit! homo liberè se determinavit ad lapsum, Deus autem eum permisit, & quià permisit, certò evenit: *permissio* enim est negatio vel suspensio efficientiæ, quæ si opponeretur, factum ab agente non eliceretur. Hôc sensu potest quidem permissio dici efficax, neutiquàm verò ac si Deus lapsum positivè effecisset, licèt concursu suô circa eundem versatus fuerit; quæ reliqua interim dubia cuidam hic suboriri possent, discussa jam sunt supra (§. 592 – 641.), ubi de concursu Dei, speciatim circa actiones malas, quæ ad lapsum primorum parentum applicanda, nec non ad quæstionem, quare Deus illum permiserit: nimirum, quia perfectissimi Universi systematis idea ita tulit, ut in nostro globo, qui non est nisi appendix unius stellæ fixæ (sch. 3. §. 506.), primi hominis peccatum & inde in posteros manans corruptio permitteretur, quæ cum reliquis Universi vastissimi eventibus tam simultaneis quàm successivis randem efficerent harmoniam illam universalem (§. 443.), captum omnium mortalium transcendentem;

Gravitas peccati primi

776. *Grave autem erat peccatum, quod commisêre primi parentes de fructu*

tu arboris vetitæ comedendo: à Deo panamque immissi erant in statum felicissimum (§. 718.), obligatos propterea se sciebant ad obedientiam erga Eum perfectam seu plenariam servationem Legis naturalis ac positivæ (§. 681. 727.), tanquàm gratitudinem Deo debitam, ingratos adeò quàmmaximè se gerebant erga Deum, interdictum ipsius violando; pomum plùs fecerunt & curarunt quàm Voluntatem Dei expressam, effatum Ejus de morte sibi accersenda non prorsùs pro certo tenuerunt, adeòque vel ad veracitatem vel potentiam Divinam aliquâtenus in dubium vocandam induci se passi sunt; tandem facillimè sibi ab eo peccato cavere potuissent: sufficientibus quippe à Deo instructi viribus (§. 701. 702.), nullâque planè necessitate nec internâ nec externâ adigebantur ad comestionem fructûs prohibiti. *morum parentum.*

Sch. 1. Nimirum quando de gravitate hujus primi delicti agitur, non attendendum est ad materiam, circa quam commissum, quæ utique in se vilis videri posset, sed tùm ad interdictum expressum Dei, tùm ad animum, quem ostendebant primi parentes peccatum illud patrando, circumstantias item, in quibus positi erant; etiam in humanis, ubi delictum aliquod puniendum, non semper respicitur materia, circa quam commissum, sed audacia animi in eo committendo, quæ facit, ut vel magis vel minùs grave judicetur, sic ex. gr. levissimum furtum tempore belli commissum gravius à belli Duce reputatur, quàm aliud, quod alio tempore, aliis sub circumstantiis commissum fuerit circa res multò pretiosiores, quia nempe respicitur ab ipso tùm interdictum suum expressum, tùm audacia animi in transgressore, facilitas item obedientiæ, quæ præstari posset, non autem materia, circa quam commissum fuit; peccatò hocce protoplasti ipsam etiam legem naturalem de amore Dei (sch. §. 772.) transgressi sunt, nempè mediatè, unde porrò gravitas ejus augetur;

Sch. 2.

Sch. 2. Gravitas quoque hujus delicti non imminuitur per ea, quæ in anteced. (sch. 1. §. 770. §. 771. & sch. 1-3. ib. item sch. §. 772.) diximus, quomodo possibile & facile fuerit, ut primi parentes ad illud committendum induci se paterentur obedientia quippè semper facilis mansisset, potuissent etiam saltem paulatim differre actum commissionis, unde affectus vel sedatus vel imminutus fuisset, quò turbabantur (sch. §. 772.); in humanis etiam culpa non imminuitur, etsi quis affectu abreptus delictum committat;

Ex uno peccato alia nascuntur.

777. *Ex uno peccato per nexum causarum ac effectuum nascitur alterum, ex hoc iterum aliud, & sic porro:* in anima enim status è statu pendet, posterior è præcedenti (*Met.* §. 925.); porrò è peccato voluptas percipitur, hæc quippe est motivum, quare committatur, namque nil sine motivo agunt homines (ib. §. 496.), talia autem non sunt nisi repræsentationes boni (ib.), bonum jam vel perceptum vel percipiendum voluptatem parit (ib. §. 423.), voluptas antè percepta reproducitur ab imaginatione occasione sensationis præsentis (ib. §. 238.), & à memoria recognoscitur, quòd ex hoc vel illo peccato percepta fuerit (ib. §. 249.), hinc denuò instigat ùt motivum aliquod ad peccatum aliud committendum, seu recedendum à Lege (*Mor.* §. 181.).

Quivis ad seipsum attendens experitur, quomodo, ubi semel hanc vel illam actionem malam commiserit, posteà in se inclinationem persentiscat ad eam iterùm committendam, actuque committat occasione ferente, & quomodo ex uno genere malarum actionum oriantur alius generis; in moralibus res ferè eôdem se habet modò uti in logicis, quando ratiocinium falsum vel error commissus fuerit, inde per nexum alii oriuntur (*Met.* §. 398.), aut uti in arithmeticis, ubi si calculus quoad unum falsò subductus fuerit, alios deinde errores

errores in calculo parit; vid. etiam, quæ hanc in rem habet Cl. Canzius *Jurispr. &c.* §. 822. l. m.

778. Cùm itaque ex uno peccato alia oriantur (§. 777.), ideò etiam *primi parentes semel peccatò commissò in alia deinde inciderunt.* *Quod in Protoplastis factum.*

Ab initio nempè tardiùs, progressu autem temporis frequentiùs & facilius; non ideò multiplicationem peccatorum à primis parentibus commissorum tali oportet concipere modò, quasi Deus illos in pœnam peccati primi ultrò in peccaminositatem immiserit, ac peccaminosos quasi effecerit, [licèt peccata sequentia pœnæ etiam dici potuerint primi] (§. 643.), sed quòd nexu physicò per Leges psycholog. alia dein peccata sponte insecuta sint, uti etiam rem explicat Ill. Leibnitius *Cauſ. Dei* §. 80. ita enim omnia explicari possunt per naturam animæ, per consequens, quomodo naturaliter contigerint, quàmvis, si peccaminositas illa ita concipiatur, ut actum consecuta per Leges psycholog. à Deo stabilitas; qui illam ex iis secuturam præsciverit, non multum differet ab eo, quod nos stabilitum imus.

779. *E sæpiùs & diu patratis peccatis oritur servitus peccandi:* etenim è sæpiùs & diu patratis actionibus contrahitur habitus eas patrandi (*Met.* §. 525.), quæ est facilitas illas committendi (ib.), ergò & ex malis actionibus talis oritur seu è peccatis, voluptasque ex iis commissis percepta instigat, ut occasione ferente iterum committantur (§. 777.), quin occasiones quærantur, homoque adeò abripiatur ad peccata committenda (*Mor.* §. 383.), in hoc autem consistit servitus moralis (*Met.* §. 491.). *Undenam oriatur servitus peccandi.*

De servitute in peccatis sermo est Rom. 6: 16. 17. 20.

780. Servitus hæc malè agendi seu peccandi Theologis dicitur *mors in peccatis*, etiam *mors spiritualis*, quæ adeò est defectus virium agendi juxta legem ac ex *Quomodo aliàs dicatur.*

moti-

motivo perfectionum Divinarum, è contrà conatus & habitus contrarium agendi, uti *mors* in genere est defectus virium agendi.

Mors est oppositum vitæ, uti jam vita, quià dicit existentiam activam (§. 281.), involvit vires agendi, ita mors consistat oportet in defectu virium agendi; *mors corporis humani* est talis Ejus status, quô vi motrice non ampliùs ita est præditum, ut ad membra sua movenda aptum sit; *mors hominis* est cessatio statûs, quô utraque ejus pars essentialis pollet vi agendi harmonicâ; hæc imò etiam illa prior Theologis aliàs audit mors *naturalis*, item *corporea*, & quoque *temporalis*; *mors animæ* consisteret in tali ejus statu, quô careret vi cogitandi & appetendi, talis autem quià non datur (§. 522. 524. 525.), ideò mors animæ sumitur moraliter, quâtenus nempe actiones liberas non determinat juxta legem, inde enim moralitas exurgit (§. 64.), & quâtenus motiva actionum desumere solet à repræsentationibus sensuum, imaginationis, non autem à perfectionibus Divinis sive ex natura sive ex revelatione cognitis; atque hoc constituit statum illum, qui dicitur, *mors spiritualis*; à qua non differt *vita carnalis*, etsi aliàs vita & mors sint oppositæ. Status ille adeò respectu animæ dicit, quòd appetitiones ipsius contrarientur Legi ac perfectionibus Divinis, respectu corporis, quòd motus producat appetitionibus illis malis conformes, adeòque respectu totius hominis, quòd anima & corpus harmonicè agant contra legem ac perfectiones Divinas, ita homo longô tali exercitiô defectum virium vel impotentiam benè agendi sibi accersiverit; de morte spirituali sermo est Eph. 2: 1. 5. Col. 2: 13.

In eam protoplasti inciderunt.

781. Dùm itaque primi parentes peccata sæpiùs & multùm de novo patrarunt (§. 778.), vel reiterarunt, etiam *in servitutem peccandi inciderunt* (§. 779.), seu *morti spirituali subjecti fuêre.*

Sch. 1. Etiam protoplasti commissô peccatô primô mox in aliud inciderunt, dùm culpam admissam novô peccatô excusare voluerunt, Adamus quidem culpam transferendo in mulierem & tantùm non in Deum ipsum Gen. 3: 12. mulier autem in serpentem v. 13.

Sch. 2.

Sch. 1. Hæc omnia, quæ dicta sunt (§. 777 — 781.), qui secum perpenderit, ei non multum negotii facessent dubia Socin. & Armin., quæ movent, ut evincant, è peccato primo non potuisse oriri habitum peccandi & mortem spiritualem: nimirùm non per saltum eò devenêre primi parentes, sed successivè, etiam forsan longô temporis tractu, licèt de hoc ultimo nil possit definiri; contra Socin. hac de re disputat Hoornbeckius *Socinian. confut. to.* 1. p. 581. 582. confer. etiam Canzius *Jurispr. Div. Dei* §. 822. a — n.

782. *Qui peccat, is etiam ad pœnam obligatur:* etenim quià pœna est malum, quod Legislator cum actione connectit ùt motivum pro ea omittenda (*Mor.* §. 36.), ideò jus ei competit illud actu connectendi cum tali actione, ubi nihilominùs commissa fuerit, id est, cum actione mala seu peccato (§. 620.), adeoque jus peccanti malum istud infligendi; juri autem ex altera parte respondet obligatio passiva (per princ. moral.), quæ est necessitas moralis, ut jus facultas moralis agendi (§. 576.), ergo peccans ad pœnam obligatur; idque etiam propterea, quòd, dum scit, malum aliquod cum actione quadam connexum esse, sicque noscit consequens hujus, quæ est antecedens, & dum nihilominus actionem committit, consentit in consequens, ubi autem consensus in aliquid, ibi ratio maxima & obligatio ad patiendum etiam. *Peccatum obligat ad pœnam.*

783. Primi parentes itaque admisso peccatô ad pœnam etiam obligabantur. *Hinc & primos parentes.*

784. Obligatio ad pœnam vel patiendum malum dicitur *demeritum*, item *reatus pœnæ*, & qui ita obligatur ad pœnam ferendam, seu cui debetur, *reus*. *Demeritum quid, item reatus pœnæ & reus.*

Sch. 1. Quoniam obligatio passiva respondet juri ex altera parte (§. 782.), ideò ubi illa est, & hoc ex altera parte locum invenit, hinc ubi demeritum, ibi jus alterius tale malum infligendi; propterea demeritum etiam definitur per obligationem patiendi id, ad quod faciendum aliis ob malas actiones alterius jus est; cui definitioni nostra non contrariatur: cùm supponat, quod illa addit, uti nec ei, quando definitur per nexum actionis cum pœna: nexus enim illius cum hac dicit obligationem ad hanc, & iisdem nititur rationibus, quibus obligatio.

Sch. 2. *Ratus* & *reus* sunt termini ICtis recepti, reatus iis dicitur ille status vel illa conditio, in qua rei sunt, donec vel solvant vel condemnentur, Theologis autem est obligatio ad pœnam; reus etiam dicitur aliàs ille esse, qui pœnam promeritus est, tùnc autem quis pœnam promeritus dicitur, quando ratio maxima adest, cur ei infligatur, quæ ratio desumta est ab iis, de quibus proximè seq. §. In sacris reatus dicitur אשם Lev. 5: 15. Ps. 68: 22. & אשמה Esr. 9: 6. 7. reus אָשֵׁם Lev. 4: 22, 27. ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι Rom. 3: 9. ὑπόδικος v. 19.

Pœnam Deus primis parentibus infligere debuit

785. *Deus primis parentibus non potuit non infligere pœnam:* etenim Deo competebat jus talem infligendi (§. 782.), præterea Deus pœnam expressè comminatus erat (§. 722. 728.), quòd si jam comminationem executioni quoque non dedisset, nec veracitatem suam (§. 305.), nec justitiam (§. 315.) ostendisset, & hæ virtutes à primis parentibus in dubium vocatæ fuissent, quorum verò neutrum Sapientia Dei permittit (§. 269. 270.).

Nempe id non ita intelligendum, ac si Deus mox post admissum peccatum morte temporali æternâque primos parentes punire debuerit, adeòque comminationem suam immediatè post casum transgressionis Legis actu implere, quasi aliàs Veracitas Divina sibi non constitisset, neutiquàm: nam, ut mox monebitur, mors tempora-

poralis non iis immediatè post peccatum infligenda fuit, Deique comminatio id propriè volebat, hominem, si peccet, statim deinde mortali conditioni subjiciendum & tandem actu moriturum, morte quoque æternâ se dignum redditurum esse: „ nam comminatione (uti loquitur H. Grotius *de satisfact. Cap. 3 §. 5.* edit. Langianæ, Lipsi. 1730.) „ Apertius duntaxat de- „ claratur meritum pœnæ in peccante, & jus puniendi „ in comminante; & §. 6. „ omnes enim minæ, qui- „ bus non adest irrevocabilitatis signum, intelligendæ „ sunt ex suâpte naturâ de jure comminantis ad relaxan- „ dum nihil imminuere;

786. *Pœna talis, quam Deus homini primo comminatus fuerat infligendam in casu peccati, erat mors corporea seu temporalis:* hanc quippe obiit homo licèt seros in annos dilatam Gen. 5: 5. nec obiisset, nisi peccasset Rom. 5: 12. *Talis est mors temporalis.*

Sch. 1. Conf. dicta (§. 715. & sch. 1 -- 3. ib.), ubi & objectionibus occurritur, mortem ideò temporalem seu tam actum moriendi quàm futuritionem ac certitudinem ejus sequelam naturæ esse nemo dicere potest Rom. 6: 23. conf. (sch. 2. 3. §. 716.),

Sch. 2. Mortem corpoream infligere Deus tamdiu distulerat, quò homo primus posset genus propagare, liberis nepotibusque recensere creationem, statum innocentiæ, lapsum &c. & etiam, ut juxta longanimitatem suam (sch. §. 312.) homini concederet tempus pœnitentiæ agendæ, interim ab eo tempore, quò homo peccavit, mortali conditioni subjectus fuit, scivitque, moriendum sibi, ac nil aliud nisi mortem expectandam esse, & quidem, neutiquàm ut solamen vitæ calamitatibus refertæ: non enim hic est sensus verborum Dei Gen. 3: 19. ut Socin. volunt; nec homines considerant mortem ut finem calamitatum, verum ut aliquid, quod adhuc superat omnes calamitates, hinc eò magis formidinem incutit tremoremque Syrach 40: 1. 2. quod vel exemplò patet hominis carcere detenti ac supplicium mortis expectantis, quocum etiam statum Adami, postquàm peccavit ac ideò mortem ceu pœnam suppliciumque expectandum habuit

buit, comparat Philosophus Anglus LOCKIUS de *rationabil. Christ. to.* 1. *Cap.* 1. p. m. 4.

Labor item durus, morbi & calamitates.

787. Porrò *pœna peccati erat, quòd homini multô sudore laboreque victus esset quærendus, quòd terra esset sterilis, ingrata, quòd liberi multo cum dolore in lucem edendi essent à Matribus, quòd morbis aliisque calamitatibus plurimis homines affligerentur:* quippe Deus illa post commissum ab homine peccatum expressè ei indixit Gen. 3: 16-19. adeòque ùt pœnas peccati deinceps infligendas memoravit; morbi autem fuissent à statu innocentiæ (§. 715.), & hinc pœnæ sunt peccati; calamitates tandem quascunque Deum etiam sub comminatione mortis Gen. 2: 17. intellexisse inde probatur, quià stylô Scripturæ [ex cujus collatione illa explicanda] (§. 167.), mortis nomine quoque veniunt, idque apud ipsum MOSEN Ex. 10: 17. sic & 2. Cor. 1: 10. uti è contrà τὸ benè esse, quod est oppositum calamitatum, vitæ nomine venit Ps. 22: 27. 69: 33.

Sch. 1. Ex his etiam ulterius responderi potest ad dubium, ad quod jam responsum est (sch. §. 785. & sch. 2. §. 786.), qui factum fuerit, ut Deus pœnam mortis comminatam non ita mox inflixerit, ut tamen fieri debuisse videtur, ob veracitatem Ipsius: nimirum Deus pœnam incepit executioni dare tùnc, cùm homo subjectus fuit variis calamitatibus, quas etiam intellexit sub mortis nomine, adeòque hôc sensu Deus pœnam mortemque inflixit eô tempore, quô eam infligendam comminatus erat.

Sch. 2. Laborem sudoremque de victu quærendo terraque colenda à peccato venire ex loc. cit. Gen. 3: 17--19. clarè edocemur, cum peccato itaque connexum quid est; esse autem mali quid non credo negari posse: siquidem tædium ac molestiam affert, quod verò tale creat, malis annumerandum (*Met.* §. 427.).

Nimi-

Nimirùm non negamus, laborem sudoremque de terra colenda aliquando imò sæpè posse esse boni quid: dùm per eum majus malum avertitur, v. g. lascivia, paupertas, morbi, interim in se molestiam affert, animum corpusque excruciat, adeòque ad imperfectionem animi corporisque propriè contribuit, quô ipsô quid malum est (*Met.* §. 426.), cùm igitur sit malum cum peccato connexum, est pœna peccati, per definit. pœnæ (*Mor.* §. 36.), connexum nempe à Deo Legislatore (§. 722.), à cujus Intellectu uti nexus inter possibilia venit (§. 248. & sch. 2. ib.), ita quòd deinde actualis fiat inter res actu existentes, à voluntate Ipsius venit (§. 277.).

788. *Pœna, quæ primis parentibus ex admisso peccato obveniebat, erat etiam pudor, quô suffundebantur, angor, quô detineri cœperunt, nec non morsus conscientiæ:* quòd namque pudore suffusi fuerint, ex eo videre est, quià consutis foliis subligacula sibi fecerunt Gen. 3: 7. ad nuditatem suam tegendam, ob quam ante admissum peccatum non erubuerant Gen. 2: 25. quòd angore detineri cœperint, inde patet, quià auditâ voce Dei præsentiam suam indicantis fugiebant conspectum Ipsius, abscondebantque se sub arboribus horti 3: 8. 10. præ metu nempe ib. vers. 10. seu quòd anxii nescirent, quid facere vellent, ut pœnam effugere possent, quippe non ignorabant, præ Deo omnipræsenti inutile esse se abscondere (§. 678. 681.); morsus conscientiæ non poterant non persentire: siquidem videntes, peccatô se sibi infelicitatem accersivisse, conscientia consequens contrariebatur antecedenti (*Mor.* §. 77.); proinde eos accusabat (ib. §. 104.), hinc tædium creabat (*Met.* §. 417.), in quo consistunt morsus conscientiæ (*Mor.* §. 109.). *Ut & pudor, angor, morsusque conscientiæ.*

Etsi itaque MOSES non memoret expressis verbis, quòd primi parentes post admissum peccatum morsus conscientiæ in se persenserint, nihilominùs id sine temeritate affirmari potest: juxta regulas namque psycholog. non aliter fieri potest, ac quilibet, qui per facinus quoddam se infelicem reddidit, hoc ita in se fieri experitur, hinc & idem fuerit oportet in primis parentibus (§. 515.).

Præcipuè mors æterna.

789. Tandem *maxima pœna, cujus primi parentes per peccatum se reos faciebant, erat mors æterna:* hanc enim Deus iis comminatus erat (§. 728.), eamque vocabulum mortis in Scriptura denotat (ib.), & peccatum illam post se trahit Joh. 3: 16. 36. prætereà quòd ejus demeritum sibi accersiverint, clarè satis Deus illis indicavit, ipsos expellendo è paradiso Gen. 3: 23. viam, quæ ad arborem vitæ ducebat, muniendam tradendo Cherubinis ancipitem gladium gerentibus v. 24. paradisus quippe ac arbor vitæ primis parentibus erant signa vitæ cœlestis (§. 733.), hæc consequenter erat *signatum*, cùm jam Deus eos signò privarit, clarè innuit, dignos esse, qui priventur signatò seu vitâ cœlesti.

Sch. 1. Signum namque est propter signatum, seu ut hoc alicui repræsentetur, ac per illud cognosci possit, qui ergò signum tollit, (de arbitrariis nempe sermo est) etiam signatum se velle tollere innuit;

Sch. 2. Nempe non dicimus, primos parentes actu incurrisse mortis æternæ pœnam, sed tantùm eam promeritos fuisse: ad eam enim effugiendam media ipsis a Deo exhibebantur [quo de autem plenius demum Loco VIII. & XI.] hic tantùm dicimus quod receperint promissionem Dei de Liberatore, & quòd Adamus fœminam appellaverit חוה Gen. 3: 20.

Peccando protoplasti amisêre imaginis Divinæ dotes, queis antè ornati erant: dum enim

Peccando protoplasti amisêre imaginis Divinæ

790.

enim interdictum Dei transgressi sunt, non voluerunt ea, quæ Deus voluit, nec Deum amarunt, signum namque amoris erga Deum est, quando vitantur, quæ Deus vetat (*Mor.* §. 693.), amiserunt ergò sanctitatem (§. 685.); porrò peccando ac deinde in peccatis committendis habitum contrahendo (§. 779. 781.), externis actionibus non tendebant ad bonum finem (§. 620), de fructu item comedentes amabili aspectu Gen. 3:6. Sensus ipsorum non suberant Intellectui; tandem commissò peccatô morsus conscientiæ persentiscebant (§. 788), at contraria horum omnium erant dotes cum imagine Divina arctissimè conjunctæ (§. 686. 690. 693. 702.), eas itaque primi parentes peccando amiserunt. *dotes.*

Sch. 1. Equidem dicitur, etiam post lapsum hominem ad imaginem Dei adhùc esse conditum Gen. 9: 6. Jac. 3: 9. at imago Dei complectitur varia dona (§. 707.), est etiam bonum imaginis physicum (sch. ib.), ut taceam reliquas imaginis Divinæ, de quibus deinceps.

Sch. 2. Imaginem Dei amittere cœperunt protoplasti, quàmprimùm peccarunt: tunc enim non amplius manserunt sancti, in quo tamen vel præcipuè consistebat imago Divina (§. 701. 702.); ideò non ita mox eam amisêre. Etiam dici potest, quòd non prorsus & planè illam amiserint: dùm cognitionem sibi concreatam (§. 679.) non omnem perdidêre, & aliqualis saltem restabat dispositio voluntatis ea agendi, quæ ad gloriam Dei propriamque perfectionem faciebant, licèt tenuis, quam ut Deus conservaret in integro, indignos se reddidêre per peccata sua reiterata (§. 778. 781.).

791. Status hicce primorum parentum, quò lapsi sunt (§. 774.), & porrò deinde peccarunt (§. 778.), ac per hoc morti se subjecerunt temporali (§. 786.), ærumnis (§. 787.), reosque se fecerunt mor- *Quomodo status ille dicatur.*

mortis æternæ (§. 789.), nec non amiserunt imaginem Divinam (§. 790.), appellatur *status destitutus*, item *status peccati.*

E statu adeò instituto seu innocentiæ (§. 700.) protoplasti delapsi sunt in statum destitutum & peccati.

Adamus fœdus operum fregit etiam pro posteris.

792. Adamus peccatô primô fregit fœdus cum Deo initum Hos. 6: 7. seu fœdus operum (§. 749.), dum id non servavit (§. 768.), cùm jam Deus fœdus hocce in Adami persona pepigerit cum omnibus ejus posteris (§. 755.), & is pro omnibus hisce illud acceptaverit (§. 756.), sequitur, *quòd Adamus fœdus operum fregerit non solùm pro se sed & posteris suis*, vel *non tantùm suô sed & posterum nomine:* comestio enim de fructu arboris prohibitæ fuit factum Adami ùt Capitis repræsentativi (§. 762.), quoniam relationem suam habebat ad fœdus cum Deo erectum: siquidem erat transgressio Legis fœderis (§. 748.), intuitu fœderis hujus autem Adamus fuit Caput repræsentativum (§. 763.), jam verò Caput repræsentativum est, quod nomine etiam aliorum agit (§. 762.).

Verba Hoseæ 6: 17. intelligenda esse de Adamo, non autem appellativè, nec ita vertenda *transgressi sunt fœdus meum ut fœdus hominis*, contextus & constructio satis indicant, quò faciunt etiam loca Job. 31: 33. Es. 43: 27.

Adeòque & pro iis lapsus est.

793. Adamus itaque non solùm pro se lapsus sed & pro posteris suis, ac eorum nomine peccavit.

Lapsus nempe vel peccatum Adami duplici respectu considerari potest, & considerandum est, scil. vel ut *personale* solum, quâtenus respiciebat personam Adami physicè agentis, vel tanquàm *repræsentativum*, quâtenus nomine posterorum simùl commissum fuit, quô posteriori respectu considerari non posset, si Adamus

mus non fuisset Caput repræsentativum eo in casu & facto, quò peccavit.

794. Dùm Adamus fœdus operum fregit peccando (§. 792.), *fœdus operum per peccatum primum abrogatum fuit*: tùnc enim fœdus abrogatur, quando actus ejus abrogantur, at homo primus abrumpebat adstipulationem (§. 744.), dùm legem fœderis transgrediebatur (§. 748. 768.), hinc nec restipulatio locum habere poterat: quià hæc illam seu ejus continuationem demum sequitur (§. 747.), neque etiam inde à parte Dei promissio ampliùs & promissi boni collatio: quoniam hæ nonnisi sub conditione priorum locum habent. *Fœdus operum abrogatum fuit.*

Et hic primus gradus, quo fœdus operum abrogatum fuit.

795. Lex itaque homini non ampliùs poterat addicere vitam æternam, quam priùs addixit (§. 720. 729.). *Consectarium.*

Atque ita, quomodo & quô sensu fœdus operum abrogatum dicendum sit, intelligitur, nempe quoad jus restipulandi vitam, non autem quoad solutionem ab obligatione legem servandi, scil. naturalem (§. 722.), seu officia erga Deum, proximum ac seipsum: hæc enim abrogari possunt (§. 56. 75. 81.).

796. E sanctione fœderis adeò nonnisi comminatio relinquebatur (§. 751.). *Aliud.*

797. Factum, quod quis ipse committit, dicitur *physicè proprium*, quod verò quis ipse non committit, *physicè alienum*; quòd si id sit, ac si ipse commisisset, dicitur *moraliter proprium*, si autem non, *moraliter alienum*. *Quid sit physicè & moraliter proprium ac alienum.*

Factum nempe dicitur actio vel actionis omissio sub circumstantiis singularibus considerata; prior, quæ in committendo consistit, dicitur etiam actio *positiva*, posterior, quæ in omittendo, *privativa*.

Auctor facti quis.

798. *Auctor facti* dicitur, cui factum tribuendum vel adscribendum est, adeòque in facto physicè proprio ipsi immediatè adscribendum, in facto moraliter proprio, mediatè, in moraliter alieno prorsùs non.

Auctor facti etiam dici potest, in quo ratio invenitur, cur quid factum omissumve fuerit (sch. §. 797.).

Consectarium.

799. Aliquem pro auctore facti declarare, est adeò declarare, quòd factum alicui adscribendum sit vel immediatè vel mediatè.

Consequens facti quid.

800. *Consequens facti* dicitur, quod rationem suam habet in actione, seu cum ea connexum fuit à Legislatore, adeòque vel præmium vel pœna.

Imputatio quid & quotuplex.

801. Pro auctore facti quendam declarare nominatur *imputare*, ita ut *imputatio in genere* dicatur declaratio pro auctore facti; quòd si declaratio talis sit, ut ad consequens actionis nondum respiciatur, dicitur *imputatio possibilis*, item *metaphysica*, si verò declaratio talis sit, ut consequens actionis etiam respiciatur, seu declaretur, quòd ad auctorem facti consequens ejus secundùm legem pertineat, dicitur imputatio *actualis* item *moralis*.

Posteriori modò adeò lex ad factum applicatur quâ consequens facti; ut hinc imputatio moralis rectè possit appellari applicatio Legis ad factum NB. quâ consequens hujus: potest enim lex ad factum quoddam applicari, ut tamen non sit imputatio, quia nimirum non respicitur ad consequens facti, v. g. ubi dispicitur, num quid licitum sit nec ne, uti benè monet solidiss. Carpovius *tract. de imput.* §. 24. cui definitiones, quas attulimus (§. 797--801.), nos debere fatemur, ejus etiam de imputatione genuinitatem stabilit *tract. cit.* §. 22--25.

802.

802. *Per consensum nec aliò modò factum physicè alienum fit moraliter proprium:* corpus namque in actibus animæ liberis ùt instrumentum ejus se habet voluntatem animæ exequens (*Met.* §. 539.), jam verò instrumenta pro se invicem substitui possunt, ut, quòcunque quis utatur, tamen idem semper maneat auctor facti, adeòque sive corpore meò sive alterius voluntas mea efficiatur, perinde est; at si quis consentit in factum alienum, id committi vult ab altero (§. 764.), hinc est, ac si ipse id commisisset, consequenter fit moraliter proprium (§. 757.); quòd autem id nullo aliò fieri possit modò, inde probatur, quià quis circa factum alterius seu alienum non versari potest nisi vel cognoscendo, vel volendo, vel nolendo, at simlex cognitio vel præcognitio, quam quis habet de facto alterius, neutiquam efficit, ut ipsi adscribi possit (§. 259.), multò minùs noluntas, uti per se clarum, ergò nonnisi voluntas adeòque consensus (§. 764.). *Quomodo factum physicè alienum fieri possit moraliter proprium.*

Propositionem hanc ita suppeditat modò laud. Carpovius in egregio *tract. de imput.* §. 176.

803. Factum adeò alterius rectè imputatur cuidam ob consensum in illud, nec aliò modò id fieri potest nisi per & ob consensum sive in factum sive in ipsam imputationem. *Quando factum alterius cuidam imputari possit.*

Fluit hocce corollarium tùm ex definit. imputationis (§. 801.), tùm ex propositione (§. 802.), probat autem id ulterius Cl. Carpovius *l. cit.* §. 183. & illustrat exemplis §. 184.

804. *Factum* hinc *Capitis repræsentativi sociatis imputari potest:* etenim quià Caput repræsentativum agit nomine societatis (§. 762.), seu *Factum capitis repræsentativi posteris.*

socia-

sociatorum, hi in factum ejus consentiunt saltem consensu interpretando (§. 764.), consensus autem fundat jus imputationis (§. 802.).

Probè autem notandum, non omne factum Capitis repræsentativi sociatis imputari posse, sed tantùm id, quod nomine publicò seu sociatorum agit, id verò ita agit, ubi rationem agendi non ex se solum sed ex sociatis desumit, uti opportunè monet laud. CARPOVIUS *tr. de imput.* §. 242. digna sunt, quæ huc adducantur, sequentia Ejus verba, „ hoc quoque notari velim, in imputatione malefacti, à Capite repræsentativo nomine „ propriò & sociatorum commissi, differentiam dari, „ maximè in foro humano, inter ipsum Caput & so„ ciatos: Caput enim dum ob delictum commune bo„ nis, quorum antèa possessor erat, privatur, iis & „ Capiti & sociatis carendum est quidem, sed Capiti, „ utpote in persona propria peccanti, privatio illa est „ pœna propriè talis, quæ apud sociatos, utpote in „ propria persona & per actum physicum non peccan„ tes potius habet rationem damni, quâtenus fieri non „ potest, ut membra à Capite bona, quorum ipsum „ fecit jacturam, accipiant; attamen quâtenus utris„ que iis ob delictum Capitis publicò nomine commis„ sum carendum est, eâtenus utrisque dicimus illud „ imputari;

Hinc & factum Adami posteris ipsius.

805. Cùm igitur factum Capitis repræsentativi sociatis imputari possit (§. 804.), Adamus autem fuerit Caput repræsentativum in fœdere operum omnium posterorum ab ipso descendentium (§. 763.), hique cum eo sociati fuerint (§. 761.), sequitur, *quòd factum Adami, quò fœdus operum fregit, seu comestio de fructu prohibito, omnibus ejus posteris imputari possit.*

Sch. 1. Id etiam quodammodo jam continetur & involvitur iis, quæ dicta (§. 792.), interim hîc ex aliis principiis & quoque à parte posterorum ostendendum fuit; hi nempe [ut ulterius res elucidetur] consenserunt in fœdus operum, quod Adamus cum Deo iniit

iniit (§. 765.), & ut consentientes spectari possunt in factum, quô is fœdus illud fregit, præsertim respectu Dei: hic enim omnes possibiles series sibi repræsentat (§. 248.), & hinc in qualibet serie infallibiliter videt, quid à quovis homine fieret, si in his vel illis circumstantiis positus esset, per scient. simpl. intellig. (sch. 1. ib.), [non autem scientiam mediam] (§. 250.), vidit itaque certò, quòd omnes Adami posteri, si in iis circumstantiis ponerentur, in quibus Adamus positus erat, dum peccavit, non minus peccaturi essent, de arbore vetita comesturi, ac ita fœdus cum Deo fracturi; propterea etiam à Deo spectari possunt ut consentientes in factum Adami, quô fœdus operum fregit, adeôque factum Adami quoque ob hanc rationem iis imputari potest. Quòd si objiciat quis, eum, qui non existat, consentire non posse in factum aliquod, ei respondendum, distinguendum esse inter consensum formatum & interpretandum (§. 764.), nec non inter existentiam physicam & moralem (§. 758.), consensus interpretandus ac existentia moralis sufficiunt ad imputationem, præcipuè in foro Dei omnia præscientis (§. 257.).

Sch. 2. Cæterum quòd Adamus fuerit constitutus Caput repræsentativum generis humani, id non provenit ex mero Dei arbitrio (§. 407.), seu sine ratione objectiva (§. 234.): Deus enim nil ita agit (§. 269. 409.), ut adeò in quæstione, cur Adamus fuerit Caput repræsentativum, ad solam Dei voluntatem confugiendum non sit (*Met.* §. 991.), sed ratio aliunde arcessenda, nimirùm ut esset societas inter Adamum ac posteros ipsius: sine societate quippe non habet locum spirituum finitorum in universum perfectio, quæ tamen requiritur ad Civitatis Dei bonum publicum (sch. 1. §. 274.), quia nullus virium & voluntatum consensus, sine consensu autem sibi non constat nec perfectio (*Met.* §. 152.), nec societas ulla (*Pol.* §. 2.): Conjunctus propterea esse debuit Adamus cum posteris per societatem, hæc voluntates sociatorum conjungit; verùm cùm in terra nostra posteri successivè existant, dùm alii ab aliis procreantur, particulares stirpes cum particularibus familiis, & universalem primam cum omnibus conjunctam esse oportet consensu interpretandô, ne dissociatio sit inter majores posterosque,

ita

ita ut, quod nomine publicô illæ egerint, in id posteritas consensisse censeatur; vid. CARPOVIUS *tract. cit.* sch. 2. §. 271. ubi hæc ex CANZII Jurispr. &c. adducit;

Quorum sit moraliter proprium.

806. Factum Adeò Adami physicè alienum posterorum ejus, ipsorum fit moraliter proprium (§. 797. 802. 804.), ipsisque adscribi potest (§. 798.).

Primum Adami peccatum imputatur posteris.

807. Comestio de fructu prohibito erat primum Adami peccatum (§. 768.), *primum* igitur *Adami peccatum posteris ejus omnibus imputatur* (§. 805.) Rom. 5: 19.

Sch. 1. Posteris nempe iis, qui naturaliter ab illo descendunt, unde unicus hîc experiendus est Christus Filius Dei (§. 336.): hic enim, quià non naturaliter ab Adamo descendit, (ut Locô seq. videbimus) etiam Adamus Caput Ejus repræsentativum in fœdere operum esse non potuit: est namque Deus (§. 349.), Creator (§. 344.), Dominus (§. 576.), hinc & Legislator (§. 78.), Ei ideò lex fœderis non potuit præscribi, ut eam servaret, consequenter nec Adamus Illius nomine fœdus operum acceptare potuit;

Sch. 2. Imputatio hæc peccati Adamici posteris ejus universis in reatum valdè displicet Socin. Armin. & quoque Anabaptistis, vid. SEYLERUS *Anabapt larv. Part.* 2. *Cap.* 4. ex ipsis etiam Reform. Eccles. Doctoribus quidam dogmati huic se opposuêre, inter quos præcipuè Eruditus Anglus DAN. WHITBY in *tract. de imput. Divina peccati Adami posteris ejus universis in reatum*, Londini, 1711. contra quem ex instituto disputat Cl. CARPOVIUS *tract. de imput.* &c. *Cap.* 4. interim si ita explicetur, prout nos hîc ad ductum solidiss. CANZII *jurispr. Civ. &c.* §. 864---917. & CARPOVII *l. cit.* qui ambo rem totam accuratè ac profundè evolverunt, dogma id non continebit, quô Ratio jure offendi possit: possibilitas enim ejus & connexio cum aliis veritatibus in Jure receptis tùnc perspicitur, quô ipsô simùl satisfit regulæ quoad interpretationem Scripturæ dogmaticam, traditæ (sch. 1. §. 194.), cujus hinc & usus patescit: dùm, si possibilitas

bilitas dogmatis priùs ostensa fuerit, adversarii faciliùs manus dabunt victas, nec habebunt, quæ excipiant, & quibus eludant loca Scripturæ pro dogmate afferri solita, unde si vel maximè illud ἐφ' ᾧ Rom. 5: 12. vertatur per *eò quòd*, [uti vertunt multi ex ipsis Orthodoxis ob constructionem, ut putant commodiorem, & quià tum illud notat, ex. gr. 2. Cor. 5: 4. Phil. 3: 12. tùm & *in quo*, ex. gr. Marc. 2: 4. Luc. 5: 25.] tamen doctrina de imputatione peccati Adamici firmò staret talò, cùm nitatur naturâ so ietatis, consensûs (sch. 2. §. 805.), ut hinc in Adamo omnes peccasse dici possint; vocatur autem hæc imputatio *immediata*, pro ea etiam stat *Formula Consensûs Helvet.* §. 10—12. contra Josuam Placeum Salmurienſem.

Sch. 3. Est hoc primum imputationis facti alieni exemplum, quod in Theologia revelata occurrit, nempe peccatum Adami posteris ejus universis in reatum. Similis ferè imputatio facti Capitis repræsentativi obtinet in jure feudali, ubi Vasallus Domino fidelitatem jurare solet non tantùm suò sed & posterorum nomine, adeòque horum est Caput repræsentativum (§. 762.), & hi consentiunt, etsi nondum existentes sed demum futuri, consensu interpretandò (§. 764.), in præstitam sive fidelitatem sive feloniæ crimen commissum; ut hinc, quemadmodum fidelitas Vasalli ipsis in emolumentum cedit, ita felonia ejus è contrà iis noceat ad feudi amissionem, quià factum Capitis repræsentativi illis imputatur, uti hæc præter alios monet Carpovius *tract. cit.* §. 282. imputationi huic peccati Adamici non contrariatur locus Ezech. 18: 20. hic namque, quod textus clarè prodit, non sermo fit de factis, in quæ à liberis consensus aliqualis datus fuisset, & quæ parentes comisissent ut Caput repræsentativum, ut hinc hicce locus ulteriori vindicatione non indigeat; præterea nec universaliter accipi potest: siquidem liberi aliquando peccatis & pœnis parentum involvuntur, quod testantur exempla Mundi primi, item incolarum Sodomæ, videantur & exempla eorum, qui ob peccata aliorum puniti Gen. 9: 25. Jos. 7: 24. 2. Sam. 21: 8. 9. 24: 15. 17. Thren. 5: 7.

808. Quòd si primum Adami peccatum posteris ipsius imputatur (§. *Ad eos ideò etiam perti-*

807.),

net consequens peccati 807.), sequitur, & consequens hujus peccati ad eos pertinere: siquidem & in consequens fœderis, sive vitam æternam in casu servationis sive mortem in casu violationis, consenserunt (§. 766.), adeòque cùm consequens peccati Adami fuerint mors temporalis (§. 786.), morbi, calamitates (§. 787.), angor conscientiæ (§. 788.), mors æterna (§. 789.), *omnibus hisce malis posteri Adami per peccatum ipsius ut Capitis repræsentativi obnoxii redditi sunt.*

Sch. 1. Interim ob solum Adami peccatum imputatum Deus posteros ipsius pœnâ non afficit: accedunt enim [ut in seq. videbimus] peccata propria, tùm originale tùm actualia; sunt etiam è Theologis Orthodoxis, qui tenent, Deum non puniturum fuisse posteros Adami ob solum peccatum ipsius imputatum, nisi quoque propria accessissent, vid. ex. gr. Cl. GÜRTLERUS *instit. Theol. Cap.* 12. §. 58.

Sch. 2. Objiciuntur autem contra hanece imputationem non pauca, nec sine veri specie, quæ lubet proponere unà cum responsione verbis CARPOVII ex egregio ejus *de imput. tract.* ubi ita §. 283. »dura, in»quis, hæc imputatio est: plectuntur posteri propter »consensum in peccata majorum suorum interpretan»dum, qui ex communione societatis cum majori»bus intelligitur; sed cum majoribus suis in eadem »esse societate, id nullâ ratione possunt evitare; »quià, ut generentur, vel ab his illisve parentibus »generentur, in potestate eorum non est positum; »plectuntur igitur propter id, quod evitare non po»tuerunt, dum nec, ut declinent majorum delictum, »nec ut consensum interpretandum denegent, in po»testate eorum fuit positum. At verò cùm poste»ris æquum videatur esse, ut præmii à majoribus »parti reddantur participes, nec ut culpam eorum si»mul luant, iniquum videri debet: utriusque enim »imputationis idem fundamentum est, consensus ni»mirùm interpretandus; dispar, inquis, pœnæ & præ»mii ratio est, dum præmium gratum, pœna ingrata »est;

»est; fateor id quidem, sed manet tamen utriusque »imputationis idem fundamentum, quod modò indi»catum est; accedit, quòd nemo possit plus juris in »alterum transferre, quam habet ipse, unde si pa»rentes vel majores malefactô se jure quôdam pri»varunt, fieri non potest, ut in liberos posterosve »transferant, adeòque hi per defectum boni culpam »parentum non possunt non ferre. —— Et ita, quæ an»tèa speciem habebat, imputationis duritas evanescit, »nempe quæ sunt impossibilia factu vel omissu, illa »non possunt imputari, quâtenus ipsa imputatio po»test abesse, sed quâtenus abesse nequit, imputatio »ipsa imputari nequit imputanti, quià impossibilia »nequeunt imputari, cum verò in casu dato omissio »imputationis sit eâtenus impossibilis, quâtenus ne»quit fieri, ut posteri à parentibus accipiant, quod »amiserunt, nec talis imputatio imputari imputanti, »adeòque nec pro dura haberi potest; conf. etiam »(sch. §. 804.).

Sch. 3. Ob hanc imputationem consequentium peccati primi posteris Adami factam & faciendam omnes dicuntur mori in Adamo 1. Cor. 15: 22. non rarum etiam est in humanis, ut cives consensum interpretandum dedisse rectè censeantur in pœnas sibi irrogandas, ad quas deinde invitissimi raptantur: cum in Principem contulerint potestatem quodcunque faciendi pro utilitate publica, idque se ratum habituros significaverint; imò nec absurdum, ut inviti aliquando consentire possint, ubi nempe causa publica id postulavit, uti hæc benè monet Cl. Canzius *Jurispr. Civ. &c.* §. 874. qui etiam §. 875. seq. difficultates levat, quæ moveri solent, scil. quòd posteri Adami non existentes fuerint, & consensum ideò non potuerint præbere, quarum solutio autem suppeditatur ex jam dictis (sch. 1. 2. §. 805. sch. 3. §. 805. & sch. præced.); imputatio autem talis, quæ fit ad reatum, appellatur *odiosa*, talis ergò etiam appellari rectè potest illa peccati Adami posteris ipsius.

809. *Sequentia Adami peccata, quæ post admissum primum illud peregit, posteris ipsius non imputantur:* etenim nonnisi illud posteris imputari

Sequentia Adami peccata posteris Ipsius non imputantur.

 potest,

potest, quod quis nomine eorum agit, tùnc enim consensus illorum interpretandus rectè præsumitur, adeòque posteris illud solùm imputatur, quod quis agit ùt Caput ipsorum repræsentativum (§. 762.), jam verò Adamus Caput repræsentativum esse desiit, quàmprimum peccaverat: siquidem tale Caput diutiùs manere non potuit, quàm fœdus operum duravit, quod cum Deo iniit etiam posterorum nomine (§. 756. 763.), at fœdus id non ampliùs duravit, ubi primum commiserat peccatum (§. 768. 794.), ergo, quæ posteà commisit peccata, imputari non possunt posteris ipsius.

Ita ergò sufficienter responderi potest, quando ab Adversariis quæritur, num & cætera Adami delicta posteris ipsius imputentur, negando nimirum, quià tum non amplius fuit Caput repræsentativum seu morale (sch. §. 763.) sed tantùm naturale seu seminale (ib.). Theologi aliàs ad hanc quæstionem respondent, dicendo, vanam eam esse ac superfluam, cùm primum Adami peccatum sufficerit ad servitutem peccati introducendam, ita GÜRTLERUS *instit. Theol. Cap.* 12. §. 51. qui & §. seq. ad quæstionem, an Noachi ebrietas filiis ipsius imputata sit, nec ne, respondet, quòd non, idque ideò, quià eos genuerit ante contractam è vino nimio culpam; at ad utramque quæstionem breviter & sufficienter respondetur, Adami peccata cætera posteris ejus non imputari, quoniam tùm non amplius fuerit Caput ipsorum repræsentativum & fœderale; Noachi ebrietatem filiis ipsius imputari non potuisse, eò quòd prosus non fuerit Caput eorum repræsentativum, seu nil eorum nomine egerit.

Posteri Adami non potuerunt non peccaminosi nasci.

810. *Omnes posteri Adami ab ipso ùt Capite naturali per generationem descendentes non potuerunt non nasci tùm destituti dotibus imaginis Divinæ tùm præterea cum inclinatione ad mala:* etenim quod-

quodvis animal, quod generatur, prodit ex animalculo seminali in semine latente (*Phys. to.* 1. §. 446.), præexistente jam ac præformato, unde in Adamo protoplasto omnes ipsius posteri virtualiter jam extitêre; postquàm jam Adamus peccavit (§. 776.), peccataque iterando in servitutem peccandi incidit (§. 778. 781.), hinc imaginem Dei amisit (§. 790.), qui ex ipso immediatè geniti sunt, & in ipso extitêre, non potuerunt non iisdem motibus pravis affici, adeòque dispositionem ad peccandum inducere & contrahere, per princ. phys. (*Phys. to.* 1. §. 448.), ut posteà in lucem ederentur cum tali dispositione ad peccandum, consequenter tùm destitui dotibus imaginis Divinæ, tùm adhuc cum inclinatione ad mala, è quibus deinde iterum non alii poterant nasci, ex his porrò tales, & sic semper.

Sch. 1. Non tantùm corpus cujuslibet hominis ita præformatum existit, sed & animam jam præexistere illi sociatam valdè probabile est, interim tantùm in statu repræsentationum obscurarum (*Met.* §. 925.), & [uti quoque dicitur] intra gradum naturæ sensitivæ; cum jam inter animam ac corpus harmonia obtineat, experientiâ quoque comprobante (ib. §. 528. 533. 535), animæ posterorum Adami ab ipso proximè descendentium, & sequentium adhuc, in protoplasto præexistentes non potuerunt non admodum infici, ac peccaminosæ evadere, antequam corpus cujuslibet earum in lucem ederetur formâ humanâ.

Sch. 2. Ita ergo à priori ostendi potest, quod dispositio ad peccandum, seu peccaminositas, quam Adamus contraxit, in posteros transfundatur, & dimanet, vel, ut dicitur, propagetur; adeòque, quomodo id fiat & possibile sit, intelligitur. A posteriori idem patere, seu tristi experientiâ comprobari, quòd actu propagetur, in seq. videbimus; hîc modum possibilitatemque propagationis contagii illius ostendere propositum fuit. Posteri Adami adeò fuerunt omnes in lumbis

Adami, uti Levi in lumbis Abrahami Heb. 7: 10. ubi fruſtrà Socin. objiciunt, impropriè id ab Apoſtolo dici, cum adhibeat verba ὡς ἔπος εἰπεῖν, nam verba hæc ſunt v. præced. 9. & uti contextus clarè fert, reſpiciunt decimationem, de qua ibi Apoſtolus loquitur, non verò exiſtentiam τῷ Levi in lumbis Abrahami. Propagationem autem hanc peccati tali modò explicuit, cæterisque viam monſtravit Ill. LEIBNITIUS, legantur hanc in rem, quæ habet *Theod.* §. 91. 92. & *Cauſ. Dei* §. 81. 82. dici hinc rectè poteſt, omnes peccaſſe in Adamo, non tantùm imputativè (quo de ſch. 2. §. 807.), ſed & phyſicè; ideò ſi quis illud ἐφ' ᾧ Rom. 5: 12. vertat, uti verti poteſt, per *in quo*, etiam hôc modò ſenſum fundit commodum, licèt aliâs imputatio non nitatur inhærentiâ peccati; cùm illa ſine conſideratione hujus evicta fuerit (§. 805. & ſch. 1. 2. ib.).

Sch. 3. Sic igitur, etſi quis imputationem peccati Adamici non vellet admittere; tamen propagationem ejus admittere cogeretur, hæcque ſemper ſalva eſſet, ita ut adoptatâ ſententiâ LEIBNITII modò expoſitâ quivis fateri neceſſe haberet, homines naturâ peccaminoſos eſſe, atque peccaminoſitate infectos fuiſſe, antequàm in lucem edantur. Deus impedire non potuit, quin è corrupto & peccaminoſo protoplaſto tales etiam oriantur poſteri, quoniam jam in ipſo extitêre, hinc peccaminoſis motibus imbuti fuêre, oportuiſſet ad hoc inhibendum miraculum factum; & ſi deinde, genere humanò multiplicatò, à peccaminoſis parentibus deberent provenire liberi peccaminoſitatis expertes, continuis opùs eſſet miraculis, hæc verò ſapientia Dei non fert (*Met.* §. 1039. 1041.). Propagationem peccati Deus itaque non potuit non permittere, tantò magis quòd contineretur ideâ perfectiſſimi Univerſi, quod Deus non potuit non eligere (§. 273.); unde, quæ ſuprà reſponſa ſunt quoad permiſſionem lapſûs (ſch. §. 775.), & permiſſionem peccati in genere (§. 624. ſeq.), & hic valent; perfectiſſima ideò rerum ſeries quia ſecum tulit per concomitantiam (§. 636.) transfuſionem & dimanationem peccaminoſitatis è protoplaſto planetæ noſtrius in poſteros ipſius omnes, quæ peccaminoſitas generis humani ad reliquam Mundi vaſtitatem eventuumque in eo multitudinem aſſignabili pro-

proportione caret (sch. 2. §. 245. & sch. 2. §. 506.), Deus illam non potuit non permittere ob consensum cum mutationibus eventibusque Mundi totalibus, & quià tandem in harmoniam universalem desineret; hinc Deus non debuit impedire, vi sapientiæ suæ, ut posteritas Adami inficeretur, è contrà admittendum fuit, ut è radice veluti venenata rami ac surculi omnes inde progerminantes itidem venenati fierent;

Sch. 4. Ex iis etiam, quæ (sch. 1.) dicta de infectione animæ, id commodi oritur, ut justitia Dei in salvo maneat: inde enim non amplius potest objici, ut objicitur sententiâ communi adoptatâ, Deum animam puram ac innocentem jungere corpori impuro corruptoque, hinc animam reddere peccaminosam: etenim juxta modum traditum animæ omnes jam ipsæ in Adamo infectæ fuêre, unde ex hac hypothesi difficultates memoratas seu Theologicas removet Leibnitius *Caus. Dei* §. 84. & quomodo Philosophicæ inde removeantur, monet §. 83. nec hâc ratione tradux ille quibusdam receptus introducitur: siquidem non anima ex anima, sed animatum ex animato educitur, (ib. §. 85.).

811. Quod à priori evictum est, non aliter fieri posse, quàm ut, protoplastis peccaminositate infectis, omnes eorum posteri itidem peccaminositate infecti progignantur (§. 810.), *id à posteriori confirmatur seu per experientiam*: testatur quippe hæc plus satis, homines omnes, qui in lucem eduntur, esse destitutos doribus imaginis Divinæ non tantùm, sed adhuc ejus contrarium iis inhærere, inclinationem nempe ad quævis mala, dum volunt ea, quæ Deus non vult. *Quod experientia confirmat.*

Sch. 1. Ita carentia cognitionis Dei rerumque Divinarum hominibus reperitur inesse inde à nativitate, nec solùm infantibus, sed deinde porrò durare, postquam adoleverunt, nisi imbuantur cognitioni, eamque acquirant ab extra, dùm semina, quæ adhùcdum in eorum animabus latent [ut posteà videbimus,] excitantur, & principiis, quæ obscurè cognoscuntur, alia

inædificantur. Ob hanc carentiam cognitionis Intellectus dicitur obtenebratus Eph. 4: 18. imò tenebræ ipsæ 5: 8. uti nempe lux dicit cognitionem, ita tenebræ ignorantiam, sicut in Sacris, ita & aliâs, conf. (*Met.* §. 203. 204.). Carentia sanctitatis [ob quam cor hominis dicitur induratum Eph. 4: 18.] percipitur jam in infantibus, qui tamen aliàs audiunt *innocua ætas*: etsi enim adhuc sint in statu perceptionum ad summum clararum & plurimarum obscurarum, tamen deprehenduntur jam delectari malô, refractarii &c. & quàmvis Scriptura eos expertes malitiæ innocuosque prædicet Matth. 18: 3. & 19: 14. 1. Cor. 14: 20. hoc minimè innuit, ipsos non esse naturâ corruptos [ut Armin. id inde probare volunt,] sed quòd comparatè ad adultos sint innocui, dùm per imbecillitatem ætatis non possunt se criminibus obstringere ut adulti, ac expertes sunt doli fraudisque (id quod Scriptura præcipuè vult innuere) ob intellectûs imbecillitatem;

Sch. 2. Experientiæ communi quoad hæc suffragatur Scriptura S., [quæ itidem experientiæ accenseri potest] dicit enim, cogitationes hominis pravas esse inde à pueritia Gen. 6: 5. 8: 21. ubi vanum est, quod Socin. excipiunt, non agi ibi de propensione ingenita ad malum, verùm de peccatis actualibus: nam clarum est, occasione peccatorum actualium illam simùl indigitari ut fontem horum, quod Scriptura etiam alibi facit, vid. Ps. 51: 6. 7. Ez. 16: 2. 4. Matth. 15: 19. ideò in loco Gen. 8: 21. additur מנעריו; porrò dicit Scripturâ, impuros esse homines ex impuris Job. 14: 4. nullum hominem è muliere genitum esse purum & justum 15: 14. concipi hominem ac nasci in peccato & iniquitate Ps. 51: 7. excipiunt autem ad ultimum locum Socin., si propriè intelligatur, tùm non posse ex eo probari, quod homines in genere corrupti nascantur: siquidem DAVID de se solo loquatur; si autem figuratè, tùm corruptionem ingenitam iterum inde non posse probari, eò quòd locutione tali hyperbolicâ utatur Scripturà, ad indigitandum, quòd malitiæ quis sit immersus, uti & Ps. 58: 4. Es. 48: 8. at de Davide solo id intelligendum esse sine ulla ratione dicitur, è contrà cùm ita corruptè nasci sequatur è generatione naturali, de qua DAVID locutus fuerat, etiam corruptio hæc se æquè

Sch

latè

latè extendere debet ac generatio, adeòque ad omnes homines; ad hyperbolen porrò confugere non licet, ubi propria verborum acceptio difficultatem non parit (sch. 1. §. 172.); non etiam conceptionem Matris tunc culpassèt David, sed tantum suas malas actiones; locis autem Ps. 58: 4. Es. 48: 8. quàdantenus hyperbolica locutio habere debet locum, quoniam de peccatis actualibus ibi sermo est, quæ non statim in infantia locum inveniunt, non verò de conceptione & ortu in peccato, vid. Hoornbeck *Socinian. conf. To.* 1. *Lib.* 3. *Cap.* 3. p. m. 572--574. In N. T. propensio illa naturalis ad mala docetur præter alia loca Joh. 3: 6. & Eph. 2: 3. priore nempe per carnem indigitatur natura peccatô corrupta: hæc enim vocis ejus significatio plerumque est in N. T., & quòd hîc locum invenire debeat, inde patet, quia spiritui opponitur, uti generatio carnalis spirituali, & quia in regnum Dei introire non posse dicitur sine prævia regeneratione v. 5. talis caro verò dicitur nasci, adeòque est homini congenita; posteriore locô Ephesii uti & homines reliqui dicuntur *filii iræ*, nempe non υἱοὶ sed τέκνα, adeòque ex nativitate, generatione, non demum ex factis insequentibus, idque φύσει *naturâ*, quæ opponitur χάριτι v. 8. ut vox φύσις hôc locô non denotet tantùm indolem gentis, [ut probare sibi sumit testimoniis Auctorum profanorum allatis Joh. Clericus *art. Crit. P.* 2. *Sect.* 1. *C.* 7. § 7.] aut idem ac *reverâ*: nam opponitur gratiæ, & sermo est de statu hominum in genere; nec negotium facessere debet, quòd Apostolus dicat, ἦμεν *eramus*, adeòque de re præterita loquatur, cùm tamen corruptio ingenita semper duret, & nunquàm præteritum quid sit, utitur enim præteritô, quià in animo habebat tùm originem corruptionis illius, nempe nativitatem, quæ aliquid præteritum est, tùm medium, per quod vis & dominium ejus sublatum, scil. χάρις, de qua v. 5. quæ itidem erat res præterita.

Sch. 3. Ex iis itaque, quæ tùm communis experientia suppeditat (sch. 1.), tùm Scriptura S. edocet (sch. 2.), clarè omnino patet, propensionem ad mala, quæ in hominibus deprehenditur, non inde venire, quòd contrahatur per imitationem, sed propagari per generationem; esse illam ingenitam, intrinsecam, nec ab extra venire; licèt per rationes extrinsecas variè modificetur ac augeatur, quales rationes extrinsecæ sunt educatio, imitatio, exempla aliorum &c.

Corruptio originalis & peccatum origin. quid.

812. Carentia hæc dotum imaginis Divinæ & inclinatio ad malum, quæ omnibus hominibus à nativitate inhæret (§. 811.), seu ipsis ingenita est, quæve per generationem naturalem ad omnes propagatur (§. 810.), appellatur Theologis *corruptio originalis*, item *peccatum originale*; & *rectè dicitur peccatum*: tale namque est ac dicitur, quicquid regulæ optimi seu Legi hinc perfectionibus Divinis veræque felicitati adversatur (§. 54. 60.), sive deliberatò fiat, sive secùs.

Sch. 1. Civitas nempe Dei longe aliter se habet ac Respublicæ humanæ: hæ solummodò curant bonum, quod ad extremam facit pacem, & ideò animadvertunt nonnisi aut in gravioris momenti σφάλματα, aut in voluntaria, eaque habent pro peccatis; at Civitas Dei (sch. 2. §. 271.) curat etiam internam animi rectitudinem, eamque plenissimam, Rector ejus infinitæ cognitionis ac Sapientiæ (§. 238. 268.) omnia compossibilia & parabilia respicit, quæ ad decus & perfectionem Civitatis suæ aliquid faciunt; hinc non solùm gravia sed & levia, non solùm voluntaria sed & involuntaria, ut adeò hæc etiam sint peccata, vid. CANZIUS *Jurispr. Civ. Dei* §. 843. seq.

Sch. 2. Terminus *peccati originalis* equidem non ἔγγραφος est, interim tamen rectè retinetur: exprimitur namque eô id, quod Scriptura ea de re docet, dum variis locutionibus indigitat (sch. 2. §. 811.) carentiam illam dotum imaginis Divinæ propensionemque ad malum, quâ omnes homines inde à nativitate infecti sunt; ut non sit, quare terminus ille è Theologia eliminandus esset, quod Armin. volunt, qui & rem ipsam eô denotatam eliminatam vellent, saltem ii eorum, qui Socino --- Remonstr. audiunt, uti EPISCOPIUS, CURCELLÆUS &c. qui cum SOCINO post Veteres Pelagianos corruptionem talem originalem non admittunt. Terminus *peccati originalis* equidem demum inde ab AUGUSTINO in Theologiam introductus est, ex eo tamen inferri minimè potest, quòd res per eum denotata tùnc demum inventa fuerit: nam Patres Ecclesiæ ante Augustinum plures locuti sunt de inclinatione ad malum, quæ omnibus hominibus inde à nati-

nativitate inest, idque præeunte Scripturâ [ut hinc peccatum originale tribus primis Seculis creditum fuisse Eruditi probent; vid. Binghamus *Orig. Eccles. Lib.* 11. *Cap.* 4. §. 6 --- 12.] interim non ita frequenter, nec ita clarè, ut fit, quando nulla adhuc controversia movetur de dogmate quodam; posteàquàm verò Pelagius ac sequaces dogma heterodoxum spargere incepissent Augustini ætate, controversiaque de ingenita hominibus corruptione acrius agitaretur, clarius etiam ejus & frequentius mentionem fecêre Doctores Ecclesiæ, vid. Buddeus *Theol. dogm. p.* 690. seq. Ad Judæos quod attinet, licèt aliquando peccatum originale negare videantur, tamen id admittunt, יצר הרע dicentes; vid. Hoornbekius *contr. Jud. Lib.* 4. *C.* 2. p. 349. seq.

813. Quandoquidem peccatum originale non tantùm involvit absentiam imaginis Divinæ (§. 812.), sed adhuc inclinationem ad mala (ib.), adeòque non solùm defectum ejus, quod deberet adesse, sed insuper præsentiam ejus, quod deberet abesse, *duplicem constituit defectum, ac non tantùm dicit nudam imaginis Divinæ absentiam.* *Constituit duplicem defectum.*

Nimirùm peccatum originale est imperfectio, ignorantiam namque Intellectum imperfectum reddere, inclinationem autem ad malum voluntatem, nemo facilè negabit, conf. saltem (*Met.* §. 848. 909.); jam imperfectio est vel *privativè* vel *contrariè* sic dicta; prior dicit nudam absentiam perfectionis, posterior verò præsentiam adhuc contrarii; ex. gr. quando quis non solum pecuniâ destituitur, sed adhuc ære alienô laborat, in eo locum habet non tantùm imperfectio privativè talis, quâtenus caret eô, quod deberet habere, sed adhuc contrariè sic dicta, dum contrarium ejus adest, nimirùm debita, quibus obstrictus est; sic quando servus non solùm omittit exequi mandata Heri, sed adhuc contrarium facit, seu, id, quod Herus prohibuit, itidem potest dici, non tantùm imperfectionem privativè sic dictam adesse, sed insuper contrariè sic dictam. Imperfectio autem contrariè sic dicta æquipollet duobus defectibus; dum primò abest perfectio, in quo consistit defectus primus, deinde adest contrarium ejus, quod constituit defectum secun-

dum, cui contrario reducendo ad medium negotiationis impendenda est una perfectio; contrariè dicta imperfectio ideò est duplicata privatio, privativè dicta autem est una vel simplex; hinc & melius intelliguntur, quæ de privationibus duplicatis dicta sunt (sch. §. 614.). In peccato originali jam deprehenditur simplex absentia rectitudinis originalis (§. 692.), quæ est primus defectus & imperfectio privativè sic dicta, deinde inclinatio ad mala, quæ etiam dici potest vis mala concupiscendi, & æquipollet duobus defectibus: ubi namque talis est concupiscentia mali, ibi primò reperitur absentia desiderii boni, deinde etiam præstò est desiderium mali; ita homines primò carent amore Dei, quò in statu integritatis flagrabant (§. 684.), qui est defectus unus, huic accedit dein odium [absit blasphemia] Ipsius, qui est defectus secundus priorem supponens. Vel ponatur, vires concupiscendi id, quod Deo placet, esse neutras, ut in brutis, tum primò amor Dei aberit, ponatur præterea, vires istas adhuc in contrarium tendere, tum aberratio à vero scopo duplicabitur; ut adeò concupiscentia prava fit duorum defectuum concursus. Similiter se res habet cum *oppositis contrariè* omnibus, quæ ab *oppositis privativè* talibus differunt uti numerus binarius à monade, vid. qui suppeditat, CANZIUS *uf. Phil. &c.* to. 1. p. 281. 282. Exemplum privationis duplicatæ allatum (sch. §. 614.) hic potest comparationem præbere: nimirùm si quis vestibus spolietur, ut nudus frigore hybernò pereat, in spoliatione vestium habetur prima privatio, in extinctione vitæ secunda: eôdem modò se res habet quoad vires prava concupiscendi, quæ ex amissione imaginis Divinæ ortæ sunt, amissio imaginis Divinæ est velut spoliatio vestium, inclinatio ad mala autem illam insecuta est mors, quam spoliatio vestium hyeme infert; gradus privationum alium aliò deteriorem laud. CANZIUS designat *l. cit.* p. 282. 283. ex his etiam perspicitur, peccatum originale non tantum esse inertiam spiritualem (§. 613.), sed adhuc tendentiam ad oppositum.

Est nil substantiale, sed tantùm privativum quid.

814. Patet è dictis, *peccatum originale non esse reale & substantiale quid, sed nil nisi privativum quid ac limitationem & accidens:* etenim dum

dum dicit abſentiam imaginis Divinæ, quæ deberet adeſſe (§. 813.), eſt privatio, dum verò porro ſecum fert inclinationem ad malum (ib.), adeòque directionem virium concupiſcendi in contrariam partem, ſeu verſus bona apparentia, quæ longè ſunt inferiora bonis veris, eſt defectus ulterioris tendentiæ, adeòque limitatio, quod verò limitatio eſt, illud eſt accidens (per princ. Ontol.).

Sch. 1. Accidens non eſt niſi limitatio ſubſtantiæ finitæ: ſubſtantia namque infinita accidentibus caret, uti benè monet Cl. Canzius *uſ. to.* 1. *p.* 286. peccatum originale ſubſtantiam eſſe dixit Flacius Illyricus æſtu diſputationis abreptus, unde valde probabile eſt, ipſum non id voluiſſe indicare, quod propriè terminus ille denotat, ſed malè ſe expreſſiſſe; quicquid ſit de mente Flacii (de qua etiam Buddeus *Th. dogm. p.* 680. 881.) peccatum originale ſubſtantia eſſe nequit: namque abſentia imaginis Divinæ debitæ adeſſe nil ſubſtantiale eſt, nec adeſſentia contrarii, hæc quippe conſiſtit in eo, quòd vis concupiſcendi verſus objecta mala dirigatur, nimirùm peccatum originale non eſt ipſa vis prava concupiſcendi: vis hæc namque eſt ipſa anima, quippe vis eſt principium mutationum (*Met.* §. 115.), vel fons, unde eæ procedunt; jam ſi anima ipſa non eſſet vis hæc, fons fonti inhæreret, quod eſt abſurdum, ac anima quaſi diſcerperetur in principia duo, fons principium eſt primum, quod alteri non inhæret, aliter eſſet, ut ita loquar, rivus, uti iterum benè monet ac loquitur laud. Canzius *l. cit.* quòd ſi verò peccatum originale non eſt ipſa vis ſed directio virium verſus illicita, non poteſt eſſe ſubſtantiale quid: ſiquidem non eſt ens per ſe ſubſiſtens, ſed per aliud (*Met.* §. 114.), nempe per animam; conſequenter oportet eſſe modum & accidens, interim tale accidens, quod omnibus inhæret hominibus & ſemper, [exceptis protoplaſtis recens creatis] nec unquam abeſt.

Sch. 2. Ut autem adhuc ulterius elucidetur, quomodo poſſit dici, peccatum originale non eſſe niſi privativum quid, non autem poſitivum, notandum eſt, res aliter conſiderari poſſe *in genere entis*, aliter verò *in genere moris*, vel *morum*, aut quod idem eſt vel *phyſicè* vel *moraliter*; nimirùm in genere morum ſeu moraliter aliquid

quid consideratur, quando relationem exhibet ad legem, *entia* enim *moralia* sunt illa, quæ considerantur cum respectu ad legem, vel quæ habent respectum ad legem: siquidem *moralitas* est respectus actionis liberæ ad regulam optimi seu legem (§. 64.), tali modò peccatum originale consideratum, id est, in genere morum seu moraliter [quod etiam dicitur *formaliter*] (§. 602.), non est nisi negativum & privativum quid: siquidem involvit respectum contrarium ad legem, dicit dissonantiam, recessum à regula optimi, adeòque absentiam melioris directionis, defectum ulterioris tendentiæ (§. 610.), quæ omnia nonnisi negationem privationemque dicunt. Nec aliò modò ferè considerari potest; tùm quia dicit directionem virium versus illicita (sch. 1.), tùm quia, cùm sit inclinatio ad malum (§. 812. & sch. §. 813.), consistit in cogitationibus mentis malis vel facilitate tales producendi ac delectatione in iis; jam verò cogitationes malæ constituunt ipsæ τὸ formale vel morale (sch. 2. §. 603.), & materialiter [adeòque in genere entis] non aliter considerari possunt, quàm quatenus certi motus in cerebro cum iis conjuncti sunt (ib.); ut hinc peccatum originale non aliter in genere entis vel physicè considerari possit quàm ita, & nonnisi motus cerebri cum eo conjuncti possint dici reale ac positivum quid, nisi quis etiam ipsas vires mala concupiscendi simul comprehendere velit sub nomine peccati originalis, ac ita id sumere *sensu concretò*, quò sensu omnino quoque dicendum esset reale ac positivum quid: cùm vires reale & positivum quid dicant, interim ordinariè sumitur nonnisi pro directione virium ad mala (sch. 1.).

Sch. 3. Inde etiam occurri potest dubio, quod suboriri posset, quomodo nempe peccatum originale dici possit nil substantiale esse, cùm tamen Paulus Rom. 7: 8. 17. 23. illud describat ut efficaciter operans, captivum ducens, adeòque ut aliquid, quod agere potest, consequenter ut substantiam [hæ namque agere possunt] (*Met.* §. 116.) ac positivum quid: nimirùm Paulus l. cit. peccatum originale considerat *in concreto*, seu non tantùm ut directionem virium concupiscendi versus illicita, verùm ut ipsas vires unà cum mala earum directione, quò sensu omninò de illo dici potest, quòd operetur, actuosum sit &c. at substantiale quid esse minime hinc inferri potest; accedit quòd Scriptoribus S. frequenter in usu

sint

sint prosopopœiæ (§. 172.), quibus res inanimatæ introducuntur ut personæ, & res, quæ per se non subsistunt, ut per se subsistentes. Ex eo autem, quòd peccatum originale sit privativum quid, id merum esse nihilum dici non posse, facilè quivis perspicit: directio enim virium ad mala nihilum merum non est nec dici potest; uti peccatum omne in se privativum quid est (§. 606.), & tamen non merum nihilum, ita & de peccato originali idem valet; imò nec peccatum omissionis merum dici potest nihilum, minùs peccatum originale. Lubinus *rò* nihil rerum malarum fontem esse contendit, à quo hæc nostra sententia multùm adeò differt, monente Canzio *us. to.* 1. p. 285.

815. *Peccatum originale etiam non est de essentia hominis vel attributum ipsius:* etenim si tale esset, protoplasti absque eo creari non potuissent, cùm essentialia attributaque abesse nunquàm possint ab ente (*Met.* §. 40. 41. 44.), atqui sine peccato originali creati fuêre non tantùm sed & adhuc ejus contrario (§. 691.), seu rectitudine originali (§. 692.). *Non est de essentia hominis.*

Sch. 1. Nemo hac de re ambiget, nisi qui falsas habuerit de essentialibus attributisque notiones; ut hinc hâc propositione minimè statuatur malum peccati originalis minùs altis defixum radicibus; etiam peccatum originale prorsus cessabit in vita futura (quo de autem demùm Loc. XII.), & tamen homines manebunt, qui ab eo liberati; ut hinc quoque ulteriùs pateat, non esse illud de essentia hominis vel attributum ipsius, licèt omnino essentiam naturamque hominis corrupisse rectè dici possit, ideòque si quis diceret, esse illud de essentia hominis corrupti, id admitti possit debeatque, licèt locutio in se parùm accurata sit.

Sch. 2. Peccatum originale adeò constituit imperfectionem hominis non essentialem, verùm accidentalem [uti rectitudo originalis perfectionem accidentalem] (sch. §. 697.), verùm talem imperfectionem accidentalem, quæ omnibus hominibus adhæret (§. 610.), semperque.

816.

Experimur illud considerando facultates animæ inferiores.

816. Uti autem experientia docet, omnes homines corruptos nasci (§. 811.), ita, *quòd posteà talis corruptio seu peccatum originale iis inhæreat, itidem experimur tùm in nobis ipsis, tùm in aliis, quando consideramus facultates animæ inferiores cognoscitivas & appetitivas:* Sensus namque non subsunt Intellectui, uti suberant in statu innocentiæ (§. 686.), juxta ipsos bonum dijudicatur (*Mor.* §. 180.), inde lex naturæ voluntasque Dei (§. 74. 76.) susque deque habentur (*Mor.* §. 180.), imaginatio, quià à sensibus ortum ducit (*Met.* §. 238.), sensibus depravatis & ipsa depravata est, hinc nonnisi talia repræsentat, quæ sensibus grata sunt, voluptatem ex iis perceptam vividè repræsentat, ad ea hinc denuò quærenda vividè stimulat, attentionem ad actiones nostras legemque Dei turbat (*Mor.* §. 181.), memoria recognoscit, quæ sensibus antè grata fuêre, è contrà oblivioni tradit legem Dei; unde facultas appetitiva tendit versùs objecta confusè cognita (*Met.* §. 434.), per Sensus & ab imaginatione repræsentata (ib. §. 435.), è contrà fastidit, quæ nullam voluptatem sensualem afferunt, & ad veram ducunt perfectionem, etiam in gradum notabilem seu affectus exurgit (ib. §. 439.), amorem, gaudium &c. ob bona apparentia, è contrà odium, tristitiam &c. ob bona vera, quæ pro malis habet.

Sch. 1. Hæc, quæ corruptionem originalem ostendunt, possent equidem etiam referri inter peccata illa, quæ actualia dicuntur, & de quibus posteà, cùm considerari possint ut effectus peccati originalis, interim nos hìc ea consideramus ut ipsam propensionem inclinationemque ad mala, adeòque ut peccatum originale; uti & ea, de quibus nunc porrò.

Sch. 2.

Sch. 2. Omnia organa sensuum testantur de corruptione originali, quemadmodum & Scriptura illa ita describit, v. gr. oculos, quòd nullus timor Dei iis obversetur Rom. 3: 18. quòd sint plêni adulteriô 2. Pet. 2: 14. concupiscentiâ 1. Joh. 2: 16. aures, quòd veritatem posthabeant 2. Tim. 4: 4. os, quòd plenum sit maledictione & amaritudine Rom. 3: 15. linguam, quòd sit fallax v. 13. quòd coërceri nequeat, quòd sit plena veneni mortiferi Jac. 3: 8. eôdem modô describit etiam pedes ac labia Rom. 3: 14. 15. appellat autem corruptionem hancce ex. gr. mortem in peccatis Eph. 2: 1. de qua (sch. §. 780.) servitutem peccati Joh. 8: 34. Rom. 6: 16. 17. [dominantur namque tunc in homine Sensus, imaginatio & affectus, qui status etiam Philosophis *servitus* audit] (*Met.* §. 491.) legem peccati Rom. 8: 2. & quidem membris, 7: 23. carnem v. 7. 8: 5 --- 9. veterem hominem Eph. 4: 22. Col. 3: 9. quia totum occupavit hominem, ac primitus in eo obtinet, hinc vetustum quid est; peccatum κατ' ἐξοχήν Rom. 7: 7. 8. peccatum inhabitans v. 20. cor lapideum Ez. 11: 19.

817. *Supersunt tamen reliquiæ imaginis Divinæ*: etenim supersest cognitio quædam naturalis de Deo (§. 22.), animis insita (§. 213.), & etiam ex consideratione Mundi haurienda (§. 488. 528.), de Lege Divina (§. 54. 74. 76.), discrimine inter honestum ac turpe (§. 64. seq.) Rom. 1: 19. 20. 2: 15. Supersest etiam omninò libertas, quâ, non obstantibus repræsentationibus sensualibus affectibusque, homo spontanèe agit: cùm repræsentationes bonorum apparentium ab ipso veniant, ipseque se ad ea determinet (*Met.* §. 518.); è pluribus quoque possibilibus eligit, quod maximè placet, quæ libertatem constituunt (ib. §. 519), jam cognitio erat una ex præcipuis dotibus imaginis Divinæ (§. 701. 705.), libertas autem prærequisitum (§. 676.). *Tamen adsunt imaginis Divinæ reliquiæ.*

Non

Non itaque reliquiæ hæ se extendunt ad omnes dotes imaginis Divinæ, cùm de sanctitate quæ præcipua fuit ex iis dotibus (§. 701. 705.), reliquiæ amplius non adsint, ut jam liquere potest ex iis, quæ dicta (§. 816. & sch. 2. ib.), & ulterius liquebit ex posteà dicendis. Reliquiis autem imaginis Divinæ, quod nemo non facilè videt, non annumerantur dotes physicæ imaginis Divinæ (sch. 1. §. 707.) illæ, quæ ad essentiam mentis pertinent, qualis est spiritualitas (ib.): hanc enim homo perdere non potuit, eò ipsò, quià ad essentiam ejus pertinet (*Met.* §. 41. 44.), cùm mens non aliter possit esse quàm spiritualis, hoc est, id, quod spiritualitas involvit, simplex, (*Met.* §. 742.), indestructibilis (ib. §. 921.), immortalis (ib. §. 926.), ob cognitionem distinctam (§. 925), quam amittere nequit ut spiritus (ib. §. 902. 903.); ut si spiritualitate privaretur mens, etiam rationalitate privaretur (§. 865.), tunc autem homo non amplius maneret homo; siquidem id dicit creaturam rationalem; equidem etiam libertas pertinet ad essentiam entis rationalis, cùm ex Ratione oriatur (ib. §. 520.), interim tamen exercitium ejus potest turbari amittique per coactionem tùm internam tùm externam, ideò ostendendum fuit, quòd homo in statu corruptionis eâ adhuc gaudeat, id quòd & in seq. porrò ostenderur, ubi de servo arbitrio; licèt omnino libertas valdè imminuta sit & imperfecta, tùm quià circa objecta versatur, quæ non faciunt ad veram perfectionem, tùm quià se determinat ex repræsentationibus confusis, at non obstantibus his semper manet libertas eaque talis, quæ plùs quàm sufficiens præbeat imputationis fundamentum. Quoad cognitionem, quæ homini supereſt in statu corruptionis, & ad reliquias imaginis Divinæ pertinet, id adhuc monendum, non eam ita concipiendam, ut semper & actu adsit: siquidem potest suffocari variis causis (prol. sch. 2. §. 5.), sed quòd homo potentiâ gaudeat propinquâ eam habendi (sch. §. 213.), & propositionibus Theologiæ naturalis tam theoreticis quam practicis non possit non assentiri, conscientiæque instinctus persentiscat, nisi illam datâ operâ consopire studeat.

Peccata actualia quænam dicantur.

818. *Peccata actualia* sunt actiones singulares seu individuæ actionum, vel etiam omissionum sub circum-

cumstantiis singularibus consideratarum Legi Dei felicitatique hominis veræ adversantium.

Sch. 1. Dicuntur etiam peccata actualia *derivativa*, uti à Leibnitio *Cauſ. Dei* §. 91. quæ fiunt committendo, adeòque peccata commissionis, ea hîc nos nominamus *actiones*, quæ verò omittendo, vel peccata omissionis, *omissiones*: priora possunt dici *positiva*, posteriora autem *privativa*: Philosophi namque, ubi actiones hominis considerant cum respectu ad legem, adeòque ut morales (§. 64.), appellant *actionem positivam*, quando aliquid commissum fuit contra legem, adeòque quod omittendum fuisset; *privativam* verò, quando omissum fuit, quod lex postulabat, hinc fieri debuisset; illa repugnat præcepto aliquid vetanti seu interdicto, hæc præcepto aliquid jubenti seu mandato; distinctio hæc respicit formam, & *ratione formæ* ita dividi dicuntur. *Ratione modi*, quô peraguntur, distinguuntur in peccata, quæ fiunt vel cogitando, vel loquendo, vel operando, adeòque vel mente, vel ore, vel corpore seu membris corporis reliquis, quæ distinctio hinc dici potest respicere instrumentum, quô committuntur; inter cogitationes etiam illæ sunt peccata, quibus voluntatis approbatio non accedit, & quæ audiunt *motus primo primi*, intelligitur id ex dictis (sch. 1. §. 812.), imò & ex ipsa Legis naturalis immensa amplitudine (*Mor.* §. 14. 27.), vid etiam Canzius *Uſ. Phil. Cap.* 11. §. 26. & sch. ib. committuntur verò omnia hæc vel erga Deum vel erga seipsum, vel erga proximum, quô modô *ratione objecti personalis* distingui dicuntur; & erga quodlibet ex iis objectis personalibus tam varia dantur peccata, seu tòt modis peccari potest, quòt erga quodlibet dantur officia, quæ in Philosophia Morali pertractantur, quam hîc præsupponimus; ut specialiùs, quot modis tùm erga Deum, tùm seipsum, tum proximum peccetur, hîc exponere necesse non sit. Quæcunque autem concipiuntur peccata, ea cum circumstantiis singularibus conjuncta sunt, quod ideò in definitione memoravimus: quælibet enim actio est individuum, conf. dicta (§. 609.), determinationes jam illæ, quas individuum, in omnibus planè postulat, sunt in actione ac dicuntur *circumſtantiæ*: hæ quippe sunt determinationes externæ.

Sch. 2. Nomina, queis Scriptura peccatum exprimit, sunt varia: hebraica sunt חטאה à חטא *aberrare à*

scopo Jud. 20: 16. Prov. 19: 2. scopus nempè hominis debet esse, ut Deus honoretur (§. 52.), propriaque perfectio promoveatur (§. 60.), jam verò peccata, quia adversantur Legi Dei felicitatique hominis, non tendunt ad eum scopum, è contrà adhuc versus contrarium, adeòque à scopo aberratur peccando; פשע *defectio*, nempe à legitimo Domino, מרד *rebellio* contra Ipsum: Deus quippe est legitimus ac supremus Dominus (§. 576.), peccando autem deficitur ab ipso & contra eum rebellatur, siquidem dùm peccatum contrariatur Legi Dei, adeòque lex hæc violatur, dominium Dei, quod Ipsi summo jure competit, excutitur obedientiaque Ei debita denegatur; porrò עון *discessio à regula & recto*, à עוה *à recto discedere*: dùm enim peccando lex Dei violatur, & hæc ex regula actionum liberarum (§. 54. 78.), à regula disceditur, unde sicuti, quod à regula physicè tali seu norma discedit, curvum est, & rectitudine physicâ caret, ideò convenientia actionis liberæ cum Lege naturæ Philosophis dicitur *rectitudo*, disconvenientia verò *defectus rectitudinis*; quo de in seq. (§. 831.); מרי ἀπειθεια *inobedientia*, quià peccando aliud volumus, quàm Deus vult (§. 58. 76.); reliqua nomina hebræa sunt טמאה, עברה, אשם, בגד, מעל, quæ itidem significationem habent desumtam vel à natura, vel ab effectibus peccati. Quoad ultimam vocem in specie notandum, peccatum sæpe ut impuritatem proponi in Scriptura [ad fœditatem ejus moralem indigitandam, quæ in defectu rectitudinis consistit] vid. Ez. 14: 11. 36: 25. 29. Zach. 13: 1. Jac. 1: 21. quô homo maculam sordesque contrahat, quæ ideo sint eluendæ Ps. 51: 9. Es. 1: 16. Nec minùs gentiles crimina ac vitia figuratô sensu (§. 172.) dicebant sordes, & per ea maculas diversi coloris & notas animæ imprimi ac inuri tenebant, per quas Judices inferorum dignoscant vitia, queis animus fuerit deditus, cùm per subtile corpus, quod anima [crassiore licèt per mortem depositô] retineat, & quod εἴδωλον, latinè *simulacrum*, *umbram*, dixerunt, appareant; vid. qui doctè hæc ac solerter è Scriptoribus antiquis eruit Vir Cel. LAUR. MOSHEMIUS *ad Cudworth.* p. 1043 — 1045. 1048. qui & non minùs solerter observat p. 1049. ex vetustissima illa

illa opinione de maculis per vitia in corpore signatis fluxisse lustrationes, purgationes &c. Græcè peccatum appellatur ἁμαρτία, quod convenit cum חטאה; ἀδικία *iniquitas*, violatio juris; παράβασις, *transgressio*, quod convenit cum hebraico עברה; παράπτωμα, *lapsus* ὀφείλημα, *debitum*; παρακοὴ *inobedientia*; ἀσέβεια. *omissio cultûs Deo debiti* (§. 53.). E nominibus itaque hisce notionem peccati non exsculpimus vel derivamus, convenienter regulæ Logicæ (*Log. C.* 12. §. 12.), sed nonnisi ostendere intendimus, ea cum notione peccati tradita convenire, & etiam significationem nominum istorum per notionem peccati traditam determinari; licèt illa sine hac nota esse debeat;

819. *Ex peccato originali non possunt non sequi actualia:* etenim peccatum originale est directio virium concupiscendi versùs bona apparentia (§. 814.), mala, seu inclinatio ad malum (§. 812.), adeòque dispositio naturalis ad peccandum, jam verò ex viribus sequuntur actiones (*Met.* §. 119.), si nempe nil obstet, uti in homine corrupto nil obstat, siquidem hic agit ex motivo voluptatis sensualis (§. 816.), imò ipsa directio virium dicit actionem; ex dispositione etiam sequitur actus, si nempe rationes determinantes reliquæ adsint, quæ sunt circumstantiæ, occasiones aliquid agendi, tùnc namque, quià requisita necessaria adsunt, complementum suum obtinet (*Met.* §. 525.); ergo ex peccato originali non possunt non oriri actiones malæ singulares sub certis circumstantiis consideratæ, adeòque Legi Dei felicitatique hominis adversantes, malum enim contrariatur tùm Legi Dei (§. 77.), tùm felicitati hominis (*Met.* §. 427. coll. *Mor.* §. 52.), tales autem sunt peccata actualia (§. 818.). *Sequuntur ex peccato originali.*

Peccatum originale non potest non parere peccata ac-

tualia, quoniam homo non potest non agere: substantiæ namque agunt (*Met.* §. 116.), anima jam est substantia (ib. §. 743.), hinc producit repræsentationes, appetitiones &c. (ib. §. 747.), corpus autem ut aggregatum substantiarum itidem agit (ib. §. 620.), & quidem harmonicè cum anima (ib. §. 535.); jam cùm principium actionum infectum sit scil. anima per peccatum originale (§. 812.), quod inde procedit, itidem infectum sit oportet, ut rivulus è fonte venenato procedens; vis etiam tendit ad continuas mutationes (*Met.* §. 117.), adeòque ut eas actuales reddat, & quià mala est, seu ad malum tendit, mutationes actuales, quas producit, itidem malæ sunt.

Omnes homines talia committunt.

820. Cùm jam omnes homines peccatò originali sint infecti (§. 810--812.), etiam *omnes peccata actualia committunt*, vel *actu peccant* Rom. 3: 23.

Si nempe ætas id admittat, & quàmprimùm illud admittit. De peccato etiam notandum, quòd unum altero gravius sit, non tantùm quoad materiam, circa quam committitur, & ob eam, verùm etiam ob animi destinationem, quæ in illo se prodit, & circumstantias, in quibus committitur; hæc major vel minor gravitas peccati redit ad majorem vel minorem gradum turpitudinis in actione (§. 71.), inde etiam unum peccatum altero magis imputari potest ac debet, seu dantur gradus in imputatione, conf. CARPOVIUS *de imputat. &c.* §. 153--155.

Inde oritur mors spiritualis.

821. Cùm è peccatis sæpiùs & diu patratis oriatur servitus peccati vel mors spiritualis (§. 779. 780.), adeòque è peccatis actualibus (§. 818.), ideò, quià homines peccata actualia committunt (§. 820.), etiam *in servitutem peccati mortemque spiritualem incidunt* Joh. 8: 34. 2. Pet. 2: 19. Eph. 2: 5. Col. 2: 13.

Sch. 1. Si nempe nil obstet, possunt enim plura adesse impedimenta felicia, quæ propensionem ad peccandum ingenitam refrenant, uti educatio, exempla, conversatio,

satio &c. bona, auxilia gratiæ externa (§. 447.), quæ omnia faciunt, ut conatus, quos habet ac exerit vis mala concupiscendi, in actum non exeat; hinc etsi omnes homines peccata actualia committant (§. 820.), tamen non prorsus omnes in servitutem peccati incidunt, licèt propterea nondum actiones edant bonas (§. 598.): cùm ex duplici defectu (§. 813.) tantùm adhuc primus sublatus sit, minùs, bonas sensu Christianô (§. 598.) cùm alia ad eas adhuc requirantur auxilia, de quibus demum Locô IX. conf. interim (§. 600. 667. 668.).

Sch. 2. In peccatis actualibus ac ex iis plerumque oriente servitute peccati consistit exercitium corruptionis originalis (§. 812.), atque hæc ut dispositio naturalis ad peccandum in illis complementum nanciscitur (*Met.* §. 525.), variè modificatur per illa, ac in actiones externas diversimodè prorumpit, has potiùs quam alias, ob circumstantias occasionesque, vel res, quibuscum proximè connexa est (sch. 2. §. 609.), cùm per se & in se ad quævis tendat mala. Ob hancce tendentiam ad mala servitus peccati, &, unde procedit, corruptio originalis (§. 820.), in Scriptura proponitur ut segregatio, separatio à Deo, homoque talis audit à Deo segregatus, abalienatus, vid. Ps. 58: 4. Es. 59: 2. Eph. 4: 18. quum enim Deus segregatus sit ab omni imperfecto (§. 332. 333. & sch.), hinc malo (*Met.* §. 426.), ille, qui malô infectus est, eôque delectatur, per id segregatus sit oportet à Deo, communione hinc cum Eo, summo bono (§. 334.), careat.

Sch. 3. Servitus peccandi etiam dicitur *dominium peccati* Rom. 6: 12. 14. nempe respectu peccati, quod homini dominatur per repræsentationem sensuum, imaginationis, vehementiam appetitûs sensitivi (§. 816.), quæ dominium dicuntur (*Met.* §. 491.), quod etiam servituti ab altera parte respondet (*Pol.* §. 162.), hinc homo servitute tenetur, & peccatum dominium in eum exercet; quoddam autem peccati genus vel species est, quæ dominium obtinet in hominem servum peccati: nam propensio naturalis erumpit in actiones has ob circumstantias &c. (sch. 2.). Huic vel illi peccato speciali seu certe peccati speciei si homo deditus sit, id dicitur in ipso *regnare* Rom. 6: 12. 14. & talia peccata regnantia dicuntur *vitia* (*Mor.* §. 436.), licèt aliàs vi-

tium nonnisi unum constituatur (ib. §. 64.), cùm in genere per id denotetur habitus legem naturæ violandi (ib.), adeòque, in Theologicis, peccandi. Uti autem homo semper agit ob bona, vel ob repræsentationem boni (*Met.* §. 506.), ita & dum peccat, peccatoque cuidam speciali deditus est, peccat ob bona apparentia, & quandam bonorum apparentium speciem præcipuè deamat, bona verò hæc ad tres classes communiter revocantur, nempe quòd vel voluptatem sensualem afferant (*Mor.* §. 469.), vel existimationi apud alios immoderatæ acquirendæ (ib. §. 597.) inserviant, vel ad necessitatem ac τὸ benè esse hujus vitæ requirantur, quæ sunt opes (ib. §. 513.), nimiâ affluentiâ & cupiditate immoderatâ quæsitæ; hinc tria vitia præcipua constituuntur, scil. voluptas, ambitio, & avaritia, indigitata etiam 1. Joh. 2:16. Atque in hisce consistit *philautia prava:* nimirum homo omnibus suis actionibus bonum quærit (*Met.* §. 506. 507.), ac per id statum suum perfectiorem reddere, quòd si jam id efficere quærat per bona, quæ talia judicantur à sensibus, imaginatione &c. perfectionem apparentem præfert veræ, committit defectum ulterioris tendentiæ (sch. §. 610.), quod constituit perversum sui amorem; philautia idcò prava contrariatur Legi naturæ (§. 60. 74.), ac revelatæ (§. 78. 118.), hinc perfectionibus Dei (§. 54. 76.), adeòque honori Ipsius (§. 52.), consequenter adversatur bono publico Civitatis Dei (sch. 2. §. 274.); inde perbenè monet Cl. CANZIUS, philautiam illam pravam esse, quæ bono publico Civitatis Dei ac gloriæ Dei detrahat, vid. *Jurispr. Civ.* &c. §. 675 -- 682.

Sch. 4. Mors hæc spiritualis & ipsa pœnæ rationem induit: dum enim crebris actionibus malis contrahitur, est malum cum prioribus actionibus connexum, & quidem tale, quod posset motivum esse pro iis omittendis, ne nimirùm talis mors vel servitus spiritualis adeòque habitus infelicitatem sibi accersendi è contrà impotentia veram felicitatem promovendi oriatur, tale autem est pœna (*Mor.* §. 36.); licèt enim nexus hic sit necessarius, nec tantùm sapienti Legislatoris arbitriò stabilitus, tamen id non impedit, quòminùs pœna sit; nam à voluntate Legislatoris Mundum hunc eligente (§. 232.) venit, quòd nexus ille actualis sit, hinc ab arbitrio Ipsius, licèt in scientia possibilium Ipsius

sius ut necessarius repræsentetur (§. 248.); conf. de hisce etiam dicta (§. 643. & sch. ib.).

822. E dictis patet, mortem spiritualem esse peccatum originale agendo auctum (§. 614. 812.). *Quæ est peccatum orig. agendo auct.*

Licèt enim differentia sit inter peccatum originale & actualia, è quibus sæpiùs repetitis mors spiritualis oritur (§. 779. 780.), tamen id, quod ex peccatis sæpiùs repetitis resultat, est major gradus propensionis ea porrò patrandi, quod dicit inclinationem ad malum fortiorem, & præsupponit aversationem boni seu benè agendi majorem adeòque carentiam dotum imaginis Divinæ, hæc autem constituunt peccatum originale (§. 812.), quare mors spiritualis oportet sit peccatum originale actualibus peccatis seu agendo auctum; sumimus nempe mortem spiritualem pro inclinationis vel propensionis gradu insigni ad peccata actualia, quæ impotentiam ad contrarium infert, aliquando verò sumitur ita, ut ipsa peccata actualia simùl eâ comprehendantur, quô sensu dictum fuit (sch. 2. §. 821.), quòd exercitium corruptionis originalis etiam constitat in servitute peccati. Patet ex his, mortem spiritualem esse imperfectionem contrariè sic dictam (sch. §. 813.), dum adversationem boni tantò majorem infert, quò majorem propensionem ad malum, & non tantùm fert inactivitatem in bono seu omissionem ejus, verùm etiam quam maximè activitatem in malo, assiduitatemque in eo (sch. §. 780.), etsi aliâs mors sit defectus virium agendi (§. 780.), & ut vitæ oppositum dicat inactivitatem.

823. *Servitus tamen illa peccati vel mors spiritualis neutiquàm tollit hominis libertatem in agendo:* etenim in servitute peccati morteque spirituali homo agit ex motivo voluptatis sensualis, bonorum apparentium, quæ amat, & ipsi repræsentantur per Sensus, imaginationem, ac inde sæpè affectibus in ea fertur (§. 816. sch. §. 780. sch. 3. §. 821.); repræsentationes autem hæ oriuntur in ipso homine, anima eas ipsa producit (*Met.* 747.), hinc & appetitus *Et neutiquàm tollit hominis libertatem.*

titus ac affectus ex illis orientes (ib.); principium igitur agendi homo habet in se ipso, consequenter agit spontaneè (ib. §. 518.), abest hinc omnis necessitas externa vel coactio, etiam interna, dum plura possibilia sunt objecta, ut res nunquàm in se vel absolutè sit necessaria, verùm maneat contingens; homo quoque per se non determinatus est ad unum eorum, sed determinat se demum post repræsentationes, unde & semper cognoscit ea, ob quæ agit in servitute peccati, hæc verò omnia sunt ea, quæ libertatem constituunt (*Met* §. 518.)

Sch. 1. Equidem jam in anteced. (§. 817.), ostensum fuit, quòd libertas homini remanserit non obstante corruptione seu peccatô originali, verùm hîc porrò ostendendum fuit, quòd nec per servitutem peccati seu mortem spiritualem, quæ adhuc plùs dicit quàm peccatum origin. (§. 822.), tollatur; id etiam inde patet, quià anima semper manet substantia, hinc vi agendi interna pollet (sch. 3. §. 523.), estque, ut & dicitur, *entelecheia*; vim repræsentativam indeque orientem vim appetitivam (*Met.* §. 878.), perdere nequit, quoniam essentiam ejus constituunt (ib. §. 755. 894.), hinc nec perdere potest libertatem inde resultantem.

Sch. 2. Libertatem interim, quâ homo servus peccati gaudet, esse imminutam ac imperfectam, negari nequit, idque ideò, quoniam ad veram libertatem requiritur cognitio distincta (*Met.* §. 514. 891.), servus peccati autem nonnisi ex repræsentationibus sensuum adeòque confusis agit, dum non attendit, quænam inde oriatur mutatio statûs sui in pejus (*Mor.* §. 2.), nihilominùs tamen remanet libertas: ad hanc namque sufficit, si obligatur è pluribus possibilibus, quod maximè placet (*Met.* §. 519.), adeòque placeat sive ex repræsentationibus distinctis sive confusis; etiam dum non attendit, quænam mutatio statûs sui in pejus connexa sit cum actione mala, adeòque non auscultat Rationem (*Mor.* §. 122.), voluntariò & liberè id facit. Quàmvis & vehementibus affectibus homo eò rediga-

tur,

tur, ut videns meliora probansque deteriora autem sequatur, tamen semper spontaneus manet: siquidem semper se ipsum determinat ad aliquid, lubentissimè agit, quod suadet cupido, è contrà omittit, quod suadet mens, seu Ratio: imò, quò vehementiores sunt affectus, eò lubentiùs homo fertur ad quid: quià ibi eò fortiora sunt motiva, voluptas nempe sensualis, quæ suaviter afficit, cognitione intuitivâ multum præponderante motivis suppeditatis à Ratione per cognitionem symbolicam *(Met. §. 503.)*; locùm hîc invenit voluntas antecedens & consequens (ib. §. 504.), illius motiva sunt repræsentationes distinctæ Rationis, hujus autem voluptas sensualis, quæ ut motivum fortius prioribus supervenit, & juxta quam mens lubenter agit; propterea quoque homo contra conscientiam agere potest: scil. postquàm priùs judicavit, aliquid non esse agendum, quià malum sit, [per voluntatem antecedentem] tamen posteà judicet, se nihilominus id agere velle, quià voluptatem sensualem afferat, seu [ut Theologi loquuntur] carni gratum sit, [per voluntatem consequentem] *(Mor. §. 87.)*. Hinc rectè Gürtlerus *instit. Theol. Cap. 11. §. 40.* pronuntiavit, quòd Medea videns meliora probansque, deteriora autem sequens duo formaverit judicia, redit nempe id ad distinctionem inter voluntatem antecedentem ac consequentem, quæ solidissima & magnæ utilitatis est.

Sch. 3. Nec tantùm homines ea, quæ volunt, eò ipsò liberè, lubenter, volunt, verùm adhuc certum [ut ita dicam] habent imperium in voluntatem, id est, possunt eam ita disponere, ut velint, quæ antèa noluerunt, & ut Ratio affectibus dominetur, imperium autem id *indirectum* tantùm est, facit hùc, quod scribit Leibnitius *Theod. §. 327.* »fatendum est, semper in voluntatem »nostram satis potestatis inesse nobis, sed non semper »venit in mentem illâ uti, unde palam fit, uti jam »sæpiùs observavimus, animæ in suas inclinationes im»perium esse potentiam, quæ nonnisi *indirectè* possit exer»ceri, —— equidem actiones externæ, quæ vires no»stras non excedunt, à voluntate nostra pendent abso»lutè, sed ipsæ nostræ volitiones non pendent ab illa »nisi per quædam diverticula solerter quæsita, quæ con»silii nostri vel suspendendi vel mutandi viam nobis »suppeditant; conf. etiam *(Mor. §. 396.)*.

Nec imputationem ad pœnam.

824. *Non obstante* hinc *servitute peccati imputatio ad pœnam omnino locum habet:* ibi namque imputari jure possunt facta ad pœnam, ubi est lex ac libertas, hinc ubi factum omissu possibile fuit, at hæc omnia adsunt in servitute peccati (§. 118. 823. & sch. 2. 3. ib.).

Vid. CARPOV. *tr. de imput.* &c. præsertim §. 117 -- 119. & quidem habet locum imputatio non solùm ad pœnam correctivam (sch. 2. §. 316.), sed & compensatoriam (ib.), unde reatus pœnæ æternæ; tantò magis imputatio talis locum invenit contra servum peccati, quòd voluntariò se ejusmodi servum fecerit, & etiamnum servitute hâc delectetur, non obstantibus disuasionibus Rationis, conscientiæ, comminationibus Legis Divinæ »homo sita loquitur Auctor *Theod.* §. 277.] » -- est sub peccati & »Satanæ dominatu, quià sic lubet, servus est voluntarius ob pravam suam concupiscentiam.

Quid sit servum arbitrium, quid liberum.

825. *Servum arbitrium* est defectus virium agendi juxta regulam optimi ac ex motivo perfectionum Divinarum, seu edendi actiones bonas (§. 598.), adeòque est habitus peccandi, ejus oppositum *liberum arbitrium* ideò nobis est determinatio actionum liberarum juxta regulam optimi ac ex motivo perfectionum Divinarum, vel etiam habitus ita agendi.

Liberum arbitrium itaque non sumimus pro libertate in genere, sed nonnisi pro vera & perfecta, ubi actiones determinantur, prout Ratio & quoque revelatio eas determinare jubent; quòd si verò quis libertatem qualemcunque & in genere intelligi debere velit per liberum arbitrium, cum eo litigandum non est; quoniam definitiones nominales sunt arbitrariæ; interim commodè ita definitur, ut nos definimus: quoniam oppositum debet esse servi arbitrii, uti jam id libertatis malum usum dicit, seu eam ad malum vertere, ita è contrà illud dicere debet libertate rectè uti, seu eam versus bonum vertere.

826. Ser-

826. Servum arbitrium itaque non differt à servitute peccati, morteque spirituali (§. 779. 780.), liberum arbitrium è contrà idem dicit ac sanctitatem voluntatis, quâ primus homo ornatus erat (§. 684. 685.). *Quomodo utrumque aliàs dicatur.*

827. Arbitrium hominis igitur in statu destituto est servum, homoque liberum arbitrium perdidit (§. 820. 821.). *Arbitrium hominis est servum.*

Liberum arbitrium itaque homo perdidit, neutiquàm autem libertatem, quod mox perspiciet, qui attenderit ad notionem utriusque traditam (§. 825. & sch. ib.); libertas itaque hominis in agendo per §. præsentem neutiquàm infringitur, & nullâtenus contrariantur nunc dicta iis, quæ modò dicta (§. 823. & sch. 1--3. ib.). Qui verò dicunt & volunt, hominem in statu peccati adhuc gaudere liberô arbitriô, ii terminum liberi arbitrii sumunt pro libertate in genere, quæ etiam versus malum dirigatur, quô sensu Leibnitius dicit *Theod.* §. 277., „ita his liberum & servum arbitrium idem „sunt. Juxta hunc vocis sensum & nos dicimus, hominem peccatorem servumque peccati habere adhuc dum liberum arbitrium; interim insistemus semper traditæ hujus termini notioni (§. 825.), juxta hanc dum dicimus, hominem liberum arbitrium perdidisse, idem est, quod aliàs dicitur, hominem liberum arbitrium *in spiritualibus* perdidisse.

828. Patet quoque, servum arbitrium neutiquam tollere nec hominis in agendo libertatem nec imputationis ad pœnam justitiam (§. 823. 824. coll. 826. *Non tollit libertatem nec imputationem.*

Servitus nimirum hæc arbitrii talis est, ut seipsam determinet, principium agendi habeat in se (§. 823. & sch. 1. ib.), neutiquam verò voluntatem alterius imperio arbitrioque subjectam habeat, quod aliàs in servitute servisque obtinet (*Pol.* §. 171.), ut hinc servitus dicatur impropriè (§. 172.); Theologi ideò servum homini adscribendo arbitrium prorsus non ipsi denegare volunt

lunt libertatem, vel quòd non voluntariò ac spontaneè agat, non magis quàm Philosophi (*Met.* §. 518. 519.), itidem servitudem homini adscribendo (ib. §. 491.), ac dicendo, quòd ei dominentur Sensus, imaginatio & affectus (ib.). Servum arbitrium etsi etiam dicat impotentiam [id enim defectus virium (§. 825.) secum fert] tamen ea non concipienda est ut impossibilitas absoluta: contrarium enim in se & absolutè possibile est, quippe cogitationes mentis, quæ requiruntur ad actiones bonas (§. 598.), motusque corporis itidem ad has requisiti neutiquam impossibiles sunt, sed in se possibiles, illæ per essentiam animæ, hi per structuram corporis; hæc mera possibilitas potest dici *potentia remota*, ut adeò servus peccati tamen habeat potentiam remotam ad bonum, quæ tamen in actum nunquam exit, cùm desit potentia *propior*, quæ dicit indifferentiam quandam ad rem, uti illa prior aversationem, repugnantiam &c. multò magis desit potentia *proxima*, quæ dicit propensionem, & in actum transit, uti hæc benè ita distinguit CANZIUS *Jurispr. Civ. &c.* §. 561. o. p. Impotentiâ itaque homo laborat ad bonum spirituale, utrùm autem ea dicenda sit *physica* an *moralis*, superfluè ferè est litigare: cùm utraque denominatio convenire possit, illa, quòd impotentia ea homini naturalis sit & à natura inhæreat (§. 812.), hæc, quòd locum habeat in causis intelligentibus (§. 590), quæ quum actiones juxta legem determinare debeant, etiam *morales* dici possunt (§. 64.), item quia impotentia illa versatur circa mores hominis; ut, qui alterutram denominationem ferre nolunt, aut de voce litigent, aut non prorsus rectas de re ipsa habeant notiones.

Est vincibile quid. 829. E dictis liquet, peccatum & servitutem peccati vel servum arbitrium esse *vincibile* quid, tale nempe dicitur, quod evitare quis potuisset, si seriò voluisset.

Inde autem corruptionem hominis cum Pelagianis & Pelagianizantibus extenuari nemo dixerit, qui hactenus dicta probè tenuerit.

Homini lex præscribi potest. 830. Liquet porrò, servitutem peccati non impedire, quòminùs Deus homini legem suam præscribere jure possit ac sapienter.

Acce-

Accedit, quòd lex officia promissionibus ac minis sancita præscribens sit medium, per quod homo è servitute peccati eripi possit, quo de Locò IX. ubi de vocatione; & etsi homo officia Legis præstare in statu destituto minimè possit, multò minùs actiones liberas juxta illam determinare ex motivo liberationis à Christo præstitæ (§. 598.), seu fidei (sch. §. 435.), tamen lex jure præscribi potest à Deo: cùm non sit mensura virium, sed norma officii, & hæc ratio sufficiens sit, ut superior legem præscribere possit: hic enim jure suò non excidit, si inferior viribus destituatur propriâ culpâ ac petulanter; ut adeò, si servitus peccati absolutam homini imponeret impossibilitatem bonum agendi [quod tamen secus est] (sch. §. 828.) tamen id Deo non demeret jus legem suam ei præscribendi. Ut taceam, quando lex homini proponitur, id obtineri, ut saltem à gravioribus abstineat peccatis, externa quàdantenus componat juxta legem, [etsi non ex vero motivo] ad agnitionem peccatorum sensim perducatur, ut altius auxilium quærat.

Quid sit rectitudo actionis, quid defectus ejus &c.

831. *Rectitudo* actionis est convenientia ejus cum Lege, *defectus rectitudinis* igitur in actione est disconvenientia ejus cum Lege, quare cùm peccatum sit, quod Legi adversatur (§. 812.), *peccata sunt actiones, quæ defectu rectitudinis laborant.*

Non differunt ab hac definitione peccati itaque quoad rem illæ, quæ traditæ (§. 812.) & jam (§. 620.), ut ad notiones attendens facilè perspiciet, nec etiam ab ea, ubi definitur per actionem à bono, quod eligendum erat, deflexam: nam bonum, quod eligendum, Lege præscribitur, hinc si ab illo deflectitur, eò ipsò à Lege deflectitur, & actio non convenit cum ea; definitionem autem nostram ideò hic attulimus, quoniam sequentibus commodam sternit viam. Defectus rectitudinis actionis est idem, quod supra vocavimus vitiositatem actionis (§. 605. 606.), & defectum ulterioris tendentiæ (§. 610.).

Quid culpa, quid dolus.

832. Defectus rectitudinis actionis vincibilis dicitur *culpa in genere*, defe-

defectus verò rectitudinis actionis quoad intellectum vincibilis *culpa in specie*, vel *culpa* simpliciter, defectus denique rectitudinis in actione quoad voluntatem & noluntatem dicitur *dolus*.

Sch. 1. Non differt reipsa ab hac definitione culpæ & doli ea, quæ aliis recepta est, quâ culpam definiunt per omissionem non deliberatam diligentiæ, quæ adhiberi poterat ac debebat, dolum autem per omissionem deliberatam vel voluntariam talis diligentiæ; dolus etiam *malitia* appellari potest, & si non tantùm deliberatò omittitur, quod faciendum erat, verùm adhuc contrarium committitur, dicitur *dolus compositus*. JCti culpam ut medium quid constituunt inter infortunium ac injuriam, quarum illam Græci dicunt ἁμάρτημα, istud ἀτύχημα, hanc ἀδίκημα, vid. eruditè de hisce agens Ill. GROTIUS *de I. B. P. Lib.* 3. *Cap.* 11. §. 4. Theologi autem culpam latiùs sumunt, ut & dolum sub se comprehendat, cùm omnia peccata mala culpæ appellent (§. 620.).

Sch. 2. A culpa actio dicitur *culpabilis*, quæ defectu quôdam rectitudinis vincibili laborat, sive positiva fuerit, id est, in committendo consistat, sive privativa, id est, in omittendo, prior etiam dicitur *factum culpabile*, posterior, *non factum culpabile*; actio, quæ per dolum fit, dicitur *dolosa*, & hinc, quià dolus appellari potest malitia (sch. 1.), actio dolosa etiam dici potest malitiosa; omni dolo inest culpa, ita ut omnis dolus simùl sit culpa, non è contrà culpa sit dolus: cùm hic illi aliquid addat, nempe deliberationem.

Peccata sunt culpæ. 833. *Peccata itaque sunt culpæ*: quippe peccata sunt actiones defectu rectitudinis laborantes (§. 831.), & quidem vincibili (§. 829.), id autem constituit culpam (§. 832.).

Sch. 1. Jam supra (§. 620.) peccata diximus mala culpæ, interim hîc è definitionibus id deducendum fuit; peccatum etiam & culpam esse violationem officii (§. 82.) nemo non videt. Negotium autem cui facessat, quomodo, si omne peccatum culpa dicatur, id convenire possit peccato originali & motibus primo-

primis,

primis, cùm illud evitare non ſtet apud illum hominem, adeòque non ſit vincibile (§. 829.), conſequenter nec culpa (§. 832.), quod idem de motibus primo-primis dicendum; at reſpondetur quoad illud, ex imputatione culpæ alienæ, quæ inde fiat moraliter propria (§. 802. ſeq.), originem trahere, & hinc fieri culpam, deinde eâtenus vincibile eſſe, quâtenus homo eô delectatur, illud fovet, auget; motus etiam primo-primi non orirentur, niſi culpæ aliæ præceſſiſſent, harum adeò ſunt quaſi corollaria, & hinc, etſi voluntas illos non approbet, culpam contrahunt ac culpæ fiunt.

Sch. 2. Peccata ſunt culpæ, ut nempe in pluribus etiam dolus occurrat, dùm voluntariò ac deliberatò fiunt, quod Scriptura vocat, *elatâ manu fieri* Num. 15: 36. ac ejuſmodi peccatum poteſt vocari *malitioſum* (ſch. 2. §. 832.), item *petulantia*, quòd adeò ax animi pravitate proficiſcitur, uti culpæ magis ex præcipitantia, ignorantia, quamvis vincibili (§. 832.); audiunt in Scriptura שגגות *errores* Num. 15: 26---29. ἀγνοήματα *ignorantiæ* Hebr. 9: 7. Dolus ineſt præcipuè iis peccatis, quæ reliquis graviora ſunt (ſch. §. 820.), inter quæ eminent, quæ *clamantia* dicuntur, & doli cæteris immaniores vocari poſſunt, talia ſunt; cædes ſeu homicidium [deliberatum nempe] Gen. 4: 10. defraudatio mercedis operariorum Jac. 5: 4. oppreſſio viduarum, orphanorum, pauperum Ex. 3: 7. 22: 22--24. 27. ſcelus Sodomicum Gen. 18: 20. Dolus quoque cum ſingulari animi obſtinatione ineſt peccato, quod dicitur, *in Sp. S.* Matth. 12: 31. 32. per hoc namque non intelligitur quodlibet, quod adverſus Eum committitur Eph. 4: 30. Christus ideò illud appellat etiam blaſphemiam in Sp. S. l. cit. v. 31. ſed in eo conſtituitur, ubi quis veritatem Divinam, licèt de ea convictus, negat, oppugnat, blaſphemat, odiô adverſus eam, aut eos, qui illam proponunt, propterea, quòd commodis ſuis non conveniat; vocatur ideò peccatum hoc *in Sp. S.*, quia convictio de veritate priùs ab ipſo venit, donis nempe Ipſius ordinatiis, unde contra Eum committitur, uti & Phariſæi tempore Chriſti contra Sp. S. illud commiſêre, quià miracula, quæ ſunt opera Sp. S., blaſphemarunt. Peccatum hoc poſſibile eſt etiam hodiedùm, licèt rarius ſit; ſuntque & alia quædam, quæ cum eo affinitatem habent, ac ad illud accedunt; eſt

autem

autem itremissibile non solùm ob atrocitatem, sed præcipuè ob conjunctam cum eo duritiem cordis maximam, orientemque inde impœnitentiam finalem; vid. præter alios HULDRICUS *in Matth.* 12:31.32.

Ob ea omnibus hominibus moriendum est.

834. Ubi culpa, ibi pœna, ex culpa enim oritur reatus seu demeritum (per princ. juris), ubi verò id, ibi pœna: siquidem est obligatio ad eam (§. 784.), & cùm culpa vincibile quid sit (§. 832.), imputari ad pœnam potest; peccatum etiam obligat ad pœnam (§. 782.), at culpa est peccatum (§. 833.) cùm talis pœna peccati sit mors temporalis (§. 786.), eamque Deus homini denunciaverit, si peccaret (§. 722.), ac posteà patratô peccatô denuò indixerit Gen. 3:19. omnes autem deinde homines peccaverint (§. 820.), adeòque culpam contraxerint, etiam *omnibus hominibus mors temporalis seu naturalis subeunda est ùt pœna peccati*, vel, omnibus moriendum est ob peccatum Rom. 5:12. 6:23.

Sch. 1. Coacta autem ac violenta est hîc interpretatio Socin., loca hæc sumentium tantùm de morte æterna, quæ ipsis est totalis hominis ac perpetua quoad mentem corpusque destructio; equidem mors æterna etiam intelligenda est l. cit., [licèt non sensu Socin.] at non sola, quænam enim ratio excludendi mortem naturalem seu temporalem, quam vox ipsa adhuc magis & propriè significat? num impropria vocis acceptio sectanda, impropria verò relinquenda, idque sine ulla planè necessitate (sch. 1. §. 172. & §. 178.)? & quomodo mors æterna ab ipsis pronunciari potest pœna, cùm temporalem considerent ut finem miseriarum (sch. 2. §. 786.)? vid., qui hac de re contra eos disputat HOORNBECKIUS *Socin. conf. to.* 1. p. 598 -- 600.

Sch. 2. Quòd peccata mortem mereantur, nec gentilibus ignotum fuit, testante PAULO Rom. 1:32. quòd mors ob peccatum hominibus infligatur, etiam indicat locus Rom. 8:10. ubi Apostolus dicit, corpus esse mor-

mortuum ob peccatum, item 1. Cor. 15: 56. ubi peccatum dicit esse κέντρον τῦ θανάτυ, nec non Ezech. 18: 4. hîc namque anima, quæ peccaverit, pronunciatur moritura; nemo autem cum Socin. in hisce locis inveniet vel mortem æternam [sensu ipsorum ita dictam sch. 1.] vel violentam, ut adeò vim his locis manifestam inferant. Quod verò dicunt, mortem necessariam intelligendam, id est, ipsam mortis actualitatem, ei non repugnant orthodoxi: moriendi quippe necessitas est hypothetica, & ante peccatum fuit impossibilitas moriendi hypothetica, non autem absoluta (§. 716.), aliter mors nunquam sequi potuisset per princ. Ontol. (*Met.* §. 15.).

Sch. 3. Non solùm moriendum est iis, qui commiserunt peccata actualia (§. 818.), & membris corporis perpetrarunt peccata externa, sed & iis, qui per ætatem id nondum potuerunt, id est, infantibus: tales enim haud dubiè intelligit Paulus per eos, qui non peccarunt in similitudine prævaricationis Adami Rom. 5: 14. unde iis moriendum esse sequitur ob peccatum originale. E parentibus etiam, qui gestant corpus morti obnoxium, non possunt nasci infantes tales, quorum corpora non essent morti obnoxia (§. 810.); quoniam itaque ob peccatum omnibus moriendum est hominibus, hoc autem à primis parentibus venit per propagationem (ib. & sch. 2. 3.), adeòque à Protoplasto Adamo, ideò Scriptura dicit, per unum hominem mortem venisse 1. Cor. 15: 21. omnesque mori in Adamo, ib. v. 22. Unde & patet ulterius mortem, seu quòd homines moriantur, non à natura eorum in genere [id est à dispositione corporis, & sine respectu ad peccatum] venire (sch. 3. §. 715. sch. 2. §. 716.), & errare dicendos esse eos, qui id statuant.

Inde veniunt ut pœnæ morbi ac cætera calamitates.

835. *E peccato* etiam *tanquàm pœnæ veniunt morbi* (§. 715.), *nec non cætera malorum plaustra* (§. 642.), *quibus homines premuntur*, *& quæ* calamitatum *nomine veniunt*, *uti bella*: hæc enim in statu innocentiæ locum habere non potuissent, ob amorem erga proximum, qui ex amore erga Deum non potuisset non sequi

(§. 684.), & quià imperia ac ſtatus Civiles, quales hodiedum, non obtinuiſſent (§. 714.), cupiditas ideò inſatiabilis imperii terminos prorogandi, quæ bellorum cauſa eſt ferè unica, locum non habuiſſet, uti & propterea, quòd pravi affectus tunc abfuerint (§. 689. 691.); ſed & cæteræ calamitates ex mala adminiſtratione ſtatûs paterni, Herilis & Civilis venientes, & quæ innumeræ, nonniſi à peccato veniunt: ſiquidem in ſtatu integritatis aliter ſe habuiſſent ſtatus hi (§. 713. 714.), benèque adminiſtrati fuiſſent vi Sapientiæ & Sanctitatis (§. 681. 685.), ſunt itaque hæc omnia mala cum peccato connexa ab Intellectu Dei ac voluntate Ipſius (§. 248. 277.), ùt Legislatoris (§. 76. 78.), hinc pœnæ peccati (*Mor.* §. 36.).

Calamitates hæ ſunt vel *univerſales*, id eſt, ut toti regioni aliquando ſuperveniant, uti bella, peſtis, Tyrannis Summorum Imperantium, defectus annonæ &c. vel particulares, ut nonniſi his aut illis locis regionis cujusdam & perſonis immittantur; ſunt omnes hæ calamitates mala phyſica (§. 642.), quæ tamen ſæpe fiunt bona ſubſidiata, dum præſervant à majori malo (ſch. §. 648.), quod idem de infortuniis dicendum, quæ etiam calamitatibus annumeranda. Ad mala phyſica è peccato venientia pertinet quoque, quòd terra ſit parum frugifera, vim habens locô herbarum ac frugum tribulos & ſpinas progerminare faciendi Gen. 3: 17. 18. „ etenim (ita loquitur Cl. GÜRTLERUS *inſt. Theol. Cap.* 12. §. 61.) „ quià prævideràt Deus, fore, „ ut homo inter creationem novorumque terræ fru„ ctuum proventum breviſſimè à Conditore deficiat, „ poterat illas utique Leges naturæ ferre, quæ ſtatui „ hominis in peccatum prolapſuri convenirent, nec „ mutari jam poſt lapſum, cùm vix ſanctæ eſſent, opùs haberent; conf. etiam CANZIUS *Jurispr. Civ. Dei* §. 486---493. ubi habet, per quæ occurri poteſt dubiis eorum, qui mala hæc pœnas peccati eſſe nolunt, [inter quos & Socin. ſunt] eò quòd naturaliter eveniant,

eveniant, juxta Leges cursumque naturæ, quod sanè miserum est Philosophari: quasi verò cursus regnumque naturæ non specialissimè à Deo dirigatur ac gubernetur (§. 178. 669.), & non attemperaverit Deus Leges naturæ seriemque eventuum statui hominis morali ab Ipso prævisо (§. 244. 257.)? ut omnia sint harmonica, quod Sapientia Ejus amat (§. 269.), quantùm nempe regulæ generales permittunt (sch. 3. §. 651.), ad quod quippe itidem respicit Sapientia Divina (§. 269.). Manent proinde mala hæc naturaliter evenientia pœnæ peccati: cùm naturalis etiam sequela actionis sit pœna & remuneratio (*Mor.* §. 37.); vel ex Theologia naturali refelli possunt, qui illud negant, (*Met.* §. 1030. 1034. 1060.), & qui benè perspexerit ea, quæ supra de decreto Dei super omnia & providentia Ipsius stabilita sunt (§. 410. seq. §. 646. 648. 651.), ei nullum amplius supererit dubium; licèt dici possit, calamitates hasce respectu quorundam esse veras peccati pœnas, respectu aliorum autem magis damna, dum iis, ob sontes immissis, simul involvuntur, adeòque de calamitatibus aliis debitis simul est participandum; est nempe *damnum* carentia boni cujusdam [adeòque & perpessio mali] ob culpam alterius. Inter mala physica è peccato originem trahentia tandem quoque referendum, quòd posteri Adami seu liberi à Matribus multo cum dolore, vitæ periculo ac molestiis in lucem edantur Gen. 3: 16. de quo idem tenendum, quod modò quoad cætera dictum. Priorum illarum calamitatum quædam aliquando immittuntur à diabolo & per ipsum: hic enim aliquando morbos immittit Job. 2: 7. aliasque calamitates ib. 1: 12. seq. Apoc. 2: 10. 12: 12. 13. conf. (sch. 2. §. 563.), interim tantùm ut minister vel executor jussorum Dei Job. 1: 12. Matth. 8: 31.

836. *E peccatis* porrò *ùt pœnæ oriuntur morsus conscientiæ, quibus homines excruciantur* (*Mor.* §. 109. 110.) Rom. 2: 15. sunt enim pœnæ peccati, quoniam itidem cum eo connexa sunt, & quidem à Deo, per cujus Intellectum possibile fuit, ut peccatum commissum tale tædium vel morsus conscientiæ sequatur (*Met.* §. 975. & *Mor.* *Nec non morsus conscientiæ.*

§. 29.), ac per Ejusdem voluntatem nunc ad actum deducitur (*Met.* §. 988. & *Mor.* l. cit.), malum autem ita connexum cum actione ùt motivum pro ea omittenda est pœna (*Mor.* §. 36.), uti morsus conscientiæ motiva sunt pro actionibus malis omittendis (ib. §. 136.), sunt ergo pœnæ peccatorum.

Morsus hi conscientiæ appellantur quoque à Theologis *angor*, quæ vox naturam & molestiam morsuum conscientiæ benè indicat; talis angor, quem peccatores sæpissimè persentiscunt, est prænuncia angoris post hanc vitam. Loquimur autem hîc de morsibus conscientiæ, quos sentiunt non tantùm ii homines, qui revelationem Divinam seu Scripturam S. habent, hinc ex ea de peccatorum gravitate comminationibusque Divinis edocti sunt, verùm etiam, quos sentiunt ii, qui revelatione destituuntur, de quibus PAULUS quoque loquitur l. cit. Rom. 2: 15.

Pœna peccati maxima est mors æterna.

837. Tandem *pœna peccatum sequens eaque omnium gravissima est mors æterna*, seu perpetua post hanc vitam exclusio à Deo summo bono, perpessioque maximorum cruciatuum: talem namque Deus primis parentibus comminatus est, si legem transgrederentur (§. 728.), eandemque deinde comminationem repetiit Matth. 25: 41. 46. 1. Cor. 6: 10. adeòque connexuit cùm peccato ùt motivum pro eo omittendo, & quidem arbitrariò, hinc est pœna (*Mor.* §. 36.); talis pœnæ autem anima est capax (§. 88.), ob immortalitatem (§. 525.), Deusque eam ob justitiam suam non potest non infligere (§. 84. 316.), & alias rationes exceptionem non admittentes (§. 85. & sch. 2. ib.); accedit, quòd in anima status è statu pendeat (*Met.* §. 128. 925.), quià ergo jam in hac vita sequela peccati est angor conscientiæ (§. 836.), post hanc

hanc vitam non potest non continuari ac augeri.

Sch. 1. Amor boni publici, qui in Deo maximus est vi Intellectûs summi voluntatisque perfectissimæ (§. 245. 275. 332.), hancce postulat pœnam (sch. 2. §. 313.), etsi præteritum respiciat ac compensatoria sit: in convenientiis quippe fundata est, & tendit ad redintegrationem lacunæ per peccatum Mundo illatæ (sch. §. 85.). In humanis pœnæ aliquando remittuntur tum ob alias rationes, quæ in Deum non cadunt, (sch. 317.), tum quòd non quodlibet delictum fini Reipublicæ deroget, at alia ratio est Civitatis Dei (sch. §. 812.), quæ omnem possibilem harmoniam requirit, & cujus fini vel minimum adversatur delictum, quod ideo Rector hujus Civitatis sine compensatione relinquere nequit. Loquimur verò hîc de morte æterna, prout peccator eâ dignus est, non respiciendo, utrùm per medium aliquod ab ea liberari possit (§. 89. 454.). Socin. autem hic notanda est deviatio, qui, ut fucum faciant, terminô *mortis æternæ* licèt utantur, tamen eô non aliud indigitant nisi totalem hominis destructionem, qua tam anima quàm corpus cessaturum sit post hanc vitam; quoad animam jam refutata est hæcce sententia, ostensâ immortalitate ejus (§. 525.), quoad corpus id fiet Locô XII.

Sch. 2. Quæritur verò hîc loci, num solum peccatum originale absque actuali dignum sit morte æternâ, atque adeò num infantes, qui moriuntur, antequàm ullum peccatum actuale commiserunt, rei sint mortis æternæ, ad quod respondendum, Deum, si vellet justitiam exercere juxta rigorem, ipsos excludere posse vitâ æternâ, atque afficere pœnâ damni; [potest nempe discrimen hîc constitui inter pœnam damni & pœnam sensûs, quòd scil. illa sit simplex carentia adeòque tantùm unus defectus, pœna sensûs autem duplex defectus, eòdem modô uti in peccato originali (sch. §. 813.), & ut diversa semper concipiuntur simplex absentia voluptatis & præsentia ejus contrarii seu tædium] (*Met.* §. 418.), tali pœnâ Deum illos afficere posse tùm ob peccatum imputatum (§. 807.), tùm inhærens originale (§. 810. 812.), interim tamen Ipsum id facere nolle ob Filium suum (§. 337.), in cujus sponsionem (§. 456.) tales infantes ut consentientes consensu interpretandô (§. 764.) consideret tam diu, do-

nec Rationis adepti usum dissensum ostendant vel expresse impiâ doctrinâ seu fide, [si fuerint infantes gentilium] vel tacitè vitâ sceleste: quòd si enim infantes Christianorum ante baptismum morientes ideò extra periculum damnationis esse creduntur, quià à parentibus repræsentantur, & hinc spectantur ut consentientes in Religionem parentum: itidem reliqui omnes infantes spectari possunt ut consentientes consensu interpretandò in æternum pactum Filii cum patre (§. 455. Consensus talis nondum existentium nisi statuatur, non locum habet societas (§. 760.) inter Christum posteritatemque Ejus sibi conciliandam, inde quoque nullum Caput repræsentativum in opere liberationis, nulla sponsio, nullum pactum æternum, ut egregiè hæc monet Cl. CANZIUS *Jurispr. Civ. &c.* §. 1075. seq. distingui hinc benè potest cum solidiss. CARPOVIO *tract. de imputat. &c. p.* 172. inter *damnabilitatem & damnationem*: damnabiles essent infantes tales, interim ob consensum interpretandum in liberationem Capitis repræsentativi Christi Deus eos non damnat; vel etiam inter sufficientem causam damnationis & adæquatam: peccatum originale dicendo sufficientem damnationis causam non autem adæquatam, id est, Deum ob illud nolle damnare infantes; accedit, quòd Deus per Spiritum suum idque modò extraordinariò in talibus infantibus operari possit, add. Matth. 19: 14. vid. RICHTERI egregia dissert. *de salute infantum Christian. æquè ac paganorum* sub præsidio Cel. MOSHEMII habita Helmst. 1733. Idem dici potest quoad peccatum actuale, nimirum quodlibet sufficientem præbere causam damnationis, ut hinc non detur peccatum suâ naturâ *veniale*: de quolibet enim etiam otioso verbo reddenda est ratio Matth. 12: 36. 37. Deusque est amandus omni animi cogitatione ac vi 22: 37. & qui unicum violat præceptum, habetur, ac si totam violasset legem Jac. 2: 10. quærere autem velle, num vel ob unum eumque levem peccati actum homo damnandus esset, inutile est: cùm casus hic prorsus non aut vix ac ne vix quidem contingat, ut homo sit, qui nonnisi unicum levem peccati actum committat; Pontificiorum verò de peccatis venialibus hypothesis viam sternit ad merita Sanctorum, peregrinationes Religiosas, indulgentias Papales, lega-

ta

ta ad pias causas, missas pro mortuis, instituta Clero quàm maximè utilia.

838 Ex iis, quæ de pœnis peccati usque huc dicta sunt, patet, eas esse vel tales, quæ per se ac necessariò nexu è peccato oriuntur, & *naturales* dicuntur, vel quæ sapienti Legislatoris arbitriò cum eo connexæ sunt, & *arbitrariæ* appellantur. *Pœnæ peccati sunt vel naturales vel arbitrariæ.*

Hæc distinctio equidem jam memorata fuit (sch. §. 83.), interim hìc, quià è pœnis peccati in anteced. recensitis sponte fluit, ut locò propriò apponenda fuit. Inter pœnas naturales peccati pertinet mors spiritualis (sch. 4. §. 821.), etiam mors corporea (§. 834.), & morbi (§. 835.), saltem respectu quorundam peccatorum, uti intemperantiæ, affectuum vehementiorum &c. quibus motuum in corpore harmonia, temperies ac æquilibrium humorum labefactatur, porrò angor conscientiæ (§. 836.). Ad arbitrarias pœnas pertinent calamitates, licèt etiam quædam harum naturalibus annumerandæ, dum per se ex peccato sequuntur; arbitrariæ nempe dicuntur & sunt, etsi juxta ordinem naturæ consequantur, quià non per se è peccato proveniunt; est nimirùm in Civitate Dei harmonia territorii cum civium incolentium indole ac moribus, qua de re eleganter differit Cl. Canzius *Jurispr. Civ. Dei Sect.* 3. *Cap.* 2. totò; ad arbitrarias pœnas tandem quoque pertinet mors æterna (§. 837.), quàmvis, qui cum ea conjunctus est, angor (sch. §. 836.), ad naturales, ut modò dictum, pertineat. De pœnis naturalibus monendum, eas quoad existentiam consideratas arbitrarias quoque dici posse, quâtenus liberè ac sapienti arbitriò Deus seriem hanc & naturas elegit, ac ad existentiam perduxit (§. 666.), quibus pœnæ illæ adhærent. Sunt hæc mala omnia autem veræ pœnæ, quià Dei Legislatoris per eas intentio est, ut peccator sentiat, se deliquisse, malum commissum recompensetur, quæ Ipsius intentio declaratur expressè in Lege Ejus scripta; licèt quoad credentes, seu fide ac sanctitate præditos (sch. §. 435.), pœnæ peccati propriè sic dictæ σχέσιν non amplius habeant, quamvis peccati tamen sint consectaria, conf. dicta (sch. 3. §. 315.).

In iis ostendit se justitia Dei.

839. In pœnis hisce irrogandis itaque ostendit se justitia Dei punitiva & vindicativa (§. 315.).

Justitia nempe vindicativa se ostendit in recompensatione præteriti fineque interno, quem intendit (sch. 2. §. 316.), præcipuè per pœnam mortis æternæ; ostendit se in pœnis peccati justitia Divina, tùm quâtenus consideratur ut Sapientia per bonitatem temperata (§. 313.), seu cum bonitate conjuncta, tùm quâtenus consideratur ut amor boni publici (sch. 2. ib.): ut Sapientia, dum in pœnis convenientia observatur (§. 84. 269.), universum nempe jus convenientiis hinc rationibus nititur; una ex rationibus, quæ Deo jus dant pœnas infligendi, est etiam, quòd in territorio Ipsius (sch. 2. §. 576.) peccatum committatur, ut perbenè hoc observat Cl. CANZIUS *Jurispr.* §. 563. inde & quoad id Sapientia Divina in pœnis se prodit; uti verò Sapientia proportionem postulat inter delicta ac pœnas, hæc verò in hac vita non comparet (sch. 3. §. 651.), tamen inde contra Sapientiam Dei in pœnis irrogandis nullum nascitur dubium: quoniam post hanc vitam omnia exactâ proportione æquabuntur; ut hinc si Sapientiam bonitatemque Dei è peccati pœnis quis ostendere velit, omnes pœnæ simùl & junctim considerandæ sint, non solùm eæ in hac vita, sed vel maximè compensatoriæ post hanc vitam. Ostendit se porrò eadem Sapientia ut & bonitas Dei quoad pœnas hujus vitæ in eo, quòd eæ perquàm necessariæ deprehendantur in statu peccati & corrupta hominum indole: quod si enim homini non esset moriendum, eheu! quomodo non potentiores, fortiores in reliquos grassarentur, pedibus eos conculcarent, omnia in terris sursum deorsum verterent? cùm id faciant nequicquam morte, re omnium maximè terribili, iis imminente; de morbis calamitatibusque sæpissimè idem valet, suntque præterea remedia peccati saluberrima, medicinæ & correctiones (sch. 2. §. 316.), qualem effectum quoque præstant morsus conscientiæ (*Mor.* §. 134. 136.); respectu piorum mors corporis necesse ac utilis est, ut corpus peccati seponendo à peccatis plenè purgentur. Tandem ut amor boni publici si justitia consideretur, ea se in pœnarum peccati irrogatione ostendit, quia per eas bonum publicum recompensatur (sch. 2. §. 313.

§. 313. & 315. sch. 1. §. 837.), unde puniendo Deus adhuc amorem testatum facit, ut rectè dicit Cl. Canzius *Jurispr.* §. 831. Cæterùm ex iis, quæ de pœnis peccati hùc usque dicta sunt, patet, materiam de pœnis & jure pœnarum, quæ propriè fori est JCtorum, magnam in Theologia habere utilitatem, eam præcipuè ad Theologiam applicavit Cl. Canzius *Jurispr. Theol. Cap.* peculiari nempe 4tô. *Sect.* 4.

Ob peccatum homines destituuntur jure in creaturas.

840. Quoniam homo in statu integritatis, ob imaginem Dei, quâ ornatus erat (§. 702.), dominiò in res creatas gaudebat (§. 707. & sch. 2. §. 706.), sequitur, quòd ob carentiam imaginis Divinæ (§. 790.), ac peccata actualia (§. 777.) amiserit istud dominium, cùm jam omnes homines à natura imagine Divinâ destituantur (§. 810. 811.), sequitur etiam, *omnes à naturæ destitui dominiò illo vel jure in creaturas.*

Hoc nempe de *foro poli* intelligendum est, non autem de *foro soli*, id est, peccatores sunt injusti possessores rerum terrestrium adeòque usurpatores creaturarum coram Deo, non verò coram hominibus, respectu quorum justè possidentur res, quas quilibet justè acquisivit (*Mor.* §. 892.); hinc nemo sibi attribuere potest vi imaginis Divinæ, ad quam reformatus sit, quòd jus habeat in res terrestres, quô alii destituantur, uti ex fanaticis quidam id faciunt, superbiam eô pacto indicantes, ut appellatur, *spiritualem.* Cæterùm quòd peccatores coram Deo destituantur jure in creaturas, est consequens & fructus peccati, non autem pœna ejus: pœna enim est malum cùm mala actione connexum, quòd si autem non infligatur, tùnc nec actu connectitur cum mala actione, & ideò non est pœna, sed talis fit per executionem; jam verò peccatoribus in hac vita jus in creaturas in salvo relinquitur, consequenter nullam ex demerito illo pœnam ferunt.

In quonam consistat miseria hominis

841. Ex eo, quòd homo contaminatus sit peccatò tam originali (§. 812.), quàm multis actualibus (§. 820.),

& cur audiat miser. & propterea ei immineant pœnæ peccati, mors temporalis (§. 834.), æternaque (§. 837.), aliæ jam adsint, uti calamitates variæ (§. 835.), angor conscientiæ (§. 836.), adeòque circumdatus sit malis tam physicis quàm moralibus (§. 645.), quæ statum illius tam præsentem quàm futurum valde imperfectum reddunt (*Met.* §. 426.), ipsumque admodum infelicem (*Mor.* §. 61.), oritur *miseria* hominis, ut hæc consistat in malis tam moralibus, quàm physicis, quæ eum vel jam circumstant, vel ei imminent, orienteque inde imperfectione ac infelicitate, unde homo audit *miser*; & status hic sit status destitutus (§. 791.), status peccati (ib.), etiam dictus *status naturæ corruptæ*.

Sch. 1. Malum morale appellatur etiam *malum actionis*, uti malum physicum è contra *malum passionis*, unde dicitur, malum actionis sequi malum passionis, hoc posterius porrò appellatur quoque *malum pœnæ*, item *malum triste*, quià creat notabilem tædii gradum (*Met.* §. 427. 431.), hinc tristitiam (ib. §. 448.), uti prius *malum turpe* (§. 64.), inde dicitur malum turpe sequi malum triste; hoc etiam vocatur *maledictio* (sch. 1. §. 669.), propterea peccatum maledictionem in Mundum intulisse vel hominibus attulisse communiter & rectè perhibetur.

Sch. 2. Statum hunc miseriæ [qui à peccato & servitute ejus dicitur status peccati & naturæ corruptæ] ipsa equidem Ratio agnoscit: dum reflectit, quantopere homo officia erga Deum, seipsum ac alios violet (§. 82.), & quòd ideò pœna ipsum maneat (§. 83. seq.), quod utrumque & gentilium Sapientiores nonnulli viderunt, interim non perspexerunt magnitudinem miseriæ humanæ, minus originem ejus, quòd à peccato Adami ortum trahat; id quod sanè Ratio planè nescit; Scriptura sola dum edocet originem ac magnitudinem hujus miseriæ, scitu necessariam ad liberationem ex ea, & quidem edocet, ut Ratio nil inveniat, quod reprehendat, præcellentia ejus præ reliquis revelationibus inde elucet, idque Divinitatem illius præter alia arguit (§. 117.).

LOCUS VIII.

LOCUS VIII.

DE STATU RESTITUTO, SEU GRATIÆ, ET LIBERATORE.

842. CUM magna sit miseria quæ omnibus hominibus imminet (§. 837. 841.), & abyssus malorum, cui omnes immersi (ib.), ideò *homo ea considerans non potest non anxius & sollicitus esse. an non inde exitus detur*, seu *evadere possit*. *Homo non potest non sollicitus esse de exitu è miseria.*

Malum enim quià tædium vel molestiam creat (*Met.* §. 427.), quivis ei optat exemptus esse, si nempe pro malo etiam reputetur (ib. §. 506.), nec boni apparentis speciem induat (ib. §. 424.); propterea homo tum demum sollicitus erit de exitu è miseria sua, si, 1. cognoscat, se esse miserum; 2. animum ad eam advertat, seu, ut dicitur, reflectat super illam (ib. §. 272.); alterutrum si desit, non suppeditatur voluntati motivum sufficiens, ut seriò quærat evadere è miseria: nam actus volendi oritur ex Intellectu (ib. §. 878.), & ubi hic res tantùm supinè, & ut ita dicam, ἐν παρόδῳ sibi repræsentat, ibi cognitio non fit viva (*Mor.* §. 169. E quo videre est, unde fiat, quòd plurimi homines aut non cogitent, aut non admodum solliciti sint, quomodo ex abysso miseriæ emergere possint; inde *Catechismus Heidelberg.* rectè Parte I., adeòque ante reliqua omnia, hominem eò perducere quærit, ut miseriam suam & cognoscat, & [magnitudinem ejus declarando] super illam reflectat, quod utrumque nos propos. præs. indigitamus

mus voce *considerare*, & ideò dicimus, hominem, NB. *considerantem* miseriam suam sollicitum fore de exitu ex ea.

Hinc ut exolvatur obligatione mortis æternæ subeundæ.

843. Miseria hominis potissimum consistit in pœnis peccati (§. 841.), maximè in pœna æterna (§. 837.), cujus est reus (§. 789.), seu ad quam perferendam est obligatus (§. 783. 784.), quòd si itaque sollicitus sit de exitu è miseria (§. 842.), *sollicitus esse debet, ut obligatio ad pœnam vel mortem æternam subeundam tollatur*, seu *eâ exolvatur.*

Adeòque ut liberatio obtingat.

844. Solutio obligationis dicitur *liberatio*, igitur *homo debet & non potest non sollicitus esse de liberatione* (§. 842. 843.).

Ita enim liberatio JCtis definitur, audiatur JCtus Clarissimus ULRICUS HUBERUS *diss. Jurid. — Theol. de fœder. Testam. Liberat. satisf. &c. Exercit. 5. §. 3.* „*libera-*„*tio* propriè dicta JCtis est solutio obligationis, quæ „sit ipsò jure, hoc est, ita, ut debitum sine ullo actu „judiciali penitùs aboleatur, & jus Creditoris funditus „extinguatur, sic ut nullum jus agendi amplius super-„sit, qua de re in *tit. Instit. Quib. mod. toll. obl.* alii „sunt modi tollendæ obligationis ope *exceptionis*, quan-„do jus Creditoris adhuc durat, actioque ab illo insti-„tui potest, sed per exceptionem facti alicujus & æqui-„tatis intuitu eliditur &c. „ Creditor autem obtinet, ejusque nomen usurpatur tam quoad debita pœnæ quàm pecuniæ, seu tam in obligatione è delicto quàm contractu, ut docet idem Vir Cl. ibid. §. 6. & alibi; cæterùm liberationem, de qua homo sollicitus esse debet, hìc intellectam esse volumus non solùm à morte æterna sed & à morte in peccatis: hæc quippe est causa illius.

Quæ à placatione cum Deo non differt.

845. Cùm ille, cui liberatio obtingit, solutus sit obligatione pœnæ æternæ perferendæ (§. 844.), ubi verò talis obligatio cessat, Deus pœnam

pœnam illam infligere etiam nolit, vi bonitatis & Sapientiæ (§. 269. 309.), hinc juſtitiæ ſuæ (§. 313.), homo autem tùnc ſit placatus Deo, ubi Deus ipſi pœnam infligere non vult, quæ aliâs illi debebatur (§. 91.), *liberatio hominis & placatio ejus cum Deo reapſe non differunt.*

Sumi poſſunt autem liberatio ac placatio & activè & paſſivè, ſeu tam reſpectu ejus, qui liberat vel placationem cum Deo efficit, quàm reſpectu ejus, qui liberatur: namque [per princ. Ontol.] actio non eſt ſine paſſione; quòd ſi jam liberatio activè ſumatur, placatio verò paſſivè, tum hæc illius poſſet dici effectus, adeòque utraque inter ſe differre ut effectus & cauſa; quod idem & dicendum eſſet vice verſâ, ut & hinc, cùm reciprocè id dici poſſit, idem maneant. Paſſivè ſi ſumantur, etiam ſtatum notant.

346. *Deus hominem jure poſſet in miſeria ſua relinquere, interim tamen quibusdam liberationem procurare paratus eſt:* prius membrum patet ex juſtitia Dei (§. 315. & ſch. 1. 2. ib. §. 316. & ſch. 1. ib.), veracitate Ipſius in comminationibus adimplendis (§. 48. 837.), & quià homo voluntariè hæret in luto corruptionis (§. 816. 823.), poſterius verò patet è ſumma Dei bonitate (§. 309.), quæ omne bonum procurat (§. 307.), dummodo in ſe & per cæteras Dei perfectiones poſſibile ſit, at tale eſt liberatio hominis (§. 89.); utrumque autem, & quòd liberatio poſſibilis ſit, & quòd Deus eam procurare velit, patet è conſilio gratiæ (§. 460.). *Deus talem procurare paratus eſt.*

Sch. 1. Ut peccatores puniantur, pertinet ad bonum publicum (ſch. 2. §. 315. & ſch. 1. §. 837.), [ex impunitate quin & oritur, quod dicitur, *veterem ferendo injuriam invitas novam*, Politicorum ideò præceptum eſt, τὰς κειμένας νόμας ἰσχυρῶς διαφυλάττειν, *poſitas Leges magnô ſtudiô cuſtodire*, notante hæc Grotiô *de ſatisfact. Cap.* 5. §. 5.] ut verò liberentur, pertinet ad bonum

bonum privatum (sch. 2. §. 274.), hoc ut minus semper illi cedere debet (ib.); hinc ob utilitatem privatam hominum Deus eos liberare nequit, si utilitas publica inde detrimentum patiatur; at verò si modus quidem detur utrumque bonum vel utilitatem tam publicam quàm privatam promovendi, ut hæc cum illa concilietur, tum sanè Deus vi bonitatis suæ utilitatem privatam adeòque liberationem hominis procurare omnino paratus erit, idque eò magis, quòd inde sapientia lucidissimè manifestetur, quæ medium adinvenit reconditissimum conciliandi illam utramque inter se, ut collisio cesset. Ratio etiam quâdantenus perspicit, liberationem hominis quoad perfectiones Dei possibilem esse (§. 89. & sch. 2. §. 90.), quod in seq. ulterius ostendetur, at certiùs & pleniùs id edocet revelatio (sch. 1. §. 90. & §. 95.), ut in seq. videbimus.

Sch. 2. Bonitas hæc Dei homini liberationem è miseria sua parans rectè hinc dicitur *misericordia* (sch. §. 312.), cùm versetur circa miseros (§. 841.) felices reddendos, eô nomine ideò & venit in Scriptura hac de re loquente Luc. 1:78. Eph. 2:4. Tit. 3:5. non minùs rectè dicitur *gratia* Eph. 1:6. 2:5. 8. siquidem, qui per bonitatem Dei liberantur, eô indigni sunt, Deusque jure illos posset in miseria relinquere. Dubium autem suboriri posset, quare hæcce bonitas hominibus liberationem procurare voluerit, non autem angelis lapsis (§. 560. 564. & sch. 1. ib.); licèt hîc ad abyssum Sapientiæ Divinæ confugi posset (§. 268.), & harmoniam universalem (§. 443.), tamen & rationes quædam sine temeritate allegari possunt: nempe 1. angeli mali lapsi sunt individuatim, cùm corruptio ab uno ad plures non ita propagetur ut inter homines (§. 810.); 2. angeli sine seductione peccarunt, seu non tentati primò ab alio, uti è contrà homo (§. 770.); 3. hominem ad lapsum perduxerunt (§. 769.); ideò Liberator οὐ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται Heb. 2:16.

Sch. 3. Liberatio autem, quam Deus quibùsdam hominibus parat, non ita concipienda est, ac si deberet se extendere ad omnia mala è peccato originem trahentia, vel etiam ad omnimodam liberationem à peccato: repugnaret id non tantùm manifestæ experientiæ ac Scripturæ, Deusque vel jam aliâs excessum quasi bonitatis

tatis in liberatione ostendit, sed præterea obstant rationes graviores, ob quas liberatio non eò usque porrigi possit, æque ab hominis natura petitæ, secundum quam melius est, ut reliquiæ quædam miseriæ maneant, calamitates v. g., quæ sunt pars miseriæ (§. 841.), necessariæ sunt ad peccata coërcenda, uti jam monitum (sch. §. 839.), mors temporalis nisi esset, plurimi de vita cœlesti non cogitarent, & peccatorum irritamentis æternis solicitati nunquam perfectè in boni publici amorem ferrentur, ut benè monet Cl. Canzius *Jurispr. &c.* §. 1140. insuper ad quosdam ab ea liberandos Deum oporteret tot facere miracula, quot ab illa liberaret: corporis humani machina namque ita comparata est post lapsum, ut non possit non dissolvi, partibus ejus longô usu atterendis, [etiamsi vel maximè morbi violenti abessent] deficiente nunc arbore vitæ, vires languescentes in statu integritatis refecturâ (sch. 2. §. 716.). Deus autem miracula evitat (sch. §. 597.). Quod idem de reliquiis peccati dicendum: etenim in Adamo non potuerunt non omnes homines peccaminositate infici (§. 810. & sch. 1. 2. ib.), corruptioque inhærens ad omnes per generationem propagari (ib. sch. 3.), ad quod impediendum continuis opus fuisset miraculis (ib.); quòd si autem à corruptione originali præservari nequeunt pii, nec impediri potest, [nisi iterum per miracula] quin aliquando in peccata actualia incidant: hæc quippe ex illa non possunt non sequi (§. 819.); adde, Universi systema Deô dignissimum [quod etiam miracula sæpè recurrentia non admittit] (*Met.* §. 1039.), non aliter permittere, quàm ut Deus reliquias miseriæ remanere sinat.

847. *Liberatio quorundam hominum non aliter possibilis est, quàm ut alius tantum sujcipias pœnarum, quantum illis omnibus debebatur:* etenim justitia Dei postulat absolutè pœnam (§. 85. 316.), & peccatum planè non potest impunitum dimittere (ib.), ergo cùm pœna necessario postuletur, & tamen quidam ab ea perferenda eximendi sint, non aliud supereſt, quàm ut alius pœnam in se suscipiat; quoniam verò Sapientia Dei æqua- *Quomodo fieri debeat.*

lia

lia pro æqualibus rependit (§. 84.), & justitia omnis proportionem inter delictum ac pœnam exactè observare debet (per princ. juris), tantò magis justitia Divina summa (§. 314.), si perfectiones hæ permiserint, ut alius pœnam in se suscipiat, quò quidam liberentur, ab altera parte postulant, ut tantum pœnarum in se suscipiat, quantum iis omnibus debebatur.

Sch. 1. Equidem jam suprà (§. 89.) è sana Ratione audivimus, liberationem ita esse possibilem verùm hìc ostendere voluimus, eam unicè hocce modo esse possibilem, seu si possit fieri liberatio, eam non aliò modò fieri posse; addimus, saltem pœnitentiâ liberationem non confici, ut intelligitur è dictis (sch. 2. §. 92.), id est pœnitentiâ solâ, sine quòd pœna suscipiatur: pœnitentia enim nonnisi præsens & futurum emendare potest, præterita autem delicta relinquit, ob quæ ideò semper compensatio requiritur per pœnam, conf. (sch. 2. §. 315.), absque compensatione etiam Deus non habet rationem, cur ad resipiscentiam perducat peccatorem.

Sch. 2. Etsi verò peccatoribus debeatur pœna æterna (§. 837.), tamen inde non sequitur, quòd alius pro iis tantum pœnarum suscipiens, quantum illis debebatur, ideò etiam æternam pœnam suscipere necesse habeat: potest enim duratio pœnæ aliò quòdam modò recompensari, de quo demum in seq.; sufficit [quod porrò notandum] tantum doloris & ægritudinis ob peccatorum delicta perferat, quantum hi è sensu pœnarum tum naturalium tùm arbitrariarum perferre debuissent: siquidem pœna in dolore sive corporis sive animi seu ægritudine consistitit; inde perspicitur, non requiri [quod objici potest] ut dissolutionem corporis per mortem, item mortem spiritualem suscipiat ac induat, quæ sunt pœnæ naturales (sch. §. 838.), quoniam harum pœnarum compensationem si ne hoc facere omnino potest, & aliàs culpas indueret, quod non est pœnas suscipere, culpasque induens compensationem pro aliis facere nequit, conf. quoad hæc Canzius *Jurispr. &c.* 1107 -- 1114.

Per substitutionem vicariam.

848. Si quis tantum pœnarum in se suscipiat, quantum debebatur aliis,

aliis, eum in finem, ut hi liberentur, id dicitur *substitutio vicaria*, & qui ita se substituit, est ac dicitur *Liberator*, proinde *si homo è miseria sua liberari potuit ac debuit, id non aliter fieri potuit nisi per substitutionem vicariam* (§. 847.).

Ad summum itaque Deus id facere potest, ut homo liberetur, ita enim odium suum, quò pecatum prosequitur (§. 328.), testatum facit, aliis exemplum præbet, motivumque à peccato sibi cavendi (sch. 2. §. 316.), præteritum recompensat (ib.), ut talis substitutio omnes tres pœnarum fines exhauriat. Talis substitutio adeò secum fert commutationem, qua de »notant (sunt verba Grotii *de satisfact. Cap.* 5. §. 7.) »qui de *legum relaxatione* scripserunt, esse optimas »relaxationes, quibus ea annexa est ---- sive com»pensatio: quià scil. & Legis auctoritati minimum pe»rit, & rationi ei, quæ causa est Legis, aliquatenus »mos geritur, ——— talis commutatio non modò »inter res, sed interdum quoque inter personas ad»mittitur, modò id fieri possit sine alterius injuria; »sic in carcerem filii patribus succedere permissi, ut »Miltiadi Cimon &c.» allegat quoque hanc in rem 2. Sam. 12: 12. 13. 14. 1. Reg. 21: 29. Inutilis autem esset objectio, Deum in peccatum ipsum non verò in peccatorem sævire, adeòque testatum facere debere, quòd non tam peccatorem quàm peccatum odio habeat: nam in peccatum ipsum vel in abstracto consideratum sæviri odiumque manifestari nequit, verùm nonnisi, prout ab hoc vel illo committitur; uti & judex humanus odium, quô maleficia prosequitur, non aliter potest testatum facere nisi in malefactores animadvertendo ac sæviendo.

849. *Substitui autem nemo poterat, nisi qui humanæ naturæ particeps esset:* etenim substituendus est aut Creator aut creatura, Creator substitui nequit, quià pœnam in se suscipere repugnat apertè perfectioni ac beatitudini Ejus summæ (§. 331. 335.): pœna enim est malum (*Mor.* *Pro qua nonnisi ex hominibus quis sumi potest.*

§. 36.), & qui eam fert, dolorem ægritudinemque sentit (*Met.* §. 421. 427.), ac habet sensum imperfectionis suæ (ib. §. 426.), porro supponit Legislatorem (*Mor.* §. 36.), adeòque Superiorem, at hæc omnia entis perfectissimi & summi naturæ è diametro contrariantur. Substituenda ergo est creatura, eæ verò sunt vel rationales vel irrationales (§. 510. 512.), irrationales substitui nequeunt, quià sensus pœnæ requirit Rationem (§. 88.), porrò quoniam pœna locum invenit ob Legis transgressionem, entibus verò Ratione carentibus lex ferri nequit propriè talis, promissis minisque sancita: quippe etiam conscientiâ destituuntur (*Mor.* §. 91.), ubi verò non est lex, ibi nulla culpa, & quidem nec propria nec imputata (§. 803.), cùm ob defectum Rationis etiam consensus locum non habeat, at ubi non culpa, ibi nec pœna (§. 834.), & injustum esset, pœnam in aliud creaturarum genus transferre; igitur ex creaturis rationalibus quædam substituenda est, eæ sunt vel homines vel Angeli (§. 512. 532--534.), hique vel boni vel mali (§. 558. 559.), mali substitui nequeunt, quoniam ob culpam propriam ne quidem pro se satluere possunt (§. 564.), non boni, quià, ùt dictum, pœna ab uno genere creaturarum in aliud justè transferri nequit, proinde nonnisi ex hominibus pro vicaria substitutione sumi possunt.

Sch. 1. Ex Angelis bonis quis substitui nequit etiam ideò, quoniam [ùt & in seq. dicetur] creaturæ meræ pœna non potest sufficiens esse aliis plurimis liberandis, etsi vel maximè æternùm duraret, licèt & hoc locum non inveniat, si liberatio peragi debeat, ùt postea videbimus.

Sch. 2. Homo pœnam in se suscipere debet, quià comminatio-

minationes pœnæ homini indictæ fuêre (§. 837.), & ut ipsum genus humanum eò fortius permoveretur ad cavendum à peccato; etiam ex seditiosa cohorte ipsa, non autem alia quadam plectuntur ad exemplum præbendum; adde, illum, qui per vicariam substitutionem homines liberare debuerit, oportuisse naturæ humanæ participem esse & ob hanc rationem, quòd Liberatorem [ut postea ostendetur] oportuerit fieri ac esse liberatorum Caput, Caput autem ejusdem est cum membris naturæ. Non potuisset quoque esse גואל, ut appellatur Job. 19: 25. qui consanguinitatis jure suos sibi vindicaret liberaretque, nisi fuisset homo: אח enim est jure propinquitatis sibi aliquid asserere Lev. 25: 25. 26. Num. 5: 8. at propinquitas locum minimè habuisset sine participatione ejusdem naturæ.

Adeòque qui habeat animam rationalem & corpus humanum.

850. Igitur is, qui pœnam in se suscipere debuit pro hominibus seu pro iis substitui ad ipsos liberandos, debet habere animam rationalem, corpusque humanum.

Hæ quippe sunt partes hominis essentiales; ut si alterutra desit, homo non sit; atque id est, quod dicitur, Liberatorem debuisse *verum* esse *hominem*.

Qui sit peccati prorsus expers.

851. Quoniam peccatum morte æternâ dignum est juxta rigorem justitiæ Divinæ (§. 789. 837. 839.), ille, qui unius peccati reus est, æternùm miser esse debet, per consequens nequidem seipsum è miseria liberare valet, multò minùs alios, qui ergo pro aliis substitui debet ad eos liberandos, nullius planè peccati reus esse debet, hinc legem Dei homini præscriptam (§. 722.), de amore erga Deum (§. 684.), aliosque, seu officia erga Eum se ac alios (§. 57. 81.), nullâtenus violasse oportet, igitur, *qui substitui debuit pro hominibus ad eos liberandos, hominem non solùm verum sed & peccati omnis expertem esse oportuit.*

Hinc non debuit nasci juxta naturæ ordinem.

852. Ille, qui pro nobis substituti debuit ad nos liberandos, seu Liberator, debuit esse humanæ particeps naturæ (§. 849.), seu verus homo, hinc habere corpus humanum (§. 850.), consequenter carnis sanguinisque particeps fieri per nativitatem è posteris Adami, cùm autem omnes ii, qui juxta ordinem naturæ è posteris Adami nascuntur, non possint non corrupti & peccaminositate infecti nasci (§. 810.), unde peccata actualia non possunt non sequi (§. 819.), Liberator verò debuerit ab omni peccato immunis esse (§. 851.), sequitur, *quòd non debuerit nasci juxta consuetum naturæ ordinem.*

Quod enim è carne natum est, id caro est Joh. 3: 6. hoc est corruptum, peccaminosum; Liberator ideò etiam à peccato originali planè immunis esse debuit: id quippe ipsum jam culpam constituit (§. 812. coll. 833.), cujus verò planè debuit esse expers (§. 851.).

Liberator debuit jus vitæ cœlestis nobis acquirere.

853. *Liberator nobis etiam jus vitæ cœlestis acquirere debuit:* id probatur, quià creaturæ rationali non sufficit, si simpliciter non sit misera, sed prætereà quærit felicitatem (§. 59.), eamque perennem (§. 719.), numeris omnibus absolutam, quâ solâ exsatiari potest (ib.), Deus quoque gaudet felicitate hominis (§. 312. & sch. ib.), porrò quià homo in statu innocentiæ gaudebat jure vitæ cœlestis (§. 739.), quò in statu peccati excidit (§. 789. 837.), at per liberationem in idem jus immitti debet, quò gaudebat in statu instituto (§. 720.).

Jus est facultas moralis agendi (§. 576.), jus ad vitam cœlestem ergo est facultas moralis eam petendi à Deo, vel talis creaturæ rationalis status, in quo cum ratio-

ratione seu per rationes suffic. vitam cœlestem à Deo petere potest, quænam autem hæc sit ratio, mox audiemus.

Hinc legem Dei perfectè servare.

854. Jus vitæ cœlestis autem acquiritur, si lex perfectè servetur, (§. 729.), id est actiones liberæ in omnibus circumstantiis & occasionibus juxta eam determinentur, quod etiam dicitur *obedientia perfecta*, igitur *Liberator non tantùm pœnam pro nobis in se suscipere debuit, sed adhuc locô nostrô legem Dei perfectè servare*, seu *obedientiam perfectam præstare.*

Sch. 1. Equidem videri posset, quod hâc propositione stabilimus, jam contineri (§. 851.), verùm ibi magis locuti sumus de eo, ut ne Lege Divinâ vetitum committatur, qui verò nil contrà committit, ille tamen nondum eam quâvis occasione explere & exequi studet, sed adhuc diligentiâ deficere; præterea etiam expressè ostendere necesse fuit, Liberatorem legem Dei pro nobis perfectè servare debuisse, in seq. enim non semel ad id recurretur.

Sch. 2. Lex naturæ, à qua non differt lex, quæ dicitur Divina (§. 118. 720.), est immutabilis (§. 75.), Deusque ideò ejus observationem non potest non ab omni homine postulare (§. 76.), ergo & à Liberatore, qui itidem homo esse debuit (§. 849. 850.); præterea si quis velit vitam cœlestem reportare, non sufficit, ut à pœna liberetur, vel ut justitia Divina ipsum debitâ non afficiat pœnâ, quia alius locô ejus eam tulit: nulla enim tum adhuc adest ratio, cur vita cœlestis illi conferatur, quæ non confertur nisi perfectam præstanti obedientiam, ergò necessariò ratio hæc præterea accedat oportet, planè uti v. g. Lex, quando sonti non infligit pœnam, quam ob infidelitatem promeritus erat, eô tamen nondum ipsi præmium tribuit: hoc quippe debetur nonnisi præstitæ fidelitati, & hæc accedere debet, si præmium reportare velit.

Sch. 3. Hancce perfectam Legis servationem autem itidem pertinere ad liberationem facilè quivis videt: per illam enim, cùm sit vicaria, peccator solvitur obligatione legem perfectè servandi, ita ut nihilominus

vitam ingredi possit, etsi propria perfecta servatio desit, dum adsit vicaria, id verò dicit liberatio (§. 844.).

Debuit esse homo justus.

855. Qui omnis peccati expers est non tantùm, verùm adhuc totam Dei Legem perfectè servat, vel in omnibus circumstantiis explet, dicitur *justus*, item *sanctus* ergo *Liberator debuit esse homo justus seu sanctus* (§. 852. 854.).

Sanctus nempe hic non denotat idem, ac ubi de hominibus seu electis adhibetur (sch. §. 435.): horum enim sanctitas minimè consistit in perfecta Legis servatione, quo de Locô IX. sanctus hic ferè idem dicit, ac quando de homine in statu integritatis dicitur (§. 685.).

Quid sit satisfacere & satisfactio.

856. *Satisfacere* in genere est præstare id, quod alter jure postulare potest, ut facta tanquàm non facta considerare queat; in præsenti materia ergo est pœnas peccatis debitas ferre, & præterea legem Dei perfectè servare: utrumque enim Deus jure postulat (§. 76. 84.), illud justitia Ipsius punitiva (§. 315.), hoc verò legislatoria seu præcipiens (§. 287.), quare *satisfactio* rectè etiam definitur per expletionem justitiæ Divinæ tam punientis quàm præcipientis.

Ita enim Theologis sumitur satisfactio, ut etiam monet ULR. HUBERUS *differt. Jurid-Theol. de fœd. &c. satisf. exerc. 6. §. 1. exerc. 7. sect. 1. §. 1.* qui & de acceptione hujus termini apud veteres JCtos agit ib. §. 2. 3. item quot modis juxta eos satisfactio præstetur, §. 5. ubi non semper fiebat expletio justitiæ. Cæterùm habentur etiam aliæ definitiones satisfactionis, quæ verò cum traditis coincidunt, v. g. ubi dicitur esse *Opus, quô res in pristinum restituitur statum, ac si anteà deterior facta non esset:* nam si res ita restituitur, tum alteri præstatur, quod jure postulare potest, & facta tanquàm non facta considerare potest; porrò quòd sit [Theologicè considerata] ejusmodi *Opus, quô reatus peccatorum auffertur, & eorum locô debita restituitur obe-*

obedientia: quid enim hoc est nisi expletio justitiæ Divinæ tàm punientis quàm præcipientis? Id addimus, cùm satisfactio sit expletio Justitiæ punientis & præcipientis, justitia autem rectè quoque definiatur per curam & studium utilitatis publicæ vel boni publici (sch. 2. §. 313.), ideò & satisfactionem rectè definiri per *compensationem boni publici*, ut facit Cl. Canzius *Jurispr.* &c. §. 801.

857. Liberator igitur, quià pœnam in se suscipere debuit peccatoribus debitam (§. 847.), legemque Dei adhuc pro iis perfectè servare (§. 854.), etiam pro iis *satisfacere debuit* (§. 856.), seu *satisfactionem vicariam præstare.* *Liberator satisfacere debuit.*

Sch. 1. Quià satisfactio hæc est expletio justitiæ Divinæ (§. 856.), ideò etiam dicitur, Liberatorem debuisse satisfacere justitiæ Divinæ, item Deum voluisse, ut justitiæ suæ satisfiat; justitia hæc puniens & præcipiens est illud δικαίωμα τῦ Θεῦ Rom. 1: 32. δικαίωμα τῦ νόμυ 8: 4. *jus Dei*, *jus Legis*, quod justitiâ & Lex Divina à peccatore postulant: jus enim apud ICtos etiam denotat complexum legum, & non solùm facultatem moralem agendi (§. 576.).

Sch. 2. Satisfactionem intendere finem pœnarum internum (sch. 2. §. 316.) quivis facilè perspicit: in illa quippe pœnæ suscipiuntur peccatorum præteritorum, quæ aliâs infligerentur nullâ habitâ ratione emendationis delinquentium: siquidem æternæ essent (sch. 837.). Frustrà autem objicitur, satisfactionem talem necessariam non esse, cum tantummodò requiratur, ubi injuria cuidam facta, Deo autem injuriam fieri non posse: nam requiritur satisfactio per pœnam, ubicunque bonum publicum violatur, quod semper recompensaverit judex sapiens justusque, recompensatur autem per satisfactionem (sch. §. 856.); & quamvis Deo injuria propriè fieri non possit, eâtenus tamen fit, dum derogatur peccatò perfectionibus, quæ per pœnam iterum in aperta luce collocandæ (sch. 85. & sch. 2. ib.). Cæterùm terminus *satisfactionis*, etsi non sit ἐγγραφος, tamen rectè adhibetur à Theologis: dum eò breviter exprimitur, quod Scriptura ea de re tradit, ut Socin. & Socin-Remonstr. immeritò eum repudient; quod

non mirum : cùm rem ipsam illô denotatam repudient ægrèque ferant , quod in Socino reprehendit GROTIUS *de satisfactione Cap.* 7. §. 1.

Debuit esse verus Deus.

858. *Qui satisfacere pro peccatoribus voluerit , adeòque Liberator , debuit esse non tantùm verus justusque homo sed & verus Deus :* etenim satisfactio hæc est expletio justitiæ Divinæ (§. 856.) , justitia verò Divina è Sapientia oriens (§. 313.) quià convenientias rerum exactè obsérvat , & æqualia pro æqualibus rependit (§. 47. 84.) , à Liberatore non potest non tantum postulare , quantum a peccatore postulasset , ille quippe in locum hujus substituitur (§. 848. 854.) , postulat autem à peccatore quolibet pœnam æternam (§. 837.) , adeòque duratione infinitam ; at pœnæ æternæ pro aliis se subjiciendo creatura sancta , innocens , committeret αυτοχειρίας crimen gravissimum , crudelitatis verò maximæ judex talem pœnam justo irrogando ; & etsi pœnam æternam subiret mera creatura , tamen non sufficeret nisi uni tantùm liberando : rependerentur enim tùnc nonnisi æqualia pro æqualibus ; ergo ùt Liberatoris substitutio crimine vacaret , plurimisque liberandis sufficeret , debuit ipse esse excellentioris longè conditionis quàm mera creatura etiam præstantissima , uti sunt Angeli (§. 541. 553.) : nam nequidem angelica natura æquivalere posset multis millibus liberandis ; proinde debuit esse Deus : hic enim haberet jus in vitam humanæ suæ naturæ , ac sufficeret infinitis liberandis.

Sch. 1. Luber hùc adscribere verba CANZII *Jurispr. Civ. &c.* §. 1105. sch. »pœna est dolor , locô igitur in»colarum totius cujusdam planetæ pœnas subire , est »cùm Deus vel in minutissimis bonum publicum velit »compen-

»compensatum, ideòque ne tantillum impunè dimit»tat, tantum doloris sentire, quantum universi pu»niendi simùl sentire debuissent; uti etiam dolor ani»mi inter peccati pœnas maximè locum habet, quô, »peccati circumstantias intelligendo profundè, tristi»tiâ concipitur, & verò intelligentia omnium pecca»torum, quæ à tot spiritibus finitis sunt commissa, »in unum finitum non cadit, uti ab unius spiritûs fi»niti corpore tòt dolores perferri non possunt, quòt »à multarum myriadum corporibus, ita valde perspi»cuum est, non posse contingere casum, ut spiritus »finitus ullus pro multis queat facere, quod est sa»tis, nec igitur unquam insontem gaudere in mor»tem suam consentiendi facultate.

Sch. 2. Quòd personæ dignitas præcipuè respiciatur in pœnæ æstimatione', contra Socinum etiam adstruit Grotius *de satisfact. Cap.* 8. §. 16. ubi & consensum legum Romanarum hac in re allegat, pœna ideò etsi duratione quin & intensione minor tamen æquivalens est, si persona dignitate seu præcellentiâ gaudeat.

Sch. 3. Liberatorem oportuit præter naturam humanam quoque participem esse Divinæ propterea, ut potis esset ad iram Dei perferendam, nec sub ea succumberet, ira enim Divina ob peccatum exardescens [quæ de effectu non autem affectu intelligenda] (sch. §. 330.), ut valde gravis in Scriptura proponitur Nah. 1: 6. ut hinc mera creatura eam perferre non valeret, quâpropter Liberator debuit esse fortior creaturis, consequenter Deus; quod etiam requirebatur, quia ii, quos liberatos voluit, erant in potestate Satanæ 2. Tim. 2: 26. ad eos huic eripiendos ideò fortiorem ipsô esse oportuit Es. 49: 24. 25. Matth. 12: 29. tandem quoque etiam ideò, quoniam [ut suô locô videbimus] Liberator adorandus est, fiducia in Eo ponenda, jam verò creatura etiam præcellentissima uti Angelus, adorari non debet (§. 555.), solus autem Deus est invocandus (*Mor.* §. 739.), hinc adorandus, fiduciaque in Eo ponenda (ib. §. 716.), unde & confirmatur, angelicam naturam etsi habuisset præter humanam Liberator, non sufficisse. Consensit cum hisce Synagogæ antiquæ seu Judæorum ante Christum natum fides, juxta quam Messias debuit esse Deus, שכינה יהוה [nomen Deo ab ipsis tributum] adorandus, vid. Al-

LIX Ausspruch der alten Jüdischen Kirchen, &c. *Cap.* 18.

Deus & homo in unitate personæ.

859. Quandoquidem Liberatorem oportuit esse & hominem verum (§. 850.), & Deum (§. 858.), ut neutrum sine altero sufficere potuerit ad nos liberandos, indidem sequitur, *id utrumque Ipsum oportuisse esse in unitate personæ*, seu *naturam humanam ita univi debuisse cum Divina, ut unicus tantùm numerò inde exurgeret Liberator:* vel ponatur, naturam humanam non ita fuisse unitam cum Divina, ut unica inde persona resultaret, tùm natura humana non sat valoris habuisset ad multos liberandos (§. 858.), nec sine læsione justitiæ se potuisset pœnæ subjicere (ib.), Divina verò prorsus non potuisset liberare, quià pœnam ferre nequit (§. 849.), proinde per neutram naturam separatim liberationis Opus peragi potuisset, debuerunt igitur conjunctim agere, in uno tantùm Liberatore, consequenter unam nonnisi constituere personam.

De voce personæ jam dictum (sch. 2. §. 360.), quod hîc animô repetendum; in Liberatore natura humana & Divina ita secum invicem uniri debuerunt, ut humana subsistentia propriâ destituta [id est, ut separatim subsisteret] ad hypostasin Divinæ reciperetur; & sic humana natura nunquàm persona esse, quià nunquàm seorsim à Divina & per se sola subsistere debuit, adeòque personalitate propriâ destitui.

Opus liberationis supponit plures in Divinitate personas.

860. Liberator debuit explere justitiam Divinam (§. 856.), ergo satisfacere non sibi ipsi sed Deo (ib.), igitur præter Ipsum, qui verus esse debuit Deus (§. 858.), alia adhuc in essentia Divina persona sit oportet, cujus lex violata, Majestasque (§. 298.) sit læsa, quæ hinc Judi-

cis

cis partes sustineat, cui Liberator satisfacere debuerit, proinde *Opus Liberationis præsupponit plures in essentia Divina personas* (§. 337.).

Judex est ille, qui leges ad facta inferiorum actu applicat (§. 801.) seu facit, ut Leges executioni dentur (*Pol.* §. 469.), adeòque sententiam pronunciat, & quidem talem, quâ malum actu connectit, si facta sint talia, cum quibus lex malum connectendum esse vult, adeòque pœnam infligit (*Mor.* §. 36.); jam alius est, qui sententiam pronunciat pœnamque infligit ob malefacta, alius verò qui pœnam in se suscipit vice aliorum, ille est Deus, qui pœnam comminatus est (§. 837.), legemque tulit Ipse (§. 722.), hic itidem Deus (§. 858.), ergo oportet sint plures in Divinitate personæ.

Unde sciatur, quænam earum Opus liberationis in se susceperit.

861. *Quòd nunc aliqua ex personis in Divinitate Opus liberationis in se susceperit, & quænam ex iis hoc fecerit, id revelatio sola docet, & consilium gratiæ* (§. 460.) *indicat:* Ratio namque modum placationis adeòque liberationis ignorat (§. 92. 845.), revelatio verò docet, secundam Divinitatis personam seu Filium (§. 336. 388.) in tempore naturam assumsisse humanam Joh. 1:14. 1. Tim. 3:16. in unitate personæ 1. Tim. 2:5. natum modò extraordinariò Luc. 1:35. legem Dei perfectè servasse 1. Pet. 2:22. tulisse pœnam peccatorum nostrorum 1. Pet. 3:18. ideò pro nobis passum esse 1. Pet. 2:21. hinc justitiam Divinam expleviſſe Joh. 19:30. seu satisfeciſſe (§. 856.); consilium etiam gratiæ indicat, æternum Dei Filium promisisse Patri suo, se placamentum futurum pro electis (§. 454.), adeòque in se suscepisse præstationem operis liberationis (§. 845.), hinc spospondisse pro electis (§. 456.) Patri suo ùt Judici (§. 860.), idque ab æterno (§. 429.).

Sch. 1.

Sch. 1. Vi sponsionis, quàm Filius fecit, peccata electorum Ipsi imputata sunt, tanquàm propria essent, ideò ea appellat sua Ps. 69: 6. & Deus dicitur in Eum conjecisse delicta nostra Es. 53: 6. Ipsum feciſſe sacrificium pro peccato 2. Cor. 5: 21. unde simul patet, Patrem Judicis personam (quod etiam monitum §. 860.) gessisse in negotio liberationis, propterea quoque dicitur Filium afflixisse Es. 53: 4. 10. quælibet nempe persona S. S. Triadis venit ut peculare munus gerens in opere liberationis, quod audit *œconomia personarum S. S. Trinit.*: Pater, ut dictum, gerit munus Judicis, cujus lex violata, Majestasque sit læsa, qui propterea satisfactionem postulet vel à peccatore, vel locò ejus à Sponsore; Filius munus Sponsoris, qui liberationem solutionemque pro quibusdam in se suscepit plenè præstare, nulla ut his obligatio amplius incumberet, & qui suò tempore actu ac perfectè præstitit, quod suscepit; Sp. S. gerit munus Paracleti, ac talis, qui præstitam à Filio liberationem iis, pro quibus præstita, quoque applicat, & ipsos de ea certos reddit 1. Pet. 1: 2. ac etiam consolatur. Cæterum ubi peccata ut debita considerantur, quæ peccatorem obstringunt & debitorem faciunt, ibi Deus ut Creditor consideratur, nempe Deus Pater: *creditoris* nomen quippe etiam ad delicta extenditur, ut docet ULRICUS HUBERUS *diss. Jurid. Theol. &c. exerc.* 7. *sect.* 4. §. 4. qui & §. 3. probat, quòd Deus in hoc negotio jus Creditoris sustineat, interim benè hæc secum invicem consistere posse, ut pars offensa simul sit judex, idem Vir D. stabilit, & rectè monet, non aliter fieri posse, quàm ut is, qui summam habeat in debitorem potestatem, semper & necessariò sit judex in propria causa, *exerc.* 6. §. 2.

Sch. 2. Liberator expressè sponsor appellatur Heb. 7: 22. ἔγγυος quippe talem significat, Græci eam vocem ideò reddunt per ἀνάδοχον & ἐγγύην per ἀναδοχὴν, ut sit talis, qui in se suscipit præstare, quod alter deberet, adeòque promittit, se soluturum, quod ipsum est spondere; cæterùm sponsorem se præbere quis potest duplici modò, ut JCti docent, nimirùm vel *expromissione* vel *fidejussione*, per illam originalis debitor ita liber constituitur, ac si nunquàm obligatus fuisset, adeò ut creditori nullum jus eum unquàm convenien-

di

di amplius restet, dicitur etiam *novatio*, item *delegatio*, & qui tali modò spondet, dicitur in Jure *expromissor*, item *reus pro alio datus*, vid. Huberus, ubi modò *exerc.* 5. §. 8. 9. per fidejussionem autem quis alienum debitum suâ fide & periculò esse jubet, sed ita, ut principalis debitor adhuc maneat obligatus, & creditor ipsum habeat obnoxium, licèt imprimis respiciat *fidejussorem*, dicitur talis etiam *adpromissor*, vid. idem V. D. ib. §. 15. jam sponsionem Filii Dei non solùm fidejussionem sed expromissionem fuisse suadet non solùm Ejus ùt Dei omni-sufficientia (§. 334.), amor item maximus Eph. 3: 19. verùm præterea probat, quòd dicatur pœna Ipsi imposita esse, ut nos pacem haberemus, Es. 53: 5. & nulla amplius condemnatio incumbere iis, qui in Ipso sint, Rom. 8: 1. id enim apertè innuit, obligationem ad pœnam planè peremtam esse, & jus creditoris extinctum, ut alia taceamus, suò locò commemoranda.

Sch. 3. Cæterum sponsionem [hinc & expromissionem, quæ species sponsionis] posse fieri ignaris iis, pro quibus, spondetur, hinc sine ipsorum voluntate & consensu expresso, res ipsa docet & JCti monent, conf. Huberus *diss. cit. exerc.* 5. §. 14. *exerc.* 6. §. 9. adest interim semper consensus interpretandus (§. 764.); Filius Dei ideò pro ignaris spondere sapienter potuit, tantò magis, quòd consensum eorum aliquando præbendum, formatum & expressum, præsciverit (§. 257.), propterea spondere potuit pro nondum actu verùm nonnisi moraliter existentibus (§. 758.). Quænam autem in sponsione sua ùt Liberator promiserit, facilè perspicitur, si recolantur, quæ in anteced. dicta, nempe 1. se fore hominem, seu naturam humanam in unitate personæ assumturum (§. 850. 859.); 2. se legem Dei Patris sui tam naturalem quàm positam perfectè servaturum (§. 854.); 3. veras peccati pœnas passurum (§. 847.); quæ omnia Eum in tempore quoque actu præstitisse adeòque reipsâ Liberatorem se exhibuisse in seq. videbimus, ita ut liberatio Ipsius sit executio sponsionis Ejus, sponsio verò promissio liberationis præstandæ; monemus adhuc, Synagogam antiquam seu veterem Ecclesiam Judaicam tenuisse Messiam seu Liberatorem fore Filium Dei, ùt ex antiquissimis Judæorum monumentis collatis cum Scriptura S. ostendunt Eruditi, vid.

vid. ALLIX Außspruch der alten Jüdischen Kirch. &c. *Cap.* 17. inde inter alias Messiæ appellationes ipsis quoque ינון ex Ps. 72: 17. à בן *filius*, ut nomen illius usurpatur.

Debuit id voluntario fieri, & etiam ita factum est.

862. *Sponsio Liberatoris ejusque executio voluntaria esse debuit, & talis etiam fuit:* prius patet, quià in actionibus moralibus præcipuè spectatur voluntas, quæ si desit, vel si agens rationale vi cogendum sit, nullum actioni ampliùs statuitur prætium, ita ergo sponsio Liberatoris de valore suo plurimum amisisset non tantùm, sed & illò ferè caruisset; præterea finis sponsionis liberationisque non alius fuit nec esse potuit nisi gloria Dei (§. 271.): hæc namque est finis decreti Divini in genere (§. 400.), ergo & sponsionis de liberatione, est enim hæc pars decreti Divini in genere (§. 427. 456.), jam verò Deus glorificatur seu honoratur, ubi motiva actionum desumuntur à perfectionibus Ipsius (§. 52.), quando autem quis agit ob motiva cognita, eò ipsò voluntariè agit, quià ex repræsentatione motivorum volitio oritur (*Met.* §. 496.); posterius, seu quòd sponsio illa etiam voluntaria fuerit, inde clarè patet, quià sponsor & Liberator est Deus (§. 336. 456. 858.), Deus autem, quià independens est in agendo ab omnibus rebus extra Se (§. 278.), & omnipotens (§. 293.), minimè potest cogi, proin non potest non voluntariè agere, quæ agit, ut sponsio Liberatoris non aliter esse potuerit nisi voluntaria.

Sch. 1. Debuit voluntaria esse Liberatoris sponsio, quià, dum per eam pœnam in se suscepit (§. 454. 847.), quæ Ipsi à Deo Judice irrogata fuit (§. 860. & sch. 1. §. 861.), si judex id justè facere voluit, consensus ejus,

ejus, cui pœnam infligere statuit, necessariò requirebatur: omne namque pœnarum jus, quod exercetur in republica erga delinquentes, etiam extremi supplicii, oritur ex eorum consensu, quô in bonum publicum, quôcunque modô promovendum à Magistratibus, consenserunt; quòd si ergo innocentes pro aliis pœnam subire debeant, tantò magis consensus eorum requiritur: aliâs regulæ Juris omnis justique à Judice immaniter violarentur; ubi autem consensus sine coactione, ibi & τὸ voluntarium, inde Liberatoris sponsio debuit voluntaria esse, & potuerunt propterea in Ipsum pœnæ placandorum devolvi; suppeditat hasce observationes egregias Cl. Canzius *Jurispr. &c.* §. 1101. 1102.

Sch. 2. Quòd Liberator, Filius Dei, voluntariè spoposponderit, Ipse quoque indicat Ps. 40: 9. liberè itaque & sponsionem & liberationem fecit; uti liberè Pater ab Eo sponsionem petiit (§. 276. 454.), ita liberè petitioni Patris adstipulatus fuit, quià una est voluntas Patris ac Filii Joh. 5: 19. 17: 11. 21. nulla planè adfuit in sponsione Filii coactio nec interna nec externa: non hæc, quià, uti dictum, est Deus independens; non illa, quià non simpliciter necessarium quid fuit, ut sponderet, cùm oppositum hujus, seu ut non sponderet, in se æque possibile esset, adeòque non unus tantùm agendi modus præstò fuerit, ubi verò hoc, ibi nulla coactio interna (*Met.* §. 987.). Interim Filius Dei, etsi planè liber in spondendo, tamen non indifferens fuit vel ad spondendum, vel non spondendum: talis quippe indifferentia in genere non datur (*Met.* §. 510. 511.), [ubi nempe nihilominùs alterutrum eligitur] multò minùs apud Deum locum habet (ib. §. 984 --- 986.); rationes etiam pro spondendo fortiores fuerint oportet iis pro non spondendo: rationibus enim pro utraque oppositorum æqualibus voluntas se non determinat (*Met.* §. 508.), rationes autem, quæ Filium Dei ad spondendum permoverunt, erant, tum amor Ipsius erga homines lapsos (§. 312.), tum merces Ei promissa juxta humanam naturam (§. 454. & sch. ib.), suprema verò ratio erat, quià sponsio hæc ab ea rerum serie, per quam perfectiones Divinæ fulgidissimè manifestarentur, abesse non poterat, conf. (§. 409. & sch. 3. §. 481.).

863. Quo-

Subſtitutio vicaria non adverſatur virtutibus Dei.

863. Quoniam Liberator fuit Filius Dei (§. 858. 861.), & voluntariò ſpoſpondit (§. 862.), inde *Subſtitutio vicaria non contrariatur nec veracitati Dei, nec bonitati Ipſius nec Sapientiæ & Juſtitiæ:* etſi enim veracitas Divina vel Intellectus Dei perfectiſſimus (§. 245.), res ſibi non aliter repræſentet, vel non aliter conſideret, ac in ſe ſunt, hinc innocentem ùt innocentem, ſontem ùt ſontem, tamen quiâ Liberator per voluntariam ſponſionem conſenſit (§. 862.) & ſch. 1. ib.) in pœnam ſibi infligendam, inde cum ratione conſiderari poteſt ùt nocens, nempe vicarius, licèt veracitas Divina Eum in ſe innocentem ſemper conſideret: per conſenſum namque quis ſe aggregat ſocietati alicui (§. 760. coll. 764.), qui verò ex eadem ſocietate, ii unam perſonam moralem conſtituunt, conjuncti ſunt, ut unus pro altero conſiderari poſſit, ſocietati verò liberandorum adjunxit ſe Filius Dei non ſolùm per conſenſum in ſponſione datum, ſed & deinde humanam aſſumendo naturam (§. 849. 861.); inde &, licèt fuerit dilectiſſimus Patri Matth. 33: 17. tamen ùt per ſponſionem devotus pro electis ſociatis puniri potuit à Deo Judice, adeòque ob jura ſocietatis, ut hinc ſubſtitutio Ejus vicaria nec bonitati Divinæ contrarietur; indidem patet, eam nec Sapientiæ Divinæ adverſari, quòd alius pro alio plectatur, & inæquales æqualiter tractentur: conſenſus enim & communitas ejuſdem in pœnarum fine explendo ſocietatis facit, ut unô punitô & reliqui puniri rectè reputentur 2. Cor. 5: 14. ac ita æqualiter tractentur; unde cùm nec bonitati nec Sapientiæ adverſe-

tur

tur vicaria substitutio, nec justitiæ adversatur, hæc quippe ex illis oritur (§. 313.).

Veracitas Divina, quâ vi Intellectûs summi semper judicat secundum veritatem, accuratè tamen distinguit inter insontem, Sponsorem, & sontes per Eum liberandos; etsi Ille pro his substituatur, consideret illum semper ut ens subsidiarium, id est, quod vicem alterius supplet; ut per substitutionem vicariam essentias non mutet Deus, nec vanæ Ipsi [quod absit!] tribuantur fictiones. Bonitati Divinæ substitutio innocentis eò minùs adversatur, quòd hic voluerit pro nocente haberi, ut injuria ipsi non fiat: volenti enim, ut dicitur, non fit injuria, tantò minùs, quià pœnæ duratio nonnisi brevis requirebatur ob præcellentiam personæ substitutæ (§. 858.), hæcque jure in propriam vitam gaudebat (ib.), & quià per unius substitutionem liberatio plurimorum procurari poterat; ut hinc bonum publicum eam postulaverit, id verò promovere est bonitatis, dummodò modus illud promovendi non repugnet Sapientiæ, uti sanè substitutio vicaria ei non repugnat: Filius enim Dei in sponsione æterna sontes liberandos repræsentavit ut Caput eorum, ideò sapienter pro iis sumi vel substitui poterat, cùm liberandi per Ejus punitionem & ipsi puniti rectè reputentur; unde longè alius est hic casus, quam ubi aliàs in Republica quibusdam crimine se obstringentibus alius pro iis sine discrimine plecteretur, quod sanè contrariaretur sapientiæ: quippe ii non sunt eò respectu conjuncti, & in eadem quoad pœnam ferendam societate, non unus alterum vel reliquos repræsentat, nec unius insontis pro sontibus pœnâ bonum publicum promovetur, uti è contrà hæc omnia in substitutione Liberatoris locum habent, quam Sapientia Divina eò magis approbat, quià per illam bonum privatum cum bono publico conciliatur (sch. 1. §. 846.), quod Sapientiâ dignissimum. E dictis etiam perspicitur, non injustum esse, ut Liberator locò liberandorum puniatur: ob consensum nempe ejus in pœnam; adeòque nec justitiæ Divinæ substitutionem vicariam contrariari, tantò minùs, quòd justitia sit amor boni publici seu studium id promovendi (sch. 2. §. 313.), per substitutionem Liberatoris autem promoveatur, conf. etiam (sch. 1. §. 862.). Ita ergo substitutio vicaria per Divinas perfec-

tiones possibilis est, seu salvis iis fieri potest; quod ostendere maximè necessarium fuit: cùm, quod perfectionibus Dei repugnat, admitti non possit, & adversarii dictam substitutionem iis repugnare propugnent; vid., qui dicta suppeditat CANZIUS *Jurispr. &c.* §. 1091. —— 1105. 1141. —— 1148. imò suò locò videmus, quòd adhuc insuper Divinæ perfectiones exinde eluceant.

Quanam tria Liberator homini præstare debeat.

864. *Liberator debet hominibus aditum ad Deum parare, eos à peccatis retrahere, & ignorantiæ ipsorum subvenire:* etenim maximum malum, cui homo obnoxius est, & præcipua miseriæ pars, est mors æterna (§. 837. 841.), ob quam de liberatione maximè sollicitus esse debet (§. 843. 844.), hinc Liberator necessarius est (§. 848.), mors autem æterna cùm sit exclusio à Deo summo bono perpessioque maximorum cruciatuum (§. 837. & sch. 2. §. 427.), inde Liberator aditum ad Deum summum bonum parare debet; id quod etiam patet, quià pœnam peccatori debitam in se suscipere debuit (§. 847.), & perfectam locò ipsius obedientiam præstare (§. 854.): per illud enim peccator liberatur à pœna (§. 847.), per hoc autem acquiritur ipsi jus vitæ cœlestis (§. 729.) 854.), consequenter fruitio summi boni seu aditus ad Deum; cùm autem miseria omnis & reatus mortis æternæ veniat à peccato (§. 837. 841.), & eos, qui sub dominio peccati sunt, Deus ad fruitionem sui admittere non possit: siquidem dum Ipse ab omni imperfecto segregatus est (§. 332. 333.), tantòque magis à malo, etiam à malis & peccatoribus se segregat, igitur dominium peccati extinguendum, & emendandi, consequenter à peccato retrahendi

di sunt, qui Deô summô bonô frui volunt; tandem quià homo è miseria liberari non desideravit, nisi eam agnoscat, nec à peccatis retrahi, nisi ea pernicioſa sibi cognoverit, per princ. psych. (*Met.* §. 496.), oportet, ad cognitionem harum rerum perducatur, tantò magis, quià aliâs beneficium liberationis respuet, invitis autem beneficium non confertur, nec non quià emendatio hominis ab Intellectu incipere debet *Mor.* §. 373.), ignorantiæ proinde hominis Liberator etiam subvenire debuit.

Sch. 1. Laborat enim homo in statu naturæ corruptæ præcipuè triplici hôcce defectu seu malô: peccatum nempe animam hominis potissimum infecit corrupitque, animæ facultates autem sunt vel cognoscitivæ vel appetitivæ, illorum morbus est ignorantia rerum Divinarum, harum verò, quòd versus mala se determinent, seu concupiscentia pravorum, adeòque peccata, quæ sunt mala actionis (sch. 1. §. 841.), inde autem venit reatus pœnæ (783. 784.), quod est tertium & maximum incommodum, quô homo laborat; itaque homo laborat 1. ignorantiâ, 2. inclinatione ad malum seu propensione ad peccandum; 3. reatu pœnæ, præcipuè æternæ; huic ergo occurrere debuit Liberator. Etiam triplici hôcce malô homo in statu integritatis non solùm non laborabat, sed adhuc gaudebat bonô iis oppositô: quippe facultas cognoscitiva ornata erat cognitione (§. 678–681.), appetitiva sanctitate (§. 684. 685. 688. 690.), homoque gaudebat jure vitæ cœlestis (§. 739.), promissæ ipsi (§. 720.).

Sch. 2. Liberator debuit hominem à peccatis retrahere seu emendationem ejus procurare & efficere ideò quoque, quià summus Dei finis est gloria Ipsius (§. 271.), ad quam promovendam tendunt omnia Dei Opera, decretum (§. 400.), creatio (§. 528.), conservatio (§. 565.), providentia (§. 671.), eò igitur etiam tendere debet Opus liberationis; jam verò peccata derogant gloriæ Dei (§. 598.), ergo Liberator homines à peccatis retrahere eosque emendare debuit; idque etiam ideò, quià, etsi per satisfactionem Ipsius præterita peccata abolita essent, tamen futura vitanda sunt: cùm iis

demum satisfactionem suam in emolumentum cedere voluerit [ut suo loco videbimus] qui habitum dominiumque peccati & peccata deliberata procul facessere jusserint, adeoque sub hac conditione pro iis compensationem fecit justitiæ Divinæ.

Debet ideo esse Propheta, Sacerdos & Rex.

865. Ignorantiæ subvenitur seu pellitur ea docendo, adeòque Doctoris est ignorantiæ aliorum subvenire, qui publicò munere fungentes in V. T. appellabantur *Prophetæ*; aditum ad Deum parare est eorum, qui Eum placare possunt: aditus enim hic dicit fruitionem summi boni (§. 864.), consequenter etiam liberationem à pœna, id quod est, placatum esse (§. 845.), Deum autem placare in V. T. erat Sacerdotum; tandem homo emendatur & à peccatis retrahitur tum dehortationibus, obtestationibus, convictionibus, quæ Doctoris sunt, tum promissionibus, comminationibus, conferendis & infligendis à Superiore, adeòque legibus, quas ferre est Regum (*Pol.* §. 405. coll. §. 452. 453.), *Liberator* igitur *debuit esse Propheta, Sacerdos & Rex* (§. 864.) Deut. 18: 15. Ps. 110: 4. 2: 6. 72: 8.

Sch. 1. Dum dicimus, Sacerdotes in V. T. placasse Deum, id intelligendum esse, ut virtute futuri Liberatoris factum fuerit, adeòque, ut dicitur, *typicè*, quivis facilè videt, quo de autem suo demum loco plura dici possunt.

Sch. 2. Quoniam Liberator debuit esse Propheta, & quâ talis doctrinam homini annunciare, quæ captum ipsius vel Intellectum humanum transcenderet [qualis est illa Opus liberationis exponens] (§. 117. 337. 861.), ideò ut ab homine pro vera Divinaque reciperetur, ejus veritatem Divinitatemque per miracula comprobare debuit: etenim cùm [ut deinde dicetur] apud homines in statu humili versari debuerit, ut non haberet speciem Filii Dei, ideò, ut doctrina Ipsius nihilominùs pro Divina agnosceretur, argumentis extrinsecis invictis [qualia

lia sunt miracula] (§. 110.), id efficiendum fuit, ubi nempe priùs ob argumenta intrinseca [quæ sunt doctrinæ ipsæ & dogmata] jam pro Divina sat probabiliter haberi potuerit (sch. 3. §. 110.); Prophetæ etiam V. T. ubi ratio poscebat, miracula addebant doctrinæ annunciatæ (§. 119.).

Sch. 3. Dum Liberator morbo Intellectûs voluntatisque hominis subveniebat (sch. 1. §. 864.), Medicum se gerebat, dum verò ipsi aditum ad Deum parabat (§. 864.), compensationem faciebat justitiæ Divinæ (§. 856. 857.), Liberatorem rigide ita dictum [qui etiam Redemtor dicitur, & quo de infra] se gerebat; nil etiam vetat, ut quis Redemtorem & Medicum simùl erga quendam se exhibere possit, imò eò illustrius bonitatis Sapientiæque specimen tunc præbet; in humanis quoque utrumque simùl quis agere potest, hæcque omninò compossibilia sunt, ut inepti sint, qui hæc non benè simùl secum consistere objiciant, vid. Canzius *Jurispr. &c.* §. 1158. a —— d.

866. *Mediator* dicitur, qui partes inimicas amicas reddit, vel dissidentes componit. *Mediator quis?*

867. *Liberator debuit esse Mediator*: erant enim partes inimicæ, Deus nempe & homo, quippe Deus odio habebat peccatorem (§. 328.), qui verò alterum odiò prosequitur, est ejus inimicus (*Mor.* §. 778.); homo erat inimicus Dei: peccando quippe voluntati Ipsius adversabatur (§. 598. 620.), consequenter Ipsum non amabat (*Mor.* §. 693.), quod est inimici, & inimicitiam gerebat adversus Deum Rom. 8: 7. inde etiam veniebat dissidium inter partes illas: Deus namque volebat gloriam suam reparatam (§. 85. 271.), per peccatum Ipsi ereptam (§. 598.), quod peccator renuebat, eò ipsò, quià in peccando pergebat (§. 821.); jam verò Liberator pœnam, quam Deus peccatori in- *Talis debuit esse Liberator.*

tentat (§. 837.), debuit avertere (§. 847. 848.), adeòque odium Dei, consequenter inimicitiam erga hominem tollere, è contrà Deum amicum facere homini per acquisitionem juris vitæ (§. 853.), conferendæ homini à Deo (§. 720.); hominem autem dum debuit à peccato retrahere (§. 864.), amicum Deo facere debuit, unde & dissidium Deum inter & hominem tollebatur, partes itaque inimicas reddere debuit amicas, dissidentes componere, quæ Mediatoris sunt (§. 866.), Liberator proinde debuit esse Mediator.

Error Socinian. 868. Ex iis, quæ usque hùc dicta sunt, patet, Liberatorem ita appellari non solùm ideò, nec etiam præcipuè, quòd viam liberationis tantùm ostenderit, sed quòd liberationem ipse fecerit; nec Sponsorem, quòd nobis spondere seu nos certos reddere debuerit, Deum nobis, si obediamus, promissa servaturum; nec Mediatorem solùm propterea, quòd Divinæ voluntatis apud nos fuerit internuncius, uti Socin. hæc omnia volunt.

Socin. non possunt non liberationem, sponsionem & mediationem Liberatoris pervertere: quia enim Deitatem Ipsius negant (§. 351.), non aliter possunt quàm negare quoque, satisfactionem Ejus pro nobis & locô nostrô fuisse præstitam: quomodo namque meri hominis [ψιλῆς ἀνθρώπε] passio tanti esset valoris, ut quàmvis brevis sufficiens tamen esset multis millibus à pœna post hanc vitam liberandis? quomodo obedientia unius justi [qui merus sit homo] valeret ad plurimos jure vitæ donandos? ideo nil aliud relictum est, nisi negare liberationem propriè sic talem per substitutionem vicariam, Scripturamque de ea loquentem explicare, quòd per illam nil innuat nisi τὸ liberationis viam ostendere; hinc nec ulla promissio talis liberationis locum habere potest, seu sponsio (§. 456. 861.), hæc propterea explicanda, quòd Liberator apud homines

mines pro Deo spospondérit, non verò pro hominibus apud Deum ab æterno, offerendo se ad pœnam locò eorum suscipiendam, obedientiamque Legi perfectam præstandam in natura humana; mediatio inde itidem cadat oportet: quoniam eâ ratione Liberator per passionem vicariam non Deum homini amicum, vel Deum peccatori placatum reddidit, sed nonnisi veritatem doctrinæ suæ firmavit, homini exemplum virtutis præbuit, ipsumque emendando cum Deo amicum placatumque reddidit; mediatio propterea Illius tantùm explicanda, quòd debuerit esse internuncius Deum inter ac hominem, uti ob hanc rationem Mosen mediatorem dici volunt Gal. 3: 19. cùm tamen vox μεσίτης aliam significationem apertè postulet 1. Tim. 2: 5. Heb. 9: 15. 12: 24. nempe mediatorem placationis, propterea ad mediatoris officium non minùs pertineat hominum vice apud Deum fungi, quàm Dei vice apud homines; etiam apud græcos μεσίτης denotet placatorem, ut hæc contrà Socinum monet Grotius *de satisf. Cap.* 8. §. 15. ne verò placatione per satisfactionem opus sit à parte Dei, justitia Ipsius vindicativa neganda (§. 317.). & ne liberatione opùs sit à parte nostri, cum Pelagianis statuendum, hominem naturâ non ita esse corruptum (sch. 2. §. 811.), nec fuisse eum in statu innocentiæ multò perfectiorem (§. 706. 717.), ut ne aliquid amisisse concedendum sit, status itaque destitutus & institutus pervertendus; videri autem potest Gürtlerus *instit. Theol. Cap.* 14. §. 36–49. contrà Socin. disputans.

869. *Liberator suis liberationem non solùm acquivere sed & actu conferre debuit:* id necessarium erat, ut Liberator esset perfectus, & liberatio Ipsius perfecta, cui nil deesset: ubi namque liberatio liberando non actu confertur, seu ubi hic illius non reipsâ particeps redditur, ubi nondum adest actualis liberatio, sed tantùm potest actualis fieri, adeòque usquedum possibilis est, possibili autem adhuc deest suum complementum (*Met.* §. 14.); ergo

Debuit liberationem etiam actu conferre.

liberatio sine actuali ejus collatione nondum suum habet complementum, non esset completa & perfecta, quià deesset quid, quod tendere deberet ad actualem hominis felicitatem.

Sch. 1. Liberatio conjuncta cum actuali ejus collatione vel immissione infelicitatem à Liberatore partam appellatur itaque nobis *perfecta*, potest etiam dici *completa*, item *consummata*; talis requirebatur ob hominum impotentiam, quâ omnes naturâ laborant (§. 825. 827.), vi cujus liberationem ipsi sibi applicare non possent, debuit ideò à Liberatore ipso consummata exhiberi sistique, hinc Scriptura liberationi à Mediatore peractæ τελείωσιν tribuit Heb. 10: 14. talis quoque liberationis collatio vel applicatio non potest non admitti, si ad animum revocetur decretum Dei æternum ac Testamentum gratiæ (§. 394. 460.), in quo ipsa media, per quæ quis particeps fit liberationis, seu hæc applicatur, nempe fides & sanctitas designatæ sunt (§. 436. 437.), huic vel illi (§. 439.).

Sch. 2. Talem liberationem, quæ non conjuncta sit cum actuali ejus applicatione, statuunt Armin., nec aliter possunt: cùm non agnoscant decretum Dei absolutum ac Testamentum gratiæ (§. 426. 460.), hisce enim innititur ipsa liberationis collatio seu applicatio (sch. 1.); Mediatorem ideò Filium Dei dicunt esse, quâtenus liberatione suâ meruerit, ut Deus non obstante justitâ suâ cum hominibus in gratiam redire posset; quâpropter non prorsus rectè mediationem Ejus concipiunt, & minus adhuc sponsionem Illius, quam consistere faciunt in promissione, quâ Patri confirmet, nos per verbum & Spiritum Ipsius credituros.

Ideò in statu passionum non manere.

870. Quòd si Liberator noster liberationem, per passionem pœnæ & servationem Legis comparandam (847. 854.), non solùm acquirere, sed & actu conferre debuit (§. 869.), oportuit Ipsum potentiâ vel viribus agendi ad id instructum esse; igitur non in statu passionum manere: nam qui patiens est, ille eò ipsò non agit, & potentiam non exercet, *debuit* igitur Libera-

Liberator ad potentiam evehi, & e ſtatu paſſivo ad activum tranſire.

Qui alterum boni cujuſdam participem reddit, ſeu ei beneficium applicat, ille mutationem extra ſe producit, quod eſt agere (*Met.* §. 104.), ens verò non poteſt agere, niſi potentia ac vi gaudeat (ib. §. 115 --- 117.), ergo Liberator, ſi beneficii liberationis nos participes reddere voluit, potentiâ quoque gaudere debuit, quam priùs, quàmdiu liberationem per paſſiones ſuas comparavit, non exercuit oſtenditque, tamen ſemper habuit, quia Deus (§. 349. 861.), ſed ut eam quoad naturam humanam (§. 849.) etiam haberet, oſtenderetque, in qua & per quam paſſus eſt, legem ſervavit, adeòque ſatisfecit (§. 856.) [eſt namque natura humana *principium quò*, ut dicitur, utraque verò natura in unitate perſonæ *principium quod*] ſecundùm eam quoque debuit evehi ad potentiam talem, quæ ſufficeret ad ſuos liberationis præſtitæ participes reddendos, ſeu ad eam illis actu conferendam, adeòque debuit ſtatum paſſionum deſerere, & tranſire in ſtatum activum, potentiæ, in quo omnia illa agere poſſet.

871. Status paſſionum Liberatoris, in quo liberationem ſuis comparare vel acquirere debuit ac voluit, vocatur *ſtatus humilis*, è contrà ſtatus potentiæ, ad quem poſt paſſiones exantlatas tranſire debuit ſecundùm naturam humanam, vocatur *ſtatus glorioſus*, ergo *Liberator ſtatum ſubire debuit duplicem, nempe humilem priùs, dein glorioſum.* *Duplicem hinc ſubire ſtatum.*

Sch. 1. *Status* eſt certus modus limitationis (*Met.* §. 121.), vel aliter, ſtatus inde reſultat, quando ens cum ſuis fixis mutabilia ſimùl ſuſtinet (per princ. Ontol.), notio ſtatûs igitur abſtracta eſt à talibus rebus vel entibus, quæ limitata & mutationi obnoxia ſunt, conſequenter à rebus finitis, hinc enti infinito ſtatus propriè tribui nequit (322. 323.), adeòque nec Filio Dei, vel Liberatori, ſecundùm naturam Divinam (§. 858.), ſtatus proinde propriè reſpiciunt tantùm naturam Ejus humanam (§. 849.).

Sch. 2. Quod hic dicimus, Liberatorem debuiſſe *ſubire*

etiam statum glorioſum, id aliâs quoque dicitur, Illum debuiſſe *evehi* ad talem ſtatum, quod verò non ita intelligendum, ac ſi opùs habuiſſet ab alio eò evehi: nam quià Deus eſt (§. 858.), Ipſe ſe eò evehere potis fuit (§. 293.); ſed reſpicitur locutione illâ ad Judicem in opere liberationis (§. 860. & ſch. 1. §. 861.), qui cùm liberationem à Sponſore præſtitam pro plenaria habuiſſet, [ut infrà dicetur] etiam hujus conſenſu ac voluntate ad ſtatum glorioſum tranſiit, adeòque tantundem fuit, ac ſi Ipſum eò devexiſſet, ut interim Liberator ipſe ſat potentiæ viriumque habuerit ad ſe eò devehendum.

Mox poſt admiſſum peccatum Liberator debuit promitti.

872. Cùm peccatum mox poſt creationem Mundum introierit (§. 768. 770.), adeòque jam tum homo opùs habuerit, ut reatu mortis æternæ exolveretur (§. 784. 789), ſeu liberaretur (§ 844.), hinc opùs habuerit Liberatore (848.), *mox poſt creationem commonſtrari promittique debuit Liberator:* nulla enim eſt ratio, quare Deus nonniſi longò poſt tempore homini miſero ſuccurrere voluerit, non autem mox, poſtquam miſeria exorta, bonitaſque Dei non permiſiſſet, hominem ita ſine ſpe liberationis relinquere, unde & de facto mox poſt admiſſum peccatum Liberator homini miſero commonſtratus fuit promiſſione Gen. 3: 15. poſteà repetitâ 18: 22. 49: 10.

Sch. 1. Promiſſio de Liberatore vel ejus annuntiatio à Deo facta *evangelii* nomine venit, & prima Ejus promiſſio protoplaſtis facta ideò vocatur πρωτευαγγελιον; apud Scriptores profanos vox ευαγγελία denotat tùm lætum nuntium, tum ſacrificium pro bono nuncio; quòd autem promiſſio futuri Liberatoris percommodè eleganterque dicatur *bonus* vel *latus nuntius*, quivis facilè perſpicit.

Sch. 2. Interim etſi neceſſe fuerit, ut Liberator mox poſt introitum peccati in Mundum homini miſero commonſtraretur, ac neceſſe fuerit, ut ſatisfaceret (§. 857.), tamen non neceſſe fuit, ut jam tùm ſatisfactionem ipſam

ipsam actu præstaret, in humana natura patiendo legemque Dei servando (§. 856.); sed sufficiebat tunc sponsio, quâ promisit, se aliquando satisfacturum (§. 456.), & ut homini indicaretur, Liberatorem sibi sperandum esse, qui suo tempore liberationem sit facturus, ad se è miseria eripiendum, & cœlestis felicitatis participem reddendum, si modò mediis convenientibus studeret particeps fieri liberationis illius pro se præstandæ, seu in eum venire statum, in quo certus esse posset, Liberatorem & pro se spospondisse, ac pro se satisfacturum: etenim solutio certò futura respicitur etiam apud homines, eundemque obtinet effectum, ac si jam facta esset, & inter solutionem promissam præstitamque nil interest nisi mora executionis, quæ rationem justitiæ non mutat, judex quoque solutionem pœnamque ad certum tempus differre potest salvâ justitiâ, ut monet Ulr. Huberus *dissert. Jurid. Theol. &c. exerc.* 6. §. 8. quòd si autem inter homines solutioni certò futuræ idem tribuitur valor & effectus ac jam præstitæ, quantò magis sponsio Filii Dei, qui est veracissimus (§. 305.), eundem valorem habere debuit apud Deum Judicem (sch. 1. §. 861.). ac expletio ejus actualis? præsertim si attendatur, quòd Deo vi omniscientiæ Ipsius futura sint ut præsentia (§. 262.), licèt ea accuratè distinguat (sch. §. 244.).

Sch. 3. Dubium autem hîc suboriri posset, cùm enim dicamus, non necesse fuisse, ut Liberator mox post admissum peccatum satisfactionem actu præstaret (sch. 2.), & tamen dixerimus (§. 865.), necesse fuisse, ut esset Propheta, atque doctrinâ hominem imbueret, adeòque in humana natura appareret, videtur, quòd, si doctrinæ hujus annunciatio necessaria fuit, id fuerit jam mox post introitum peccati in Mundum, hinc Liberator debuerit jam tum in humana apparere natura ad doctrinam eam annunciandam; at, ut nil dicamus de apparitionibus Ejus, [de quibus quædam dicentur Locô XI.] respondetur, quòd homo jam tum cognoverit doctrinam illam, quantum satis erat ad liberationem è miseria, & quòd Filius Dei per nuntios seu Prophetas adeòque mediatè eam homines edocuerit (§. 141.).

Sch. 4. Per promissionem Liberatoris fœdus operum porrò abrogatum est: lex namque fœderis illius (§. 746.) habebat annexam comminationem mortis æternæ in casu vio-

violationis (§. 728.), adeòque admissâ violatione (§. 768.) habebat vim hominem reum pronunciandi mortis æternæ (§. 789.), hæc verò vis ipsi adimitur per promissionem de Liberatore hominem à morte illa liberaturo passionibus vicariis, ut fœdus operum hâc ratione abrogatum fuerit quoad secundum gradum.

Requisita Liberatoris sunt vel interna vel externa.

873. Requisita usque huc recensita Liberatoris (§. 847. 850. 852. 854. 858. 859. 865. 871. 872.), quoniam sine iis liberatio peccatoris peragi non posset, adeòque Opus liberationis illa postulat, ideò sunt ac rectè dici possunt *interna*, item *necessaria*; sunt alia, quæ ad Opus liberationis peragendum in se non requirebantur, interim tamen ei, qui pro vero Liberatore habendus sit & haberi velit, inesse debent, quià à Prophetis futuro Liberatori tribuuntur, ut ex iis etiam agnoscendus esset, talia sunt, locus nativitatis Ipsius ùt hominis, tempus, prosapia seu stirps, genus & circumstantiæ passionum Ejus &c. quæ sunt requisita *externa*;

Posteriora ideò necessaria sunt in eo, qui pro vero Liberatore agnosci velit, non aliam ob rationem, quàm ob prædictiones Divinas, dum iis ùt characteribus notatus fuit, & eorum ope dein, ubi apparuerit, eò facilius agnoscendus; adeòque per hypothesin prædictionum necessaria, neutiquam autem absolutè: siquidem Opus liberationis peragi potuisset, etsi Liberator citiùs aut tardiùs, aut aliô locô, aliâ prosapiâ &c. natus fuisset.

Qui iis omnibus simùl gaudet, verus ac unicus est Liberator.

874. Quandoquidem Liberator homini necessarius erat, ut è miseria evadere posset (§. 848.), Deique bonitas talem sperare jubet (§. 846.), revelatio autem certò promittit (§. 115.), & qui requisita recensita interna (§. 873.) possidet, Opus liberationis peragere potest, requisita

sita verò externa alias ob rationes abesse non debent (ib.), sequitur, *si persona quædam in Mundo occurrat, quæ requisitis iis omnibus simùl gaudeat, eam certò esse verum Liberatorem, imò etiam unicum:* siquidem nonnisi unicus potest esse, quoniam Liberator debuit esse Deus (§. 858.), Filius Dei (§. 861.), talis autem nonnisi unicus est (§. 336. 361.), etiam unicus Liberator sufficit.

Sch. 1. Patet enim ex consideratione requisitorum illorum, ea tum in se possibilia esse, tum ut simùl sint, seu resideant in unica persona, quòd in seq. ulterius manifestum fiet. Negotium facessere posset, quomodo possibile esset, ut una eademque persona sit simùl Deus ac homo, quòd requiritur ad liberationem (§. 859.), verùm in seq. id possibile esse clarum fiet, hic tantispet assumere liceat. Liberatoris persona itaque, qualis requiritur, possibilis est, consequenter Opus liberationis in se possibile seu intrinsecè; uti &, quòd per perfectiones Divinas adeòque extrinsecè vel moraliter possibile sit, vidimus (§. 863. & sch. ib.).

Sch. 2. Requisita interna Liberatoris à Prophetis etiam omnino memorata & notata fuêre in futuro Liberatore, uti quòd deberet esse homo: siquidem nativitatem Ejus prædixere, ex. gr. Es. 7: 14. 9: 6. homo sanctus Es. 53: 9. quòd deberet esse Deus, ib. & Jer. 23: 6. Mich. 5: 2. pœnam vicariam suscipere, Es. 53: 5. statum humilem subire ac gloriosum, ib. v. 8. & alia, requisitis hisce internis Liberator, ubi apparuisset, & pro tali agnosci voluisset, gaudere debuit etiam ob hypothesin prædictionum.

Sch. 3. Patet autem, requisita hæc, quæ stabilita fuerunt ut necessaria ad id, ut verus quis esset Liberator, ex ipsa rei natura ac peccatoris indigentia arcessita fuisse, adeòque sepositô omni respectu ad Liberatorem, quem Christiani pro vero habent, posita fuisse, neutiquàm autem assumta tali modô, & pro lubitu [ut ita dicam] fabricata, ut ita deinde convenire oporteat ei, quem Christiani verum statuunt Liberatorem, quemadmodum & characteres veræ revelationis ex ipsa rei natura petiti sunt ac stabiliti (sch. 2. §. 113.), nullô habitô respectu ad eam, quam Christiani pro vera habent.

Sch. 4.

Sch. 4. Quòd si jam juxta requisita illa seu characteres examinentur, qui in historiis leguntur se pro Liberatoribus venditasse, & etiam à quibusdam hominibus pro veris habiti fuisse, mox apparebit, ipsos planè non posse fuisse veros Liberatores, quoniam è requisitis recensitis vel nulla vel pauca tantùm in iis fuerint deprehensa; accedit, quòd nonnisi unus verus Liberator esse possit, quià debuit esse Filius Dei (858. 861.), qui tantùm unicus (336. 337.). Pseudo-Liberatores tales fuêre ex. gr. Theudas Act. 5: 36. Judas Gallilæus v. 37. deinde Barcochab, à R. Akiba pro Messia habitus, causatus strages plurimas tempore Adriani Imperatoris; Pseudo-Moses Cretensis, tempore Theodosii Junioris; David el David in Persia, tempore Maimonidis.

Jesus Nazar. iis omnibus gaudet.

875. *Jesus Nazarenus Mariæ Filius requisitis iis omnibus simùl gaudet:* fuit enim estque homo verus, sanctus, seu sine peccato, natus non juxta naturæ communem cursum, simùl Deus, & tamen nonnisi unus, adeòque Deus & homo in unitate personæ; subiit statum duplicem, humilem primò, in quo passus, ac legem Dei perfectè servavit, dein glorioſum; egit Doctorem publicum vel Prophetam: dum capita illa doctrinæ homini scitu necessaria (§. 95-98.) in plena collocavit luce, atque authoritate munivit, quod necessarium erat (§. 99.), præcipuè per miracula; egit Sacerdotem: dum sanguinem fundendo voluntarie, seipsum sacrificavit; Regem: dum suos per verbum Spiritumque suum flectit ac regit; prætereà natus est eò locò, tempore, ortus eâ stirpe, uti Prophetæ prædixere.

Sch. 1. Hoc sigillatim & per partes seu quoad quodlibet requisitum ostendetur in seq. [licèt hic tantisper assumere liceat] demonstratio namque, Jesum Naz. esse verum Liberatorem, non ita unicâ propositione absolvi potest.

Sch. 2. Nomen *Jesus* origine Hebræum esse nemini dubium

brum est, derivandum à ישע in Kal. inusit. ad in Hiph. יושיע הושיע *servavit, servabit*, ut *Servatorem* seu talem, qui à malo præmunit, præservat, & ex eo eripit, denotet, adeòque idem, quod græcum Σωτὴρ; unde illud nomen Servatori designatum fuit jam ante nativitatem Matth. 1: 21. nomen proprium ab appellativo illo formatum pluries occurrit in V. T. יהושע vel sexcenties in libro Josuæ, & brevius ישוע 2. Chron. 31: 15. Esr. 2: 2. 6. 40. 3: 2. quod proximè ad terminationem græcam Ἰησοῦς accedit, licèt & יהושע [nomen Josuæ filii Nun] redddatur per Ἰησοῦν à LXX. & Scriptoribus N. T. Act. 7: 45. Hebr. 4: 8. malè autem Patrum quidam nomen *Jesus* derivarunt à græco ἰάομαι *sano*; [allusione equidem non in eleganti: nam Jesus Liberator sanavit nos spiritualiter Es. 53: 5.] prodentes hac in re ut & in aliis linguæ hebraicæ ignorantiam ipsis communem. Judæi nomen id efferunt ישו, idque impiè: tribus enim literis initialibus designant tres voces ימח שמו וזכרו vel יש שקר ותועבה *deleatur nomen ejus & memoria ejus*, aut etiam voces *sit mendacium & abominatio*. Nazarenus autem vocatur Liberator noster à loco educationis Nazaretho Luc. 4: 16. urbe Galileæ, qua de vid. Eruditiss. Relandus *Palæst. &c. Part.* 3. ad eam vocem.

876. Jesus Nazarenus igitur verus ac unicus est Liberator (§. 874.) 875.). *Ideò est verus ac unicus Liberator.*

Sch. 1. Equidem jam in præced. (§. 861.) inquisivimus, ubinam talis deprehendatur Liberator, vel quisnam ille sit, interim hìc minimè repetitio committitur superflua: ibi namque ostendere voluimus characterem & requisitum, quô Liberator verus gaudere debuit, dum nempe debuit esse Filius Dei, ac & ostendere, quòd nemo hominum divinare potuisset, Filium Dei etiam voluisse esse Liberatorem, seu hancce in se suscipere provinciam; hic verò inquirere propositum fuit, apud quem reliqui characteres omnes deprehendantur, & præcipuè in quonam individuo hominis Liberator apparuerit, sub quonam nomine in Mundo extet, vel cuinam

cuinam naturæ humanæ aut homini se sociaverit natura Divina aut Deus, cùm non unus tantùm in Mundo pro Liberatore venditatus fuerit (sch. 4. §. 874.).

Sch. 2. Notandum autem, quòd, qui Jesum Nazarenum pro vero Liberatore personaque Divina non habeant, duplicis sint generis: vel enim revelationem Christianorum planè non admittunt, vel tantùm partem ejus, priores sunt Athei (prol. §. 9. & sch. ib.), ac Deistæ (prol. §. 20.); posteriores sunt Judæi, nonnisi V. T. è revelatione Christianorum admittentes; quòd si Athei convincendi sint, Jesum Naz. esse verum Liberatorem, priùs de veritatibus Theologiæ naturalis convincendi sunt (prol. §. 8.), deinde, ut & Deistæ, de Divinitate Revelationis Christianorum, quod utrumque factum supra, illud Locô I. hoc verò (§. 106—123.), quô modô etiam agendum esset cum homine gentili; Judæi verò è solis V. T. libris convincendi sunt: dum enim à Prophetis requisita Liberatoris designata sunt tàm externa (§. 873.), quàm interna (sch. 2. §. 874.), inde dispiciendum, num Jesus Naz. iis gaudeat, nec ne; quòd si iis gaudeat, omnino cum ratione Eum respuere non poterunt, tantò minùs, quòd juxta domûs Elianæ traditionem, cui non parùm deferunt, aliosque ipsorum calculos tempus adventûs Messiæ jam dudùm præterfluxerit, ut solidi, quod ad hoc regerant, nil habeant, vid. HOORNBECK *contra Judæos Lib.* 2. p. 180. seq. Cæterùm, quæ huc pertinent, in seq. hinc inde suô locô dicentur, ad præsentem materiam autem præprimis faciunt, lectuque digna sunt, quæ Vir Cl. & Eruditiss. G. OLEARIUS disserit in libro inscripto, **Jesus der wahre Messias**, ubi dubia & prætensa contra Servatorem nostrum scandala tàm Judæorum, quàm gentilium ac etiam Christianorum [atheorum scil. & Deistarum] solvit ac diluit, illorum quidem *Partis* secundæ *Cap.* 2. illorum *Cap.* 3. horum verò *Cap.* 4.

Est verus homo. 877. *Fuit Jesus Nazar. verus homo:* habuit namque animam rationalem Matth. 26: 38. Luc. 23: 46. præditam Intellectu finitô Luc. 2: 52. Marc. 13: 32. voluntateque tali Matth. 26: 39. prætereà etiam corpus

corpus humanum verum Heb. 10: 5. quod cibô potuque nutriri opùs habuit Marc. 11: 12. Joh. 19: 28. potuit crescere Luc. 2: 52. fatigari Joh. 4: 6. verberari Matth. 26: 67. Joh. 19: 1. clavisque configi Ps. 22: 17.

Ideò appellatur semen mulieris Gen. 3: 15. semen Abrahami, Isaaci 22: 18. 26: 4. Davidis 2. Sam. 7: 12. filius hujus ut & Abrahami Matth. 1: 1. Mariæ Luc. 2: 7. filius hominis Matth. 8: 20. homo 1. Tim. 2: 5. dicitur carnis sanguinisque particeps factus sicut infantes Heb. 2: 14. quæ omnia sat superque testantur, Jesum Nazar. verum fuisse hominem, ut vix id unquam in dubium vocari nedum negari potuisse videri jure possit; fuerunt tamen, qui hanc in absurdam concesserunt sententiam, Servatori verum corpus denegantes, nonnisi imaginarium Ipsi tribuentes, adeòque opinione aliorum saltem habuisse corpus statuentes, ideò *Docetæ* [ἀ δοκεῖν] item *Phantasiastæ* dicti; quem errorem jam Johannes Apostolus intendere creditur 1. Epist. 4: 3. etsi nomen Docetarum tùnc nondum in usu fuerit, tales fuêre Saturninus, Basilides, Valentinus, *Cerdoniani*, *Marcionitæ*, *Manichæi*, inducti ad hanc opinionem, quòd carnem à malo principio productam materiamque mali originem putarent. Nemo non videt autem, errorem illum admodum esse noxium, sine corpore vero namque Liberator Opus liberationis peragere non potuisset (§. 849. 850.). Fuerunt etiam, qui, etsi concederent, corpus verum à Liberatore assumtum esse, tamen negabant, animam ab eo assumtam, contendentes, naturam Divinam seu λόγον animæ vicem sustinuisse, quo nomine vapulat Apollinaris Laodicenus Sec. IV.

878. Naturam humanam quoniam accepit per nativitatem è Maria virgine illibata, sine Viri ope ab ea conceptus & ex ea natus, verùm Spiritûs S. virtute Matth. 1: 18. 20. Luc. 1: 34. 35. qui massam sanguineam virginis purificavit, & ad generationis locum delatum ita dispposuit, ut fœtus inde prodiret humanus, omnium ex- *Natus modô extraordinario.*

pers motuum perversorum, *Jesus Nazarenus minimè natus est juxta consuetum naturæ ordinem, ùt Liberator debebat* (§. 852.).

Sch. 1. Liberator itaque corpus suum non è cœlo attulit, genitum è Patris essentia vel verbo æterno, postea cum carne ac sanguine Mariæ conjungendum, ùt Anabaptistarum quidam volunt, vid. SEYLERI *Anab. larv. P. 2. Cap. 12. p. 365.* quam erroneam sententiam jam varii ex antiquis hæreticis tenebant, quibus ideò in symbolo Apostolico dicto oppositum fuisse illud ἐκ Μαρίας probandum sibi sumit Auctor *histor. Symb. Apost. cum observ. &c.* Cap. 3. §. 42. ad indigitandum, carnem Liberatoris ex ipsa Mariæ substantia fuisse formatam, adeòque natam esse Jesum non solùm διὰ Μαρίας, id est, non solùm per Mariam transiisse, uti aqua transit per canalem, ùt volebant errones illi. Labes autem, quæ corpori humano post lapsum adhæret, ab eo licèt juxta naturæ cursum inseparabilis sit (§. 810.), tamen extraordinariâ Dei operatione, quæ in Servatoris conceptione ac nativitate se prodidit, omnino separabilis, ut naturâ Divinâ indignum non sit cum tali se unire natura humana; corpus etiam Liberatoris nisi ex ipsa Mariæ substantia fuisset formatum, non posset ille dici semen mulieris, filius Abrahami, Davidis &c. substitutio vicaria quoque postulabat, ut ex ipsis proveniret hominibus Liberator, quod non esset, si carnem suam aliunde habuisset. Ob modò dicta nec Socin. sententia admitti potest, qui volunt, Deum Patrem aliam substantiam cum Mariæ carne conjungendam sive in uterum ipsius demisisse, sive in eo creasse, inde ut possint rationem reddere, cur Jesus audiat Filius Dei, cùm tamen appellationis hujus ratio præcipua non sit miranda hæc in tempore nativitas, verùm generatio ab æterno (sch. 1. §. 370.), non præcipua inquam ratio est nativitas illa: nam etiam una est è rationibus, ob quas vocatur Filius Dei Luc. 1: 35. verùm secundaria: cùm sequatur illam, quæ desumta à generatione Divina, quoniam Jesus eâpropter ita modô mirandô nasci debuit, quià naturæ hôc modô nascendæ se sociare voluit Divina, seu is, qui Filius Dei per generationem æternam. Rectè quoque non sentiunt ii quoad assumtionem corporis à Liberatore factam

tam, qui duplicem Ipsi tribuunt carnem cœlestem, quam ante secula jam assumserit, & terrestrem, quam è Maria demum assumserit: sine ratione namque hæc ita sumuntur, vid. Buddeus *Theol. dogm. p.* 786. 787. 882. Pessimè verò de conceptione ac nativitate Liberatoris sentiebant, qui eam factam statuebant modò ordinariò, ita ut Jesus è semine Viri Josephi genitus sit, quod volebant antiqui hæretici Cerinthus, Ebion, Carpocrates, quibus ideò in symbolo Apost. opposita esse verba, conceptum *ex* vel *a Spiritu S.* item natum *ex virgine*, ad indigitandum, conceptionem nativitatemque Liberatoris extraordinariam, hinc planè sanctam, immaculatam fuisse, vult Auctor *Histor. symb. Apost. &c. Cap.* 3. §. 38 —— 40.

Sch. 2. Natus est Jesus Nazarenus eô tempore, locô modô, genere seu prosapiâ, uti hæc omnia Prophetæ prædixerant: debuit namque juxta eos advenire vergente ad interitum Republicâ Judaicâ, Sceptrô Judæis ademptô Gen. 49: 10. locum hunc ipsi quippe Paraphrastæ Chaldæi de Messia explicant ut & antiquissimi Judæorum commentatores, vid. Hoornb. *cont. Jud. Lib.* 2. *p.* 128. jam verò eô tempore, quô Jesus Naz. nascebatur, Respublica Judæorum omnino ad interitum vergebat, sceptrumque manibus ipsorum erat excussum; debuit nasci intra 70. hebdomades, id est 490. annos Dan. 9: 24. seq. computandos, inde à quo vaticinium prolatum, vel non longè post, intra hoc tempus autem Jesus Naz. & natus & passus est; quæ autem quoad hasce Danielis hebdomades inter Viros Doctos disputantur, ingredi hujus loci non est, vid. præter multos alios Prideaux *hist. des Juifs to.* 2. *p.* 14. seq. debuit advenire ad Templum secundum Haag. 2: 8. 10. quod itidem quadrat in Jesum Naz., locus nativitatis prædictus erat Bethlehem Mich. 5: 1. quod etiam non ignorabant Judæi tempore Christi Matth. 2: 5. 6. jam verò ibi natus est Jesus Naz. Luc. 2: 4. 6. debuit juxta Prophetam nasci è virgine Es. 7: 14. עלמה namque virginem denotat, vid. Gen. 24: 43. Ex. 2: 8. Cant. 1: 3. 6: 7. etiam Prov. 3: 18. tali namque Vir insidiatur, & adultera v. seq. ut huic contra distincta sumi benè potest; etymologia quoque confirmat עלמה virginem notare: עלם quippe *abscon-*

dere significat, in Oriente autem moris erat, eas absconditas tenere 2. Mach. 3: 19. quòd verò de nativitate Messiæ loquatur hicce locus, patet, tùm quià nascendus dicitur עמנואל, augustius nomen, quàm ut alii præter Messiam rectè conveniat, tùm quià de filio Regis sumi nequit: quià nec de nato nec de nascendo; non de illo, quià demum nasci promittitur, non de hoc, quià tùm non ex virgine sed fœmina Regis natus fuisset, unde nec de Filio Prophetæ nascendo sumi potest; non etiam opùs fuit ad signum liberationis & solatium Regi Achazo, ut signum id mox fieret, sed sufficiebat promissio, hæc debebat esse signum; cæterùm quæ plura quoad hunc locum à Judæis objiciuntur, diluit HOORNBECK *contra Jud. Lib. 3. Cap. 1. p. 222. seq.* & quoad modò adducta vaticinia prolixè *Lib. 2.* tot.

Sch. 3. Ad prosapiam seu genus Jesu Nazareni quod attinet, fuit Is oriundus è semine Abrahami, tribu Judæ, stirpe Davidis: nam appellatur filius Abrahami Matth. 1: 1. & LUCAS 3: 34. genus Ejus ad Abrahamum refert, ac deinde ulterius; appellatur quoque filius Davidis Matth. 1: 1. dicitur esse è semine Ipsius Rom. 1: 3. 2. Tim. 2: 8. quod erat res pervulgata tempore Christi Matth. 9: 27. 15: 22. 21: 9. ut, licèt hostes Ipsius ob hanc appellationem indignati sint v. 15. tamen controversiam movisse eamque injustam pronunciasse non legantur, argumento sanè, quòd iis temporibus, ubi genealogia posterorum Davidis adhùc asservata habebatur, Servatoris nostri origo è familia Davidis liquidò constiterit, ùt observat OLEARIUS in libro Jesus der wahre Messias P. 2. C. 2, p. 189. 190. etiam Judæi temporibus Apostolorum & seculis proximè insequentibus, genealogiam Christi ab Evangelistis exhibitam non ita fugillasse ac culpasse deprehenduntur uti posteriores: objiciunt scil. non solùm, MATTHÆO cum LUCA non convenire, verùm etiam Jesum Naz. genus suum ad Davidem referre non posse: siquidem juxta Christianos non fuerit filius Josephi proprius, verùm Mariæ, jam verò ab Evangelistis Josephi equidem genus ad Davidem referri, non autem Mariæ: siquidem uterque nonnisi genealogiam Josephi recenseat; at verò respondetur, LUCAM omnino pertexere Mariæ genealogiam, Eli enim

enim ille Luc. 3:23. erat Pater naturalis Mariæ non Josephi, quod etiam Evangelista sibi vult: versus enim ille ita vertendus & sine coactione verti potest, *Jesus circiter annos habebat 30., ubi munus suum auspicabatur, erat [licèt vulgò reputaretur filius Josephi] reipsâ filius Eli*, nempe per Mariam matrem filiam Eli; quòd verò Evangelista Mariam omitteret, factum ab eo pro more Hebræorum, mulieres in genealogiis non recensentium, è contrà Viros locô eorum, qui tum filii legales erant, tacemus alia; quod ad prius attinet, nempe Mathæo nec cum Luca in genealogia Christi convenire nec etiam cum libris V. T., tum ex ante dictis quodammodo solvitur, dum Matthæus posteritatem Davidis per Salomonem, Lucas autem per Nathanem recenset; deinde Mathæo constitutum est non tam filios naturales quàm legales, seu hæredes & successores in Regno, recensere, quos filios nominat, dum ab antecessoribus generatos dicit; porro constitutum ipsi erat præcipuè regnum Servatoris adstruere, unde incipit ab Abrahamo, cui promissio prima facta de Regibus ab eo oriundis Gen. 17:6. & alia multa eò pertinentia recenset, uti adorationem Magorum &c. tandem apud hebræos non ratum erat, ut una persona pluribus gauderet nominibus, eaque immutaret, quæ omnia Judæis, in quorum præcipuè gratiam Mathæus Evangelium suum scribebat, sat cognita erant, hinc difficultates non creabant cùm è contra creassent gentilibus, in quorum gratiam Lucas scribebat, inde Lucas aliter paulò genealogiam recenset; cæterùm difficultatibus hisce enodandis egregiam navavit operam Surenhusius in βίβλω καταλλαγης, vid. etiam Olearius, ubi suprà p. 186--207. Jesus Nazarenus itaque ex ea stirpe oriundus fuit, è qua oracula V. T. Messiam oriri voluerunt Gen. 22:18. Num. 24:17. Deut. 18:15. Es. 11:1. Jer. 23:5. 33:15. Ex iis ergo, quæ tùm hic, tùm (sch. 2.) dicta sunt, patet, Jesum Nazarenum gaudere etiam requisitis veri Liberatoris externis (§. 873.), adeòque & hinc contra Judæos evinci, Ipsum esse verum, promissum Liberatorem (§. 874.), seu Messiam.

Sch. 4. De humana Servatoris natura porro addendum, quòd omnis labis ac peccati prorsus fuerit expers, quâpropter etiam τὸ ἅγιον dicitur Luc. 1:35. unde pec-

catô originali prorsus erat exemtus, quippe minimè natus eô modô, quô peccaminositas propagatur (§. 810.), verùm extraordinariâ Sp. S. operatione; quòd omnis peccati actualis quoque expers fuerit, mox deinde videbimus. Quoad dotes, quibus corpus præcellebat, potissimum commemorari debet, quòd morbis mortique non fuerit obnoxium: hæc namque è peccato originem trahunt (§. 786. 834. 835.), & locum non habent, ubi sanctitas perfecta ac innocentia (§. 715.); ad formam corporis Ipsius quod attinet, sunt, qui illi tribuunt formam minùs præstantem, vel planè deformitatem, quò trahunt illud Es. 53: 2. 3. quod verò potiùs de humili Ejus conditione intelligendum; alii formam præstantissimam; alii mediam ingrediuntur viam; & quamvis certi nihil hac de re affirmari possit; tamen præferenda eorum sententia, qui formam satis præstantem Servatori tribuunt: talis namque conveniebat menti præstantissimis ornatæ dotibus, & magis adhuc sociatæ naturæ Divinæ; nec id ullô modô repugnat muneri, quod in terra obiit, humilique conditioni splendore destitutæ: munus enim alios docendi, pro iis patiendi, per formæ præstantiam aliquâ ratione fuisse impeditum nemo dixerit, uti & humilem conditionem æque cum ea consistere clarum est.

Fuit homo sanctus.

879. *Fuit Jesus Nazarenus etiam homo sanctus, seu gaudebat perfectione voluntatis* (§. 685.): quippe omnes Ejus actiones tendebant nonnisi ad Deum glorificandum, hominumque salutem promovendam Joh. 17: 4. 6. 1. Tim. 1: 15. adeòque inter se consentiebant, in quo perfectio consistit (*Met.* §. 152.), & habebat pro motivis repræsentationem optimi, quæ constituit perfectionem voluntatis (ib. §. 907.); legem Dei totam exactissimè servavit, ut nemo ipsum, nequidem ex osoribus ejus, ullius posset arguere peccati Joh. 8 46. etsi tentatus fuerit Matth. 4: 6. 9. tamen à peccato immunem se præservavit v. 7. 10. Heb. 4: 15.

Purus

Purus adeò fuit ab omni vel leviſſimo peccato actuali, uti & ab originali (§. 878. & ſch. 4. ib.), ideò vocatur ἅγιος καὶ δίκαιος Act. 3: 14. ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν Heb. 7: 26. nulla facultatibus Ipſius nec inferioribus nec ſuperioribus ἀταξία adhærebat; Intellectus verum ac bonum ſibi ut tale repræſentabat: voluntas amabat, imaginatio, memoria, affectus nunquam in transverſum tendebant; ut natura Servatoris humana eò ſe habuerit modò, quò homo in ſtatu innocentiæ (§. 681. 684. ſeq.), excepto, quòd in bono non fuerit mutabilis ob arctam cum Divina natura unionem, [qua de mox] & quià dona ſpiritualia largiter in illam fuère effuſa Pſ. 45: 8. inde etiam non poterat non tranquillâ ſemper conſcientiâ frui & ſuaviſſimô animi gaudiô (§. 693.), exceptô, quando irâ Dei ſeu veris peccati pœnis vicariis affligebatur, quo de infra.

880. *Non ſolùm verò Jeſus Nazarenus verus ſanctusque fuit homo* (§. 877. 879.), *ſed quoque verus Deus:* etenim qui in carne manifeſtatus, dicitur fuiſſe Deus 1. Tim. 3: 16. qui dicitur è Patribus fuiſſe ſecundum carnem, dicitur etiam fuiſſe Deus benedictus Rom. 9: 5. de quo perhibetur, quòd è muliere fuerit natus, perhibetur idem quoque Filius Dei Gal. 4: 4. & dicitur Deus omnia creans, qui caro factus ſit, Joh. 1: 1. 3. 14. porro etiam ut homo in terris verſans fuit omnipotens: etenim potuit miracula propriâ patrare virtute, ſiquidem vim ea patrandi etiam diſcipulis communicavit Marc. 16: 17. 18. & Ipſe dicitur mortuos poſſe vivificare, quoſcunque velit Joh. 5: 21. quod miraculum quàm maximè eſſe nemo negaverit, jam verò miracula ita edere non convenit niſi enti omnipotenti, Deo (*Met.* §. 640.). *Etiam verus Deus.*

* Repetenda, quæ ſupra (§. 340 —— 350.) pro Divinitate Chriſti adſtruenda dicta.

Et tamen unus idemque non duo.

881. *Fuit interim Jesus Nazar., etsi verus homo verusque Deus, tamen nonnisi unus idemque numerô, neutiquàm duo aut diversi:* Scriptura namque de Ipso eodem mox ùt homine loquitur Joh. 1: 14. mox ùt Deo v. 1. 3. Rom. 9: 5. Gal. 4: 4. & per quen Deus ad nos locutus fuisse dicitur in natura humana Heb. 1: 1. per eundem illum Mundus factus v. 2. omniaque portare dicitur verbô potentiæ suæ v. 3. quod idem est, ac si Deus diceretur; & qui sanguinem suum fudit, adeòque homo fuit, simùl Deus dicitur Act. 20: 28. prætereà totidem verbis Scriptura Eum nonnisi unum & unicum prædicat 1. Cor. 8: 6. 1. Tim. 2: 5.

Scriptura testatur apertè, Jesum Nazar. fuisse verum hominem (§. 877.), & verum Deum (§. 880.), attamen de Eo nonnisi ut uno loquitur, & in singulari numero, nunquàm in plurali, dum dicitur Ἰησοῦς, Ἰησοῦς Χριστὸς, Κύριος, τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ &c. fexcentis in N. T. locis, ergò inde manifestissimè indicat, quòd fuerit unus idemque numerô, qui homo fuerit ac Deus; hùc facit quoque locus Rom. 1: 3. 4. ubi idem ille oriundus juxta carnem à semine Davidis dicitur fuisse declaratus Filius Dei.

Mansit utrumque.

882. *Jesus Nazar. mansit etiam verus homo verusque Deus:* cùm enim fuerit verus Deus (§. 880.), id non potuit non manere, natura namque Divina non desinit esse, quod est (§. 218--220.), estque immutabilis (§. 323.), adeòque mansit, etsi homo factus, dum verò id simùl factus (§. 877. 881.), etiam manere debuit, saltem tantisper, ut fieri possent de Ipso, quæ facta sunt (§. 877. 880. 881.), & prædicari, quæ de Illo prædicantur (ib.).

Dum dicimus, Jesum debuisse manere hominem *saltem tantisper*,

tantisper, minimè volumus, quòd talis desierit esse, absit: contrarium enim in seq. studiosè inculcabimus, hìc locì verò plùs dicere non potuimus, idque tantùm concessum sufficiens fuit ad præsentem scopum.

883. *Natura itaque utraque suas proprietates operationesque retinuit distinctas, neutra cum altera confusa vel in alteram transmutata fuit*: vel ponatur, naturam humanam in Divinam transmutatam aut cum hac confusam fuisse, tùnc non potuit agere & pati, quæ hominis sunt, non potuit esurie, sitire, edere, verberari &c. contra (§. 877.); porro inde sequeretur, essentiæ humanitatis aliquid aliud ad essentiam ejus non pertinens communicatum fuisse, quod verò repugnat (*Met.* § 43.); multò minùs dici potest, quòd natura Divina cum humana confusa aut in eam transmutata fuerit: repugnat enim id immutabilitati illius (§. 323.).

Ut neutra natura cum altera confusa vel in eam transmutata sit.

Eutychi à Veteribus error iste tribuitur, quòd docuerit, naturas in Servatore secum invicem fuisse confusas, vel unam in alteram conversam, cui errori Concilium Chalcedonense obviam ivit, declarando, unionem duarum naturarum illarum factam esse ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως; prolapsus autem est Eutyches, qui fuit Abbas Constantinopolitanus, in huncce errorem studiò evitandi & resistendi alteri opposito Nestorii, [de quo etiam dein] mediò ferè Seculò V. quàmvis sint, qui ipsum defendant, de quo quicquid sit, saltem unam tantùm post unionem in Servatore naturam esse dixit, sive nec naturam pro persona sumserit, nec ne? De iis autem, quæ cum Eutyche gesta, familiis Eutychianismi, propagatione, consulendi, qui res Ecclesiasticas exponunt, præcipua in compendio ac judicioscè tradit Rev. Moshemius *hist. Christ. antiq.* p. 408. seq. cæterùm patet, errorem Euttchi tributum maximoperè noxium esse: quòd si enim una natura cum altera confusa vel in eam conversa fuit,

tùnc Liberator aut non potuit pati, aut passio Ejus non fuit sufficiens, adeòque Opus liberationis peragi non potuit (§. 849. 858.).

Utraque tamen unam constituebat personam.

884. Quum Jesus Naz. fuerit verus Deus verusque homo simùl (§. 877. 880.), & tamen nonnisi unicus numerô (§. 881.), utrumque etiam manserit (§. 882.), patet, *naturam Divinam cum humana unam tantùm numerô vel unicam constituisse personam:* ubi enim duæ naturæ, & tamen nonnisi unicus, ibi duæ naturæ separatim non existunt [nempe à quo natura humana per nativitatem (§. 878.) existere incepit], verùm conjunctim, & arctissimè unitæ, quæ naturæ cùm sint intelligentes (§. 343. 877.), unam faciunt personam (§. 360.).

Ni enim duæ naturæ nonnisi unicam constituissent personam, ille, qui apertè in Scriptura dicitur ac fuit homo (877. 878.), nec minùs apertè dicitur ac est verus Deus (§. 880.), neutiquàm posset dici unus tantùm, & deprædicari ut unicus, quod tamen clarissimè facit Scriptura (§. 881.). Negotium nullum facessere debet, quòd natura humana separatim considerata, cùm sit suppositum intelligens, ideò etiam sit persona, adeôque duæ fuerint personæ, quæ verò unam solùm constituere personam nequeant, nisi conversio vel transmutatio admittatur, contra (§. 883.): personæ enim subsistentia [sunt verba Celeb. Theologi Bürmanni *Syn. Theol. Lib.* 5. *C.* 8. §. 13.] »non aliquid »positivum dicit, aut quidquam substantiæ superad»dit: cùm omni substantiæ per sese existenti necessa»riò conveniat, sed illum substantiæ modum indicat, »quô illa actu per se completa &c., nec ad alterius »rei compositionem vel constitutionem ordinatur: »accedente enim tali ordinatione, vel Divinâ vel »humanâ, persona esse desinit, quæ ordinatio ipsi »etiam personæ accidere potest; humanitas ergo (ita idem §. 16.) »revera persona fuisset, si sola sub»stitisset, nunc autem cùm à primo ortu ad naturam »Divinam ordinata fuerit, in λόγῳ subsistit, & cum illo

„ illo unum ſuppoſitum conſtituit; & hinc „ male „ —— inferunt (idem §. 17.) perſonam humanam à „ λόγῳ aſſumptibilem non fuiſſe, cùm illa jam propriam „ perſonalitatem habeat: quid enim illa perſonalitas „ aliud dicit, quàm quòd illa ad aliam perſonam hacte- „ nus ordinata non erat, utcumque eò ordinari poſſet? „ quam tamen ordinationem per Divinitatis aſſumtio- „ nem acquiſiviſſet, & ſic perſona eſſe deſiiſſet, quod „ nulla ex parte pugnat.

885. Cùm duæ naturæ unam conſtituerint perſonam (§. 884.), & neutra ſeparatim ab altera [inde à nativitate] extiterit, verùm unitæ (ib.), patet, *neutram etiam ſeparatim ab altera egiſſe, quæ egit, ſed conjunctim & in unione cum altera.* *Utraque, quæ egit, in unione cum altera egit.*

Adeòque nec humanam naturam ſeparatim à Divina paſſam eſſe, verùm in unione cum hac, licèt hæc ipſa omnino paſſa non fuerit.

886. Illud, quòd duæ Liberatoris naturæ unam tantùm conſtituerint perſonam (§. 884.), & utraque, quæ egit, non ſeparatim ab altera, verùm in unione cum ea egerit (§. 885.), dicitur *unio perſonalis* vel *hypoſtatica.* *Unde unio perſonalis.*

Sch. 1. Inter eos, qui unionem naturarum in Servatore non ſatis arctam tenebant, verùm eas divellebant, ex Veteribus malè audit Nestorius, Antiſtes Conſtantinopolitanus Seculo V., controverſia cum eo agitata hâc originem ſumſit occaſione, quòd Mariam nollet dicere Θεοτόκον, addens aliquando, bimeſtrem vel trimeſtrem Deum dici non debere; unionem Divinæ naturæ cum humana perhibetur tenuiſſe nonniſi pro ἐνοικήσει Illius in hac, uti & Deus olim in templo habitaverit, item in Prophetis, hinc non recte poſſe dici, λόγον & Deum eſſe paſſum, cui errori Concilium Chalcedonenſe ut illi Eutychis (ſch. §. 883.) obſtruxit, declarando, duas naturas Servatoris unitas fuiſſe ἀδιαιρέτως & ἀχωρίστως; fuerunt etiam, qui Nestorium credebant ſanô ſenſu ſua dixiſſe, quæ & ſanô ſenſu accipi poſſunt,

possint, imò CYRILLUM, qui eum oppugnavit, magis esse heterodoxum, vid. BUDDEUS *Theol. dogm. p.* 887. 888. quicquid sit, saltem sententiam, quæ NESTORIO tribuitur, ac *Nestorianismus* audit, admitti non posse in aperto est: ita namque passiones humanæ naturæ non ejus fuissent valoris, qui sufficisset multis liberandis, quod tamen necesse erat (§. 858.), adeòque liberationis Opus sibi non constitisset.

Sch. 2. Ex unione hac personali redundarunt in humanam naturam dona præstantissima, non quidem talia, quæ sunt proprietates naturæ Divinæ (§. 883.), sed talia, quorum natura humana ut subjectum recipiens capax fuit, adeòque pro receptivitate sua (§. 616.) admisit; redundarunt autem dona hæc ex natura Divina in humanam influxu non necessariò: aliâs enim λόγος hac in re non egisset voluntariò, sed gratiosè natura Divina humanæ talia contulit, ut tantò magis deceret se cum hac unire, in ea ut templo habitare, & ut humana apta esset ad munus Mediatorium peragendum. Dona hæc ideò *spiritualia* esse debuerunt: hinc uncta dicitur oleò lætitiæ super omnes consortes Ps. 45: 8. Spiritus Jehovæ super eam quieturus dicitur Es. 11: 2. & Deus ei Spiritum sine mensura dare prædicatur Joh. 3: 34. Dona hæc ergo fuêre talia, quæ animam Christi perficiebant, adeoque perfectiones Intellectûs voluntatisque eximiæ, licèt nec dona corporis excludi debeant, ad quæ pertinet præter jam dicta (sch. 4. §. 878.) vis vel potentia singularia planè efficiendi; de perfectionibus voluntatis dictum (§. 879. & sch. ib.); perfectiones, quibus Intellectus ornabatur, erant lux cognitionis, nempe rerum Divinarum, vivæ, efficacis, Sapientia, prudentia; cognitionis singularis specimen insigne jam præmaturâ ætate edidit Luc. 2: 47. omnia hæc dona simul commemorat Vates Es. 11: 2.

In ea natura Divina activè se habuit, humana autem passivè.

887. *In unione duarum naturarum in Christo, seu ubi eæ unitæ fuerunt, natura Divina habuit se activè, humana autem passivè:* etenim humanæ naturæ ùt creaturæ vim transcendit, ut se unire possit cum natura Divina, cum nequidem

dem anima humana unire se possit cum corpore, quo velit, natura igitur humana unita fuit à Divina secum, adeòque passivè se habuit, unde eò ipsò patet, Divinam se activè habuisse, quod etiam ex eo manifestum est, quià natura Divina ob independentiam suam (§. 224. 278.) passivè se habere planè nequit.

Ac adeò natura Divina assumsit humanam, & hæc à Divina assumta est, non necessariò: namque natura humana ordinata fuit ad constituendam cum Divina unam personam, non per essentiam suam, [nemo id dixerit] licèt ab æterno à Deo ad hoc fuerit ordinata (§. 394. 410. 454.); multò minùs Divina necessariò ad humanam ordinata fuit: contrariaretur quippe id independentiæ Ipsius (§. 278.); etiam hôc pactô sponsio Filii Dei non esset voluntaria, contra (§. 862.). Assumtio hæc naturæ humanæ à Divina dicitur *incarnatio* ex Joh. 1: 14. 1. Tim. 3: 16.

888. *Naturæ sibi invicem propriè ac realiter communicari non potuêre, nec etiam attributa & operationes unius naturæ alteri:* quòd si enim una natura alteri propriè seu verè ac realiter communicata esset, idem fuisset, ac si essentia una alteri esset communicata: quælibet namque natura suam habet essentiam, uti Divina (§. 321.), sic & humana (*Met.* §. 611. 755.), & ab essentia natura est inseparabilis, quià natura hîc dicit ens ipsum certà essentiâ & naturâ præditum (§. 877. 885.), & quodlibet ens naturam habet, proùt per essentiam ejus determinatur (*Met.* §. 628.); quòd si ergò naturæ Liberatoris secum invicem communicari debuissent propriè ac realiter, etiam essentiæ ita secum communicari debuissent, at hoc impossibile est (*Met.* §. 43.), ut ne quidem per omnipotentiam Dei fieri possit (§. 294.); idem de

Naturæ sibi invicem propriè non fuêre communicatæ.

attri-

attributis valet : in essentia namque suam habent rationem (*Met.* §. 44.); nec minùs de operationibus : ex essentia quippe hæ itidem sequuntur, cùm ea rationem in se contineat omnium, quæ enti conveniunt (ib. §. 33.).

Intelligitur id etiam è dictis (§. 883.), & qui contrarium statueret, faveret errori, qui EUTYCHI tribuitur (sch. ib.), seu *Eutychianismo*.

Unio hypostatica quomodo concipienda.

889. Quandoquidem in unione duarum naturarum Divina activè se habuit (§. 887.), adeòque Filius Dei assumsit naturam humanam, porro natura utraque suas proprietates retinuit distinctas (§. 883.), neutra cum altera confusa aut in alteram transmutata fuit (ib.), etiam naturæ propriè sibi invicem communicatæ non fuere (§. 888.), ut nec attributa & operationes (ib.), tandem quià utraque natura, quæ egit, conjunctim & in unione cum altera egit (§. 885.), & hinc tantundem fuit, ac si, quæ humana natura egit, & passa est, ipsa egisset passaque esset natura Divina, patet, *unionem hypostaticam ita factam esse, quòd Filius Dei voluerit, ut corpus è sanguine Mariæ formatum* (§. 878.) *& sociata cum eo anima* (§. 877.) *suum esset corpus suaque anima, adeò ut, quæ illa agerent & paterentur, sibi tribui vellet, ac tantundem esset, ac si Ipse ea egisset passusque esset.*

Sch. 1. Hisce verbis unionem duarum in Servatore naturarum explicat Cl. GÜRTLERUS *inst. Theol. Cap.* 28. §. 48. à quibus non multum abludunt, quæ hac de materia scribit BÜRMANNUS *syn. Theol. Lib.* 5. *Cap.* 8. §. 14. & 15. ubi ita, „ communicantur autem duæ „ substantiæ, atque coalescunt in unam personam, ubi „ ita conjunguntur, ut actiones & passiones utriusque „ toti composito communi nomine appellato attri- „ buantur. per quod nihil quidem positivi illis substan- „ tiis

»tiis superadditur, sed tantùm relatio atque inde deno»minatio aliqua, per ordinationem seu Divinam seu »humanam; atque ita in hoc mysterio *unio personalis* »nihil aliud est, quàm quòd persona secunda Trinita»tis, cùm anteà non esset conjuncta cum alia natura ad »constituendum unum suppositum, nunc per ordinatio»nem propriam ita cum illa conjungatur, ut utriusque »actiones & alterius passiones toti composito, communi »nomine appellato, attribuantur.

Sch. 2. Ita ergo Ratio planè non habet, quò offendatur dogmate unionis hypostaticæ & incarnationis Filii Dei: dum non solum contradictorii nil involvere videt, verùm adhuc possibilitatem ejus quodammodo perspicit, interim cùm planè nil ejus nosceret, nisi revelatio docuisset, ac etiam revelatione factâ non planè seu adæquatè assequatur, dogma id mysterium est semperque manet (§. 117.); 1. Tim. 3: 16. patet verò unionem hanc quàm maximè differre ab ea, quâ Prophetæ, qui à Deo erant afflati, & quibuscum Deus familiariter agebat, cum Eo fuerunt uniti: unio enim Prophetarum non erat nisi eò tempore, quò à Deo afflabantur, ut non locum habuerit inde à nativitate ipsorum, per vitam ipsorum continuò interrupta, morte denique prorsus dissoluta: tunc enim naturæ humanæ pars una essentialis, scil. corpus, intercidit, quæ omnia in unione hypostatica aliter se habuerunt; Prophetæ minimè ita arctè cum Deo uniti erant, ut natura Christi humana cum λογω: non enim Deus cum iis volebat unam constituere personam, non talibus superfusi fuerunt donis, ut humana Christi natura: dum, ut alia taceam, à peccato non fuêre præservati; etsi ea, quæ nomine Dei egerunt, possent dici haberi debuisse, ac si Deus ipse illa egisset, tamen Divina Christi natura ea, quæ humana egit, longè arctiori & sublimiori sensu ac vinculò sibi appropriavit, ut taceam, Prophetas minimam partem eorum omnium, quæ egerunt per totam vitam, Dei nomine egisse; multò minùs de passionibus ipsorum dici potest, quòd Deus eas haberi voluerit, ac si Ipse passus esset: quippe etiam non eò fine susceptis, ut per illas justitiæ Divinæ satisfieret pro aliis. Dicitur autem unio Dei cum Prophetis *paraſtatica*, quià Deus iis assistebat.

Sch. 3. Per assumtionem naturæ humanæ Divina minimè

fuit

fuit perfectior reddita: cùm jam in se sit perfectissima (§. 331--333.); nec etiam honorata: ob eandem Divinæ naturæ summam perfectionem; è contrà humana fuit perfectior reddita: ob dona communicata (sch. 2. §. 886.); & honorata, Ps. 8: 5. uti & Mariæ maximus per hoc honos obtigit, quòd concepisset ac in lucem edidisset eum, cum quo natura Divina vel Filius Dei ita arctè se uniebat; ut hinc quoque Θεοτόκος possit dici: licet enim non genuerit Deum, tamen genuit eum, quocum Deus personaliter se univit; etiam ideò potest appellari *beata Virgo*, in quem sensum Elisabetha eam præ mulieribus benedictam deprædicavit Luc. 1: 42. Honor verò illi non alius deferendus, nisi felicitatem bonaque, quibus cumulata à Deo, agnoscendo, honorificè de ea loquendo, conf. (sch. §. 555.), minimè autem Cultus religiosus, & ut invocetur (§. 555.), uti id magnô studiô fit ab Ecclesiæ Rom. addictis, qui, Jesu Salvatore Filiô Mariæ ferè posthabitô, nonnisi ad Matrem Ejus se convertunt, eam Reginam Cœli, fontem gratiæ, dispensatricem omnium bonorum &c. salutantes, & festos instituentes dies &c. quo de cultu, & quòd praxi Vet. Ecclesiæ repugnet, prolixè Gallus Reform. rerum Ecclesiast. peritissimus J. DALLÆUS *adversus Latinorum traditionem de Religiosi Cultûs objecto Lib.* III. *Cap.* 4. 6. 7. 11--20. quòd verò ab angelo salutetur κεχαριτωμένη, inde neutiquam argumentum arcessi potest, gratiam ab illa esse petendam; imò potiùs contrarium inde sequitur: κεχαριτωμένη namque significat, cui *gratia facta est*, non verò, quæ gratiam facere potest.

Quid sit concretum personæ & propositio personalis.

890. *Concretum naturæ* dicitur vox, quæ denotat suppositum à natura, quæ per se ei convenit, denominatum, uti [in præsenti materia] Deus, homo; propositiones jam, in quibus concretum tale de altero affirmatur, uti quando dicitur, Deus est homo, homo est dicuntur *propositiones personales.*

Quid propositio sit, è Logicis satis constat (*Log. C.* 3. §. 3.); hæ, de quibus loquimur, propositiones dicuntur *personales*, quoniam fundantur in unione personali

sonali (§. 886.). Sunt & aliæ propositiones, quæ itidem unionem personalem præsupponunt aut indigitant, & in quibus subjectum est *concretum personæ* [tale dicitur vox denotans utramque Liberatoris naturam inter se unitam, uti sunt Christus, Jesus, Emmanuel] prædicatum autem concretum alterutrius naturæ, v. g. quando dicitur, Christus est Deus, Jesus est homo, quæ tamen propositionibus personalibus stricte dictis non accensentur, quia nempe jam subjectum in iis præsupponit indicatque unionem personalem, adeoque hæc indicatur sine prædicato & tota propositione, è contrà in propositionibus memoratis (§. 890.) ad eam indicandam subjecto & prædicato, ac ita ipsâ propositione opus sit.

Propositiones hæ propriè intelligi non possunt.

891. *Propositiones personales propriè intelligi non possunt:* quòd si enim propriè intelligi deberet, Deum esse hominem, hominem esse Deum, oporteret, aut naturam Divinam in humanam, aut humanam in Divinam transmutatam conversamque, aut etiam alterutram naturam alteri communicatam esse, quorum verò nullum fieri potest (§. 883. 888.).

Sch. 1. Etiam principio hæcceitatis [vi cujus unumquodque est id, quod est, per princ. Ontol.] adversaretur, talem propositionem propriè intelligere: quòd si enim Deus est Deus, eò ipsò non est homo, & si homo dicitur ens aliquod, eò ipsò negatur, quòd sit aliud quid, nempe quâ tale & secundùm hanc naturam solam spectatam; ut si aliud quid simùl dici debeat, id dum demum locum habere possit, ubi alii naturæ suppositoque se univerit ad constituendum unum cum ea suppositum (sch. §. 884.) vel personam, adeòque vi unionis personalis; prout ergò unio hæcce se habet, & prout permittit, ita propositiones illæ intelligi debent: nituntur enim eâ (sch. §. 890.), jam verò unio hæc neutiquàm infert, quòd ille, qui Deus sit, simùl quâ Deus sit homo, & vice versâ (§. 886. 889.), verùm quòd naturam humanam assumserit (sch. §. 887.), & quòd hæc Divinæ in unitate personæ unita fuerit; ut, quando Deus dicitur homo esse, & homo

Deus, id intelligendum sit, quâtenus hic humanam naturam sibi sociavit & hæc Divinæ naturæ sociata fuit.

Sch. 2. Quilibet itaque sponte admittet, propositiones personales propriè intelligi non posse, dummodo dicta perpendat, & norit, quid sit τὸ *propriè intelligere* aliquid; aliter autem pronuntiandum de iis propositionibus, in quibus de concreto personæ concretum alterutrius prædicatur naturæ (sch. §. 890.), hæ propriè intelligi possunt: prædicatum namque verè ac propriè competit subjecto, propriè quippe Christus est homo (§. 887.), propriè est Deus (§. 880.): in concreto personæ enim concretum naturæ jam continetur, quod autem in altero continetur, id de eo propriè prædicari potest, interim tamen semper secundùm eam naturam, quæ id admittit.

Quid sit idioma & idiomatum communicatio.

892. *Idioma* Theologis dicitur omne id, quod alterutri naturæ Liberatoris per se convenit, nec tamen primum ejus ingreditur conceptum, adeòque idem est, quod proprietas & attributum (*Met.* §. 44.); *idiomatum communicatio est* ac dicitur, ubi de concreto naturæ Divinæ prædicatur proprietas naturæ humanæ, & viciſſim de naturæ humanæ concreto proprietas naturæ Divinæ, uti cùm dicitur, Filius Dei natus est, Filius hominis est omniscius.

Ita notionem idiomatis tradit BUDDEUS *Theol. dogm.* p. 802. ipsas etiam operationes è natura quadam fluentes Theologi aliquando idiomatis terminò comprehendunt, interim sæpiùs nonnisi significatu strictiori sumunt pro proprietatibus, quô modô & nos terminum huncce sumemus. Idiomatum communicatio Patribus dicitur ἰδιοποίησις *adpropriatio*, quià per illam una natura alterius proprium sibi vindicat, BUDD. *l. cit.* p. 806. ad eam itaque pertinent eæ propositiones, in quibus de natura Divina in concreto spectata prædicatur idioma humanum & viciſſim de natura humana in concreto spectata idioma Divinum, aut ei communicatum esse affirmatur; illius generis est propositio, *Filius Dei factus est è semine Davidis* Rom. 1: 3. subjectum

jectum enim *Filius Dei* est concretum naturæ Divinæ: siquidem idem ac Deus (§. 890.), prædicatum autem, *fieri è semine Davidis* est idioma humanum, seu proprietas naturæ humanæ conveniens; hujus generis autem esset propositio, *Filius hominis omnia efficere potest*: subjectum enim *Filius hominis* est concretum naturæ humanæ, prædicatum verò, omnia *efficere posse*, idioma seu attributum naturæ Divinæ vel Dei: siquidem dicit omnipotentiam (§. 293.). Patet autem, quomodo differant hæ propositiones à personalibus (§. 890.), nimirum in iis prædicatum non est concretum naturæ vel suppositum sed idioma, cùm è contrà in propositionibus personalibus prædicatum non sit idioma verùm concretum naturæ, suppositum.

893. Cùm proprietates unius naturæ alteri communicari nequeant (§. 888.), & quælibet natura suas proprietates retineat distinctas (§. 883.), ideò *communicatio idiomatum ita intelligenda, quòd proprietas alterutrius naturæ tribuatur toti Mediatoris personæ, interim tamen secundùm eam naturam, cui illa per se convenit.* *Quomodo ea intelligenda.*

Toti Mediatoris personæ tribuitur proprietas alterutrius naturæ, id est personæ, quam constituunt Divina & humana natura secum unitæ in unitate personæ; Ita, quando dicitur, *Filius Dei natus est è muliere* Gal. 4: 4. per subjectum *Filius Dei* intelligenda est tota Mediatoris persona è duabus naturis inter se unitis constans [licèt aliâs designet naturam Divinam] (sch. §. 892.) cui τὸ *nasci* tribuitur, [quod est idioma humanum] secundùm eam naturam, cui per se competit, nempe humanam, & ob eam. Quando quid de Divina natura prædicatur, quod juxta humanam intelligendum est, & vicissim de humana, quod juxta Divinam intelligendum, & ubi locò naturæ tota Mediatoris persona intelligenda, tunc dicitur id fieri *per* ἀλλοίωσιν, (κατ' ἀλλοίωσιν.).

894. *Apotelesmata* dicuntur illæ Liberatoris operationes, quas ad satisfactionem vicariam (§. 857.) præ- *Apotelesmata & eorum communicatio quid sit.*

stitit humana natura in unione cum Divina (§. 885.), ut *apotelesmatum communicatio* sit concursus utriusque in iis vel ad ea, quæ ad satisfactionem vicariam pertinebant, seu quòd utraque suum eo contulerit.

Sch. 1. Ἀποτελέσματα dicuntur illæ operationes, [quô nomine & passiones Liberatoris intelliguntur,] id est *opera perfecta consummataque*, quià ob concursum & consensum utriusque naturæ, unde provenerunt, iis planè nil deest ei consequendo fini, in quem susceptæ fuêre, nempe ad satisfaciendum prò aliis (§. 857.). Apotelesmatum horum communicationem Patres græci dicebant κοινοποίησιν, vid. BUDDEUS *Theol. dogm.* p. 807. apotelesmata verò quidam uti DIONYSIUS AREOPAGITA dictus & J. DAMASCENUS appellabant ἐνέργειαν θεανδρικὴν, BUDD. *l. cit.* p. 822.

Sch. 2. Quare ad apotelesmata ista utraque natura Mediatoris suum conferre & concurrere debuerit, intelligitur ex (§. 849. 858.): humana requirebatur, quià non alia poterat substitui; Divina, quià humanæ naturæ actiones passionesque non eum habuissent valorem, qui sufficiens fuisset ad justitiæ Divinæ expletionem (§. 856.), hinc multis millibus liberandis; natura interim humana erat, quæ actiones illas passionesque subibat, & potest dici, ipsam *materiam* contulisse ad apotelesmata, Divinam verò *formam*, [si ita loqui liceat] & pretium; natura humana ideò rectè dicitur *principium quô*, tota verò Mediatoris persona è natura Divina ac humana inter se unitis constans, *principium quod*. Ut hinc non dicendum sit cum STANCARO [quo de vid. BÆLIUS *Dict. art.* pecul.] Collegæ suo in universitate Regiomontana ANDR. OSIANDRO se opponente, Christum esse Mediatorem nonnisi secundùm naturam humanam. Benè etiam dicitur utramque naturam, quod suum erat, contulisse *indivisè*, id est, neutram sine altera, interim tamen *distinctè*, id est, ut operationes utriusque neutiquàm inter se conflatæ vel mixtæ fuerint. Unde, quomodo apotelesmatum communicatio intelligenda sit, perspicitur, nempe eôdem ferè modô, quô idiomatum communicatio (§. 893.). ut, etsi toti personæ quid tribuatur, tamen id intelligendum sit juxta eam naturam, ob

ob quam propriè ei convenit; cùm autem varii generis eò pertineant propositiones, & ideò apotelesmatum communicatio non unô modô intelligi ac admitti debeat, ideò (sch. §. seq.) reliqua monebuntur.

Quænam eò pertineant propositiones.

895. Ad communicationem apotelesmatum itaque eæ pertinent propositiones, in quibus nomen aut Opera muneris Mediatorii (§. 867.) Servatoris personæ Ipsius vel ab una vel ab utraque natura denominatæ tribuuntur.

In propositionibus hisce itaque subjectum esse potest, vel concretum personæ, uti Christus (sch. §. 890.), vel concretum alterutrius naturæ, uti Filius Dei, Filius hominis, quorum illud est concretum Divinæ, hoc verò humanæ naturæ; primi generis propositiones sunt, v. g. *Christum oportebat pati* Luc. 24: 46. *Jesus passus est &c.* secundi generis, *Filius Dei passus est*, vel *Dominus gloriæ crucifixus est* 1. Cor. 2: 8. tertii generis, *Filius hominis passus est;* primi generis propositiones intelligendæ sunt juxta eam naturam, cui per se conveniunt (§. 893.), secundi generis per allæosin (sch. §. 893.), tertii verò propriè. In omnibus hisce propositionibus prædicatum est operatio ad munus Sacerdotale (§. 865.) pertinens; referri tamen eò etiam possunt illæ propositiones, in quibus nomen muneris, v. g. *Sacerdos* de persona Servatoris prædicatur: ut ubi dicitur, *Christus est Sacerdos:* innuitur namque etiam per tales, Liberatorem ad satisfactionem ejusmodi præstitisse Opus, quod sine utriusque naturæ concursu peragi non potuerit. Imo nec Propheticum nec Regium munus excludi debet: ad liberationem namque è miseria consequenter ad satisfactionem utrumque id erat necessarium (§. 864. 865.); adeòque ad communicationem apotelesmatum ejusmodi quoque referri possunt propositiones, in quibus Opera ad munus Propheticum aut Regium pertinentia seu toti personæ seu alterutri tantùm naturæ tribuuntur: nam & in hisce utraque natura suum contulit, v. g. quando dicitur, *Christus docuit, Jesus regit suos, Filius Dei gubernat suos; Filius hominis docuit;* interim tamen communicatio apotelesmatum præcipuè ac principaliter respicit operationes ad munus Sacerdotale pertinentes.

Quotuplex communicatio ex unione personali resultet.

896. Triplex adeò vi unionis personalis locum habet communicatio inter naturas Servatoris; 1. communicatio donorum planè singularium, quibus humana Ipsius natura largiter fuit perfusa (§. 879. & sch. ib. sch. 2. §. 886.), appellata *communicatio charismatum*; 2. *communicatio idiomatum* (§. 892.); 3. *communicatio apotelesmatum* (§. 894.).

Addunt Fratres Aug. Confess. communicationem ἀυχημάτων, vel potius communicationem Charismatum eò extendunt; contendunt nempe, humanæ Christi naturæ in se & abstractè intra tamen unionem personalem spectatæ perfectiones Divinas cum honore inde resultante communicatas esse, vid. BUDDEUS *Theol. dogm.* p. 809. seq. bonâ id eos intentione facere, ne scilicet aliàs unio inter duas Servatoris naturas nimis fiat laxa, & ut à Nestorianismo sibi caveant, certum est; interim cùm intelligi nequeat, quomodo humanæ Christi naturæ, quæ est ens finitum, perfectiones entis infiniti communicari potuerint, idque implicet: siquidem nec entis finiti proprietates alii enti finito communicari possunt, ut tamen maneat, quod fuit (*Met.* 43. 44.), melius hac in re sentitur cum Ecclesia Reform., juxta tradita in anteced. (§. 891. 893.). eò magis, quòd aliæ adhuc inde oriantur difficultates: cùm enim negari nequeat, attributa Divina ἀνεξεγνητα dicta, qualia sunt æternitas, immensitas, simplicitas, humanæ naturæ communicari planè non potuisse, perfectiones Divinæ inde divelluntur, id autem essentiæ Divinæ simplicitas non admittit (§. 227. & sch. ib. §. 229.); equidem dicunt Fratres, attributa hæc itidem humanæ naturæ communicata esse, ac de ea prædicari posse, verùm mediatè; intercedentibus reliquis attributis, BUDDEUS *l. c. p.* 811. 812. at ne sic quidem difficultas omnis est levata: etsi enim ei v. g. competere posset immensitas, quià ei communicata omnipotentia, quæ est infinitas hinc immensitas potentiæ, tamen immensitas se super plura adhuc extendit attributa, præterea æternitas de natura humana nequidem mediatè prædicari potest; ad loca Scripturæ, quæ contrà afferuntur,

tur, respondendum ex (§. 893. & sch. ib.) Cæterùm multum logomachiæ admixtum esse huic inter Protestantes agitatæ controversiæ, & si quis maneat in re dissensus, eum circa quæstiones curiosas dogma ipsum in salvo relinquentes versari, monuerunt Viri nonnulli acumine pollentes & pacis studiò ducti, inter quos fuit J. Lud. Fabricius Theol. Heidelb. commemoratus J. A. Turretino *orat. de comp. Protest. dissid. & disquis. de artic. fund. Cap.* 9. & Theologus Eccles. Luth. modernus Cel. C. M. Pfaffius allegatus eidem Turretino *nub. Test. p. m.* 80 --- 85. ut alios taceamus.

897. Cùm verus Liberator statum humilem subire debuerit (§. 871.), ideò & *Jesus Naz. in statu humili fuit versatus:* namque non solum se non gessit ùt Deum inter homines versans, licèt esset Deus (§. 880), Majestatemque Divinam occultavit sub velo carnis imbecillæ, sed præterea formam assumsit servi, Phil. 2: 7. inde à nativitate, quæ & ipsa admodum erat humilis, utpote in stabulo facta Luc. 2: 7. per totam vitam fuit pauper Matth. 8: 20. contemtus 20: 20. Luc. 16: 14. exosus, convitiis prosciissus Matth. 10: 25. 11: 19. convenienter Prophetiis Es. 53: 3. *Q. N. statum humilem subiit.*

Sch. 1. Interim & in hocce statu humili Jesu multa se Divinæ Majestatis exeruêre indicia, dum v. g. Magi à stella admoniti veniebant, Eum adoraturi Matth. 2: 1. 2. dum sæpe Sapientiam potentiamque [quæ Majestatem constituunt] (§. 298.) manifestavit; illam, certô modô se gerendo erga hostes callidos Luc. 20: 25. 26. cogitationes eorum noscendo, ib. v. 23. Joh. 2: 25. hanc, per miracula, ægros sanando, mortuis vitam reddendo Luc. 6: 8. 7: 15. è manibus hostium mirabiliter evadendo Luc. 4: 30. Joh. 8: 59. interim perfectiones Divinas per hæc apertè non ostendit, dum & à Prophetis talia fieri potuerunt; contemtus, cui Jesus expositus fuit, etiam ita intelligendus, quòd non ab omnibus & semper contemtui fuerit habitus: popu-

lus enim Ipsum aliquando studiosè sequebatur, pro Propheta habebat &c. Matth. 4: 25. Luc. 4: 42. Joh. 4: 19. 42.

Sch. 2. Etsi Jesus pauper fuerit, ut & discipuli Ejus, tamen nunquam mendicasse legitur, licèt acceptaverit ea, quæ sponte Ipsi offerebantur Joh. 12: 2. 3. quod utique facere potuit piè ac justè. Quô jure autem ac fundamentô Monachi in Ecclesia Romana, *mendicantes* dicti, ad Exemplum Christi provocent, discutere hujus loci non est; aliquid huc pertinens dicetur infra, ubi investigabitur, num Servator consiliô paupertatis spontaneæ legem Mosaicam perfecerit; de dissensionibus quoad illam mendicitatem constitutionibusque quorundam Pontificum ea super re nonnulla monet BUDDEUS *Theol. dogm.* p. 829. 830..

Qui profundior factus per passiones & mortem.

898. *Profunditus statum humilem subiit per passiones insecutamque mortem:* passus nimirùm erat versus vitæ finem Servator, interim voluntariô Joh. 10: 18. passionis autem hujus gravitatem faciebat ira Divina ob peccata nostra accensa, ob eam namque Servator contristabatur & tremebundô erat animô Matth. 26: 37. Marc. 14: 33. Luc. 22: 43. 44. licèt sine desperatione; sequebatur crucifixio, indignum supplicii genus, prædictum Ps. 22: 17. quod ferens iterum sensit iram Divinam Matth. 27: 46. excepit id mors, quæ verè contigit Matth. 27: 50. Marc. 15: 37. Luc. 23: 46. Joh. 19: 30. quam tulit ut pœnam peccatorum nostrorum Ps. 69: 5. Es. 53: 4. 5. sicùt & ex sensu iræ Divinæ provenientem angorem: hic enim pœna peccati (§. 836. & sch. ib.).

Sch. 1. Mala versus vitæ finem à Servatore perlata *passiones* Ipsius nominantur, non quòd anteà non etiam passus fuerit, sed quòd mala versus vitæ finem perlata, quià ita atrocia dolorosa, præcipuè & præ reliquis nomen id mereantur; quæ de circumstantiis passionis Christi in historia Evangelica memoratis monere possent,

sent, hujus loci afferre non est, videantur, qui ex professo hancce pertractantur materiam, è quibus instar omnium est Bynæus in dem gecreutzigten Christo; hîc notasse sufficiat, tales fuisse circumstantias, quales Prophetæ de futuro Liberatore prædixerint, ex. gr. quòd pretio 30. argenteorum esset prodendus Zach. 11: 12. quòd super vestimentis Ipsius sors esset jacienda Ps. 22: 19. quòd angor Eum occupaturus esset 69: 2. 3. 16. quòd patiens exclamaturus esset v. 4. ludibrio futurus spectatoribus 22: 8. animam efflaturus v. 16. quæ pertinent inter requisita Liberatoris externa (§. 873.), & hinc argumentum nobis contra Judæos validum præbent, Jesum Naz. verum esse Messiam; vid. quæ huc pertinentia præter alios affert contra Judæos Hoornbeck *Lib. 6. Cap. 1.*

Sch. 2. Crucis simplicium Romanis usitatum indignissimum, crux Profanis Auctoribus audit ideò *infelix lignum*, *infelix stipes*, *infelix arbor*; voluit Servator hocce subire supplicium, ut, cùm suspensionis species esset, suspensus autem de ligno maledictio apud Deum Deut. 21: 23. ita maledictus factus maledictionem de nobis tolleret Gal. 3: 13. suspendebantur nempe in V. T. lapidati, præcipuè blasphemi ac idololatræ, idque non collô sed manibus, non arbore, sed ligno, non vivi, sed lapidibus jam enecati, ut suspensio non tam esset pœna quàm pœnæ consequens; vid. hac de re Vir in rebus Hebr. accuratiss. Th. Dassovius *diss. de suspendio hominis lapidibus obruti*; per talem suspensionem crux Servatoris præfigurabatur, ut & per alia adhuc, ex. gr. agnum paschalem in crucis forma assatum &c. de quibus agit Schlichter *exercit de cruce apud Judæos, Christianos & gentes signo salutis*, Halæ 1733. *Cap. 1.* Interim Judæis crux Christi maximè fuit & adhucdum est scandalo [Eum propterea per contemtum appellantibus תלוי *suspensum*] sicut gentilibus stultitia reputata 1. Cor. 1: 23. Christianis autem salus & magno in pretio ib. v. 24. licèt præ nimia erga signum externum crucis veneratione paulatim apud eos invaluerit σταυρολατρεία: hæc quippe primis seculis erat incognita, vid. commentat. ad *Minut. Fel.* p. 300 --- 303. edit. Lugd. Bat. 1709. & qui prolixè ac eruditissimè de ea agit Joh. Dallæus *adversus Latinorum traditionem de Religiosi Cultûs objecto*, toto *Lib. V.* scandala

autem illa tollere & discutere hujus loci non est, facit id præter alios OLEARIUS in JEsu der wahre Meßias, quoad Judæos *p.* 269. seq. quoad gentiles, in genere respectu humilis conditionis Servatoris p. 359. seq.

Sch. 3. Christum ob peccata nostra passum, mortuum esse, iram Dei tulisse, infra pluribus exponetur, ubi de Sacerdotio Ipsius, interim videri potest GROTIUS *de satisfact. Cap.* 1. §. 3 --- 7. In symbolo Apostolico memoratur, Christum esse passum, esse crucifixum, quô obviam iretur absurdo non minus quam pernicioso Veterum quorundam hæreticorum errori, qui uti verum corpus Servatori denegabant, & nonnisi imaginarium relinquebant (sch. §. 877.), ita & Eum nonnisi in imagine seu apparenter tantùm passum esse asserere audebant; cùm jam veræ Ipsius incarnationis argumentum validius esse non possit passione Illius ac crucifixione, ideò utraque in symbolo commemoratur, notato tempore, quando, scil. judice P. Pilato; ita nempe existimat, hæcque sibi probanda sumit Auctor *hystor. symb. Apost. cum observ. &c. Cap.* 3. §. 45. seq. addimus hic quoad veritatem mortis Christi, eam satis constare, tùm ex eo, quòd latus Ipsius lanceâ fuerit transfixum Joh. 19: 34. 35. tùm quòd aliâs Josephus Arimath. cum Nicodemo corpus Ejus sepulturæ non tradidissent, utpote amici Illius.

Ut & insequentem sepulturam. 899. Mors Liberatoris requirebatur, quia est pœna peccati (§. 786. 834.), quas Ille in se suscipere voluit (§. 847. 862.), ut jam de veritate mortis Ipsius eò certiùs constaret, ideò sepeliri voluit, uti & ob hanc rationem, quò implerentur, quæ in V. T. de sepultura Liberatoris prædicta fuêre Ps. 16: 10. 22: 16. Es. 53: 9. hinc postquam animam expirasset de cruce pendens *Jesus Nazarenus, etiam sepultus est* Matth. 27: 60. Joh. 19: 34. 38. 39.

Sch. 1. Quoad sepulturam Servatoris multa se offerrent considerationè digna, quæ verò sigillatim expendere non pertinet ad systema Theologiæ, ubi nonnisi dogmata

mata exponuntur, videri ea possunt tractata apud Witsium *in symb. Apost. exerc.* 17. philologicè illustrata apud Bynæum gecreutzigt. Christo, *Cap.* 20.

Sch. 2. Sepulturæ Servatoris in symbolo Apostolico jungitur descensus Ejus ad inferos, de quo prolixè & eruditè disserit Auctor *hist. symb. Apost. cum observ. &c. Cap.* 4. integrô, eumque exponit de translatione animæ Servatoris à corpore separatæ ad sedes incognitas animarum à corporibus separatarum, facta motu locali, ubi ad resurrectionis diem usque perstiterit; Romana Ecclesia tenet, Servatoris animam à corpore separatam illicò descendisse localiter ad inferos, ibique mansisse, quàmdiu corpus sepulchro fuerit inclusum, & quidem eum in finem, ut Patrum V. T. in limbo detentas animas liberaret; Fratres Aug. Conf. volunt, Christum mox post resurrectionem ad locum inferorum, quâ animam & corpus, se contulisse, ut ibi victorem se ostenderet, vid. Buddeus *Theol. dogm.* p. 837. 841. ut adeò descensus hicce ad inferos pertineret ad statum Christi gloriosum seu exaltationis; Reform. verò per descensum illum ad inferos intelligunt tùm angores Christi, seu cruciatus infernales, tùm statum mortis Ipsius in sepulchro, perpendentes, שאול, cui respondet ἅδης, notare in Scriptura statum mortis Gen. 37: 35. Ps. 6: 6. & alibi, uti οὐκ ἐγκαταλείπειν τὴν ψυχὴν εἰς ᾅδ, est vivicare, scil. Christum, Act. 2: 27. etiam notare cruciatus angoresque 1. Sam. 2: 6. Ps. 116: 3. porro animam Christi à corpore separatam migrasse in Paradisum Luc. 23: 43. fuisse in manibus Patris Ipsius v. 46. nec descensum animæ Illius ad inferos ullô Scripturæ locô clarè doceri, non Eph. 4: 9. cùm, quod hic dicitur, stylô Scripturæ non sit, nisi in terram descendere; non 1. Pet. 3: 19. cùm ibi sermo sit de Spiritu v. 18. id est Divina Christi natura: per hanc enim vivicari potuit, & juxta eam Servator spiritibus carcere detentis prædicavit, non tùm, quando ibi detinebantur, sed ἀπειθήσασί ποτε, --- ἐν ἡμέραις Νῶε, v. 20. vid. de hisce plura apud Turretinum *Theol. Elenct. Loc.* 13. Q. 15. 16.

900. Patet è dictis, statum Servatoris humilem non simùl ac semel sed per gradus, id est successivè esse factum, *Gradus in statu humili quatuor.*

factum, deprehendique in eo gradus præcipuè quatuor; 1. nativitatem Ipsius (§. 878.), seu incarnationem; 2. passiones (§. 898.); 3. mortem (ib.); 4. sepulturam Ejus (§. 899.).

Sch. 1. Sub sepultura nempe descensus ad inferos simùl comprehenditur (sch. 2. §. 899.). Status hicce humilis à Theologis etiam dicitur *status exinanitionis*, quæ græcè κένωσις; differentiam autem Theologi constituunt inter κένωσιν & ταπείνωσιν, utramque Paulo memoratam Phil. 2: 7. 8. illam sumentes de occultatione Divinæ gloriæ Majestatisque sub velo carnis imbecillæ, non equidem Ipsam humanæ naturæ assumtionem, cùm & in statu glorioso Servator maneat homo; hanc verò de depressione vel submissione Ipsius, quâ, cùm fuerit verus Deus, tamen voluerit fieri Patris servus, minor Angelis, servus eorum, qui in Cathedra Mosis sedebant, vid. GÜRTLERUS *inst. Theol. Cap.* 30. §. 104. seq. Cæterùm ipsis quoque Judæis status hic humilis & passionum Messiæ ignotus esse non potuit è libris V. T., ideò memorantur iis חבלי המשיח *dolores Messiæ*, quos verò recentiores temerè interpretantur de doloribus, qui tempore Messiæ populo Judaico superventuri essent.

Sch. 2. In hocce statu humili Servator liberationem comparavit (§. 871.), exinanivit se itaque & depressit, ut acquireret & mereretur felicitatem peccatò perditam, [quo de plenius infra, ubi de Sacerdotio Christi] uti &, quò exemplum nobis præberet patientiæ, acquiescentiæ in voluntate Dei, mansuetudinis &c.

Eum sequi debuit status glorioſus.

901. *Jesus Naz. autem etiam ad statum gloriosum seu exaltationis transire debuit:* verus namque Liberator è statu humili ad statum gloriosum transire debuit (§. 871.), quò liberationem acquisitam etiam actu conferre posset (§. 869.), ergò & Jesus Naz., si pro vero habendus sit Liberatore, ad talem statum transire debuit.

Sch. 1. Exaltatio Servatoris nostri propterea etiam non potuit non fieri, quoniam, cùm per passiones suas adeòque statum humilem (§. 871.) justitiam Divinam explere

explere seu satisfacere debuerit (§. 856.), hæc justitia, postquàm ei satisfactum, non amplius permittere potuit, ut Sponsor diutius in statu passionum, adeòque satisfactionum detineretur: ita enim Deus judex ultra satisfactionem, seu ultra, quod satis est, & jure postulari potest, postulasset, quod nequidem humana permittit justitia, quantò minùs Divina summa (§. 314.)? præcipuè erga Filium Dei unigenitum (sch. 1. §. 370.) יחיד Zach. 12: 10. ἠγαπημένον Eph. 1: 6. postquàm ideò de cruce suspensus exclamasset τετέλεσται Joh. 19: 30. mox dein status exaltationis incipere debuit, qui etiam tum incepit quoad animam, dum in cœlestem felicitatem translata Luc. 23: 43. 46. corpus autem ad omnibus comprobandam mortis Ipsius veritatem [sine qua, quià pœna peccati (§. 786.) ab Illo in se susceptа (§. 861.), satisfactio non fuisset perfecta,] sepulchro tradendum ibique per aliquod tempus manere debuit. Præterea status exaltationis in Jesu Naz. requirebatur, quià Prophetæ talem de futuro Messia prædixerant Ps. 16: 10. 11. Es. 53: 10. verus Messias autem prædictiones Prophetarum implere debuit (§. 873.), licèt status glorioſus Liberatoris ad ipsa Ejus pertineat requisita interna (§. 871. 873.).

Sch. 2. Quod dicitur, Servatorem debuisse transire ad statum exaltationis, id etiam dicitur, Ipsum debuisse *exaltari*, non quidem ac si opùs habuisset ad id alienâ vi ac potentiâ (§. 880.), sed respicitur hâc locutione ad Judicem in opere liberationis (sch. 1. §. 861.), cui dum satisfactum, Ipsius dein consensu Filius Sponsor ad statum altationis transire potuit, uti & responsio peti potest é modò dictis (sch. 1.). Exaltatio hæc fieri debuit propriè & in se tantùm quoad naturam humanam, quoad Divinam non aliter, quàm quòd radios Majestatis suæ, quos ante occultaverat (§. 897.), deinde plenè fulgere siverit, & gloriam suam manifestare debuerit in unione cum natura humana.

Hinc Servator resurgere debuit à mortuis.

902. Quòd si Servator ad statum exaltationis transire debuit (§. 901.), etiam statum mòrtis deserere, adeòque revivisсere debuit: mors enim pertinebat ad statum humilem (§. 900.), revivisсere

viviscere autem incipit mortuus, dum corpus ad statum vitalem reducitur, animaque iterum ei sociatur, quod dicitur *à mortuis resurgere*, igitur *Jesus etiam à mortuis debuit resurgere.*

Sch. 1. Resurrectio Christi etiam præterea summè necessaria fuit tùm respectu Ipsius, tùm & respectu nostri: sæpè enim anteà prædixerat, se, postquàm morti traditus esset, iterùm à mortuis resurrecturum Matth. 16: 21. 20: 19. Joh. 2: 19. quòd si ergo non resurrexisset, non fuisset repertus verax, consequenter non homo sanctus (§. 879.), nec Deus (§. 305. 880.); in V. T. quoque prædictum fuit, Messiam resurrecturum Ps. 16: 10. Es. 53: 8. 10. quod ni factum esset à Jesu Naz., non impleßet requisita veri Liberatoris (§. 873.); porro quià secundùm humanam naturam statum subiit humilem, conveniens & æquum fuit, ut ei gloriam statumque felicem acquireret. Respectu nostri summè fuit necessaria, quià non ampliùs noster fuisset גואל, qui nos è potestate peccati ac diaboli vindicare potuisset (sch. 2. §. 849.); præterea quià aliàs Ei confidere non possemus [quod tamen fieri debet, ùt Locô IX. videbimus, & jam monitum] (sch. 3. §. 858.) siquidem confidentia nostra fundamentô destitueretur, cùm mortuo confideremus, qui nequidem sibi ipsi opem potuit ferre, multò minùs aliis, unde non possemus sperare, & nos aliquando à morte ad vitam esse revocandos: cùm Dux & Liberator noster nequidem se Ipsum inde revocaverit. Porro cùm mors Christi pertinuerit ad pœnam pro peccatis nostris in Se susceptam (§. 899.), non potuissemus esse certi, plenè pro iis satisfactum esse: siquidem Judex acceptâ satisfactione Eum non ampliùs in statu humili detinere debuit (sch. 1. §. 901.), hinc nec in morte; tandem per resurrectionem Illius à mortuis plenè convincimur, fuisse Illum personam à Deo missam Rom. 1: 4. quo de adhuc aliquid in seq.; perpendantur autem de necessitate resurrectionis Christi vel solùm, quæ PAULUS scribit 1. Cor. 15: 14--19.

Sch. 2. Resurrectio Jesu Naz. ideò est dogma Religionis Christianæ fundamentale, basis Ipsius ac fundamentum, Apostoli hinc Evangelium prædicantes illam inter primos proponebant articulos Act. 2: 31. 32. 3: 15. 17: 31.

&

& Paulus pro præcipuo, quod credendum sit, ponit, quòd Deus Jesum resuscitaverit Rom. 10: 9. ut ergo de illa certi esse possimus, opera omnino danda est, quo de mox; est autem hæc veritas facti, veritas singularis, quæ ideò non eòdem modò probari potest, ut veritates universales, interim tamen ita, ut, si rationes pro ea omnes & simùl probè expendantur, certitudo ejus tanta exurgat, quanta in rebus facti unquàm haberi potest, ut demonstrationi ferè æquipolleat, dicitur autem certitudo de rebus facti *certitudo moralis*; inde etiam, quià resurrectio Christi, quæ est veritas facti, fundamentum est Religionis Christianæ, patet, quod jam dictum (prol. sch. §. 3.), Theologiam versari quoque circa res facti, & veritates facti in ea fundamenti locò esse.

903. *Jesus Naz. crucifixus mortuusque etiam à mortuis certò resurrexit*: qui enim de resurrectione Ipsius testabantur, discipuli Ejus, erant testes fide digni, quià veritatem & potuerunt & voluerunt testari, quæ duo requiruntur (*Log.* C. 7. §. 5.): prius inde probatur, quià ipsi Jes. Naz. posteà viderunt, cum Eo collocuti sunt, Eum contrectarunt, idque non unâ vice, nec unus tantùm eorum, sed omnes Joh. 20: 19 --- 23. 24 --- 29. 21: tot. imò posteà 500. alii Eum viderunt 1. Cor. 15: 6. testes hi nullâtenus fuêre creduli, sed quidam eorum obstinati ad credendum Joh. 20: 25. attamen convicti pòst, v. 28. nec etiam præoccupati de resurrectione Magistri sui, quò pactò aliàs, quicquid deinde evenerit, habetur pro eo, quod evenire debuit: namque non intelligebant anteà, quòd resurgere deberet, Luc. 24: 23. vel ponatur, quòd discipuli sint decepti, & alium quendam habuerint pro Jesu Naz., dicentem, se resurrexisse, esseque eum, qui paulò ante crucifixus mortuusque sit, tùnc oportet admittere absurda

Quod etiam factum, cùm, qui id testantur, veritatem testari potuerint.

absurda & moraliter impossibilia, nempe quòd discipuli, diu licèt & familiariter cum Jesu versati, tamen posteà Eum dignoscere & ab aliis distinguere non potuerint, quòd obliti fuerint formam vultûs Ipsius, formam corporis, vocem, gestus &c. vel quòd is, quem posteà pro Jesu Naz. habuerunt, quoad ea omnia priori adeò similis fuerit, ut discrimen animadverti non potuerit, at neutrum moraliter possibile fuit; porro veritatem potuerunt testari testes hi. quoniam, quando factum contigisse dicebatur, ipsi erant propinqui loco illi, ubi contigerat, accuratè dispexerunt omnia Joh. 20: 1. 2. 6. 8. quod ad testem fide dignum requiritur (*Log.* C. 7. §. 6.); nec per plures testes narratio ea propagata fuit, antequàm ad ipsos pervenerit, quod itidem requiritur (ib. §. 7.).

Sch. 1. Supra (sch. 4. §. 121.) quoad reliqua ab Apostolis recensita, quòd veritatem potuerint perhibere, dictum est, quæ quoad factum resurrectionis etiam valere possunt. Posset autem quis objicere, credibilitatem narrationis decrescere, si ea per longum propagetur tempus, antequàm ad nos perveniat (*Log.* C. 7. §. 8.), jam verò narrationem de Jesu Naz. resurrectione per longissimum tempus, 17. nempe secula propagatam fuisse, antequàm ad nos pervenerit; at objectio hæc speciem mentitur: supponitur enim in illa, quòd narratio quædam propagetur tantùm oretenùs, quô casu semper vel adduntur, vel detrahuntur, vel aliter narrantur, non verò horum quid contingere potest, ubi narratio mox, postquàm factum evenit, scriptis Authenticis fuerit consignata, præprimis si id fiat non ab uno, sed à pluribus, & quidem iis ipsis, qui primi omnium de facto oretenùs testati sunt: tùnc enim testimonium etsi per longissimum propagatum tempus, tamen eandem semper retinet credibilitatem, ac tam certum est, quòd contigerit, quàm certum est, hos testes vixisse, & scripta, quæ sub eorum nomine exstant,

exstant, & in quibus testimonium suum consignarunt, ab ipsis venire, quod sanè nullâ probabili ratione negari potest (sch. 3. §. 121.), conf. de authoritate testimonii hujus scriptô consignati ab Apostolis Ditton **Wahrheit der Christlichen Religion**, P. 3. C. 3. narratio tali modô in scripta authentica relata, quæ dein describuntur, in alias linguas traducuntur, per urbes & regiones disperguntur, alterari amplius nequit, ut eandem sequentibus seculis meratur fidem, quam primis, & tantò magis pro vera debeat haberi, quòd ex scriptis aliis omnium seculorum, ascendendo de seculo in seculum, reperiatur pro vera habita fuisse, & præsupponatur ut revera facta, cui populi, nationes, de seculo in seculum fidem habuerint. Objicere autem velle, testimonium de resurrectione Christi ab Apostolis scriptum impropriè, allegoricè, esse intelligendum, [ut Spinoza id eludere voluit, vid. Buddeus *Theol. dogm.* p. 842.] licèt antecedentia & sequentia propriè intelligenda esse negari non possit, est sanè, absurda quævis malle prætendere, quàm veritati cedere, & veritatem articuli de resurrectione Christi eô ipsô adhuc confirmat.

Sch. 2. Discipuli Christi itaque testes sunt resurrectionis Magistri sui & auriti & oculati, quod testimonium eorum eò validius reddit; dein omnes circumstantias facti observarunt, memoriâ infixas retinuerunt, & tandem ea, quæ perspecta habebant, propriis verbis enunciarunt, quæ singula requiruntur ad testimonium fide dignum reddendum (per princ. Log.); observarunt circumstantias: dum ipsi hominem eundem, qui priùs crucifixus posteà revixit, viderunt, audiverunt, contrectarunt &c. ad sepulchrum iverunt; memoriæ infixas eas probè retinuerunt: siquidem accuratè & juxta circumstantias retinuerunt multa, quæ diu anteà contigerant, nec ita erant momentosa & mirabilia ac resurrectio Magistri sui è mortuis; ex omnibus eorum actionibus etiam & scriptis videre est, quòd fuerint homines sanæ mentis, [nequicquàm diffitentibus hostibus eorum] nec fanatici: ut præter ea, quæ hac de re breviter monita (sch. 4. §. 121.), patet, tùm quià argumentis convincentibus, orationibus benè compositis ad assensum perduxerunt homines innumeros, quorum dispositio naturalis minimè erat fanaticis

cedere, tùm quià persecutiones, dispersiones, itinera, sic & Pauli indoles &c. fanaticismum non ferunt, vid. quoad fanaticismum Apostolis falsò intentatum DITTON P. 3. C. 5. segm. 14. tandem omnia hæc Apostoli propriis, claris & intelligibilibus verbis docuerunt, propalarunt, scriptò consignarunt (§. 120.).

Sch. 3. Possibilitatem resurrectionis à mortuis hîc probare non necessarium duximus, [licèt de possibilitate rei anteà constare debeat, quàm de actualitate vel existentia ejus certi esse possimus] (per princ. Ontol.) cùm nemo negaverit, resurrectionem in se possibilem esse, etsi non juxta Leges naturæ, verùm extraordinariâ Dei operatione, uti miracula (§. 597. & sch. ib.), inter quæ resurrectio à mortuis locum ex primis obtinet; rara ideò cùm sint miracula ac esse debeant (*Met.* §. 1041.), hinc non facilè credenda, tamen si testimonium fide dignum adsit, omnino cum ratione credi possunt ac debent, ut hinc testimonium Apostolorum nullâtenus evadat minùs fide dignum, eò quòd respiciat resurrectionem mortui, vid. DITTON P. 3. C. 5. segm. 3. seq. Religio revelata enim in genere postulat miracula (§. 110.), & cùm per resurrectionem Christi plenè convincamur de Divina Ejus missione [ut in seq. monebitur] ideò hoc miraculum resurrectionis necessarium fuit, qui est character verorum miraculorum (*Met.* §. 1043.). Monemus hic adhuc, quòd discipuli Christi non præoccupati fuerint pro resurrectione Magistri sui, inde etiam patere, quoniam falsa tùm temporis apud Judæos recepta sententia de Messia neutiquàm ferebat talem, qui mori à mortuis resurgere deberet.

Et quoque voluerint. 904. *Veritatem etiam voluerunt testari discipuli Christi:* etenim si quis veritatem, quam scit, non velit testari, motivum ejus habeat oportet, quod non est nisi repræsentatio boni impetrandi aut mali declinandi (*Met.* §. 496.), ergò, si Apostoli de resurrectione Christi datâ operâ falsò fuissent testati, seu hanc confinxissent, inde vel bonum quoddam quæsiviſſe oporteret, vel malum evitare studuisse,

duisse; talia bona sunt Divitiæ, commoda temporalia, honor, mala verò, eorum jactura, sperantur autem illa & metuuntur hæc obventura tùm ab iis, de quibus quis testatur seu aliquid narrat, tùm ab iis, quibus seu apud quos tale narrat (*Log. C.* 7. § 11.), jam Apostolos aliquô ejusmodi motivô permotos fuisse ad testandam resurrectionem Christi, quam falsam esse sciviſſent, nequidem præsumi potest: bonum temporale namque nullâ ratione sperare poterant percipiendum ex eo testimonio, nec ab iis, quibus testabantur seu narrabant, nec ab eo, de quo testabantur: a prioribus namque mox dein, postquàm narrationem illam divulgare cœperant, opprobriis affecti, cæsi sunt Act. 4:21. 5:18.40. tandemque morti traditi; ab eo, de quo testabantur, nullum sperare poterant bonum temporale, quoniam ipse nonnisi afflictiones iis prædixit, Matth. 10:17. 18. 22. adeòque tantùm abest, ut narratione bonum obtinere aut malum evitare voluisse dici possit, ut è contrà, si tale in animo habuissent, contraria planè ipsos narrare oportuisset.

Sch. 1. Conf. quæ dicta (*sch.* 5. §. 121.), hîc non denuò adscribenda, quæ omnia, si ad animum revocentur, nullum amplius supererit dubium de Apostolorum animi integritate ea, quæ ad testem fide dignum requiritur (*Log. C.* 7. §. 10---14.); interim juvat quasdam adhuc observationes addere ex præstantissimo Dittoni *tract.* von der Wahrheit der Christlichen Religion aus der Auferstehung Christi, *P.* 3. *C.* 4. nimirùm, si Apostoli supponantur vel tantillum religiosi, seu non prorsus callô conscientiæ laborantes, à falsô testanda resurrectione Magistri sui seu tali facto confingendo non potuerunt non abhorrere: idque tùm ob Religionem illam, in qua educati, tùm illam, quam Magister tradiderat: prior enim severissimè falsô testimonio

moniô interdicit, graviterque puniendum voluit Ex. 23:1. Deut. 19:18. falsis testibus graves intentat minas Prov. 12:22. 19:5.9. 21:28. posterior, quam ipsi docuerant, mendacia hinc & falsa testimonia omnimode vult vitata Eph. 4:25. Apoc. 22:15. considéretur vel solùm dogma illud de judicio ultimo tenendo super omnia malefacta, terrorem incutiens, & quod quàm maximè urserunt Act. 17:31. Rom. 2:6. 2. Cor. 5:10. 11. 2. Thess. 1:8. Jud. v. 15. Nil hîc objici potest, nisi non rarò accidere, ut impostores Religioni, quam commendant, tamen conformiter se non gerant; at etsi ejusmodi fuerint in Mundo, de Apostolis tamen id non tantum non ullâ ratione præsumi verum contrarium adhuc clarè ostendi potest: impostores enim tales tum aut spe commodorum temporalium aut ambitione eò permoti sunt, aut non instillarunt hominibus officiorum observationem erga Deum & alios, at horum omnium contraria de Apostolis dicenda sunt; etiam officia, ad quæ alios sunt adhortati, ipsi executi fuerunt, aliis propriô exemplô præiverunt, ab hostibus pro hominibus honestis agniti, nec ullorum vitiorum insimulati.

Sch. 2. Testimonium Apostolorum de resurrectione Christi inde etiam mirificè se commendat ut fide dignum, quòd resurrectionem hanc testati sint primâ vice eo ipso in loco, ubi factum narrabant contigisse, idque non in abscondito, sed publicè, coram confluxu hominum maximo, non tantum coram idiotis, simplicibus, sed doctis, emunctioris naris, porro non longè post, sed paucis præterlapsis diebus, legantur hanc in rem Act. 2:&3. tot. ut, si fraus subfuisset, occulta manere non potuisset: tantò magis, quòd in illo hominum confluxu fuerint etiam ex hostibus juratis hujus doctrinæ & Jesu Naz., qui authoritati suæ honorique ex nova hac doctrina metuentes nil intermittebant, quô fraus detegi potuisset, præterea iis omnibus erant præsidiis instructi, quæ ad rem funditus & accuratissimè examinandam, hinc impostaram ostendendam requirebantur: potentiâ quippe muniti, divitiis, calliditate, propinqui loco, in quo factum contigisse narrabatur, & tamen hi omnes non solum non conati fuerunt ullam ostendere impostaram, sed nequidem negare aut tangere factum in animum induxerunt,

runt, disquisitionem de facti vel veritate vel falsitate in medio relinquentes id solùm agebant, ut minis absterrere studerent Apostolos à prædicatione doctrinæ de Jes. Naz. Act. 4:17. 18. unde & hostes de veritate resurrectionis Christi volentes nolentes convictos fuisse sat firmiter colligitur: tantò magis, quòd cùm Apostoli resurrectionem hanc cum circumstantiis suis narraverint, hostes tamen contra nullam earum quid exceperint; sed nonnisi seditionis aut aliorum hujuscemodi eos accusaverint Act. 16:20. 17:6. 24:5. 25:7. 8. Quòd si primores Judæorum falsitatem testimonii Apostolorum de resurrectione Christi solùm probabiliter ostendere potuissent, tanta hominum multitudo non habuisset fidem testimonio illi, eô ipsô tempore, quô primùm propalabatur Act. 2:32. 41. præsertim cùm testimonium versaretur circa rem creditu difficilem, opinioni Judæorum de Messia adversam, & inter illos, qui fidem habebant, fuerint ex hostibus Jesu & crucifigentibus Ipsum, ib. vers. 23. 37. unde ex multitudine horum fidem habentium testimonio Apostolorum confirmatur, Judæorum primores ipsos convictos fuisse de veritate facti; porro non leviter confirmatur narratio Historici S. Matth. 28:12--15. corrupisse ipsos pecuniâ custodes sepulchri, quò hi falsum perhiberent; uberius id, quòd Judæi Ipsi victi fuerint de resurrectione Christi, deducit Dittonus P. 3. C. 3. & rectè pronunciat C. 6. *Segm.* 3. summum esse gradum impossibilitatis moralis, quòd testimonium Apostolorum de resurrectione Christi sit falsum.

Et aliarum circumstantiarum consideratio doceat resurrectionem Christi.

905. *Consideratio eorum etiam, quæ cum sepulchro agebantur, clavè docent resurrectionem Christi:* sepulchrum namque vacuum reperiebatur, quòd si enim corpus Jesu crucifixi in eo adhuc fuisset tùm, ubi resurrectioni Ipsius fides haberi cœpta Hierosolymis, eô ipsô fraus se ostendisset, & primores populi ùtpote hostes Christi & doctrinæ Ipsius fraudem propalàm fecissent, commodissimâ quippe occasione fine optatô potiundi,

quorum cùm nil factum sit, manifestum est, corpus in sepulchro ampliùs non fuisse; oportet igitur, aut ablatum sit, aut revivíscere cœperit, si illud, tùnc vel hostes abstulerunt vel amici; non illi: quoniam corpus mortuum ostendissent ad impediendum progressum doctrinæ novæ, & triumphassent; non hi: quià oporteret fuisse è duodecim discipulis, siquidem hi dicebant, vidisse se Magistrum suum redivivum; at hi corpus ejus auferre non potuerunt: siquidem sepulchrum erat munitum custodibus ac sigillo Præfecti, Matth. 27:66. & in talibus circumstantiis quid audere repugnabat characteri & genio Apostolorum, utpote pavidorum, præ pavore paulò ante Magistrum deserentium, aufugientium Matth. 26:56. 75. Joh. 20:19. hinc uti non audaciâ ita nec calliditate instructorum, quibus opùs fuisset ad tale audendum: cùm ergo corpus Christi ablatum non fuerit, oportet Ipse resurrexerit.

Sch. 1. Accedit, quòd si Apostoli corpus Magistri sepulchrò aufferre debuissent, eos oportuisset circumvenire custodes, ita ut nullus horum strepitum audivisset, aliquid percepisset, evigilasset, aut dicendum esset, custodes ab Apostolis se corrumpi sivisse pecuniâ, promissionibus, quò sinerent sepulchrum ingredi corpusque inde aufferre; at utrumque moraliter impossibile rectè dici potest: posterius, quià Apostoli ut homines abjectæ conditionis, pauperes, non habuissent, quò corrumpere potuissent custodes, & adigere ad fidem fallendam, præsertim in re hisce à Præfecto injuncta, utrosque etiam non potuisset non absterrere periculum, cui se exposuissent, maximum, & pœnæ in casu divulgationis, quæ facilis, subeundæ; præsertim verò Apostolos: cùm unus eorum anteà Magistrum turpis lucri gratiâ prodiderit, unde certi esse non potuerunt, nullum amplius talem inter se esse; prius multò magis: siquidem per se patet, saxum devolvi à sepulchro neutiquam potuisse, quià

quia custodes, etsi dormivissent, evigilassent; præterea si fures sepulchrum ingressi fuissent, linteorum quodvis non suo posuissent loco, uti posita erant Joh. 20: 6--8. sed corpus cum linteis abstulissent: tempus enim sufficiens impendere fures non solent, morâ iis contrariâ; custodum hinc effatum, discipulos Magistri corpus suffuratos esse ipsis dormientibus Matth. 28: 13. 15. suam ipsum futilitatem prodit, & qualis quæso hic est modus testandi fateri se dormivisse, interim tamen testari, eo ipso tempore rem hoc & hoc modo contigisse? Judæi itaque cum ita sollicitè imposturam omnem præcaverint quoad resurrectionem Christi Matth. 27: 62--66. nullam amplius contra veritatem ejus legitimam facere possunt exceptionem, modo suo procedendi sibi ipsis præcidunt rationem omnem obtendendi, fraudem subfuisse, Christi corpus ablatum fuisse, vid. autem omnia hæc latius deducta in egregio Dittoni *tract.* P. 3. C. 8. 9. ubi & ostendit, quænam admittenda sint absurda, si veritas resurrectionis Christi negetur, & C. 11. 12. ubi certitudinem ejus in aprico ponit aliis considerationibus.

Sch. 2. Veritas resurrectionis Jesu Naz. etiam probatur facto illustri, quod mox postea de Apostolis contigit, dono linguarum ipsis communicato Act. 2: 3. 4. est enim hoc factum, cujus veritas negari nequid: siquidem ejus in se non tantum intimè erant conscii, & tam certi, quàm quòd cogitarent existerentque, sed & ii, qui tum temporis magno numero Hierosolymis effectum doni illius linguarum in Apostolis percipientes, audiendo, videndo, ib. v. 7--11 porro negari non potest, Apostolos variis gentibus linguâ discrepantibus doctrinam proposuisse, tam certum id est, quàm certum, Alexandrum M. v. g. vicisse gentes eas, quas vicisse memoratur, jam verò linguas illas Apostoli de seipsis non callebant, nec à Doctoribus didicerant: utpote homines idiotæ, Doctoribus non usi, nec etiam ex consuetudine vel conversatione cum populo illo, cui prædicare voluerunt, didicisse præsumi possunt: cùm ad regionem quandam linguâ peculiari utentem delati protinus prædicaverint, non utentes interpretibus, ut ideò verum esse debeat, quod de iis memoriæ proditur Act. 2: 1---13. accepisse ipsos peritiam linguarum modo miraculoso; jam verò Magister illorum talia illis promiserat tum ante

resurrectionem Joh. 14: 26. tùm postquam Eum resurrexisse dicebant Luc. 24: 49. Act. 1: 5. & Apostoli testabantur ipsi, dona illa sibi obtigisse virtute resurrectionis Magistri, Act. 2: 33. An non ergo & inde firmum est, Christum resurrexisse: siquidem communicatio doni linguarum virtute Ipsius facta est, & fieri non potuisset, nisi persona fuisset à Deo missa, ac si talis fuit, etiam, quod prædixit, evenire debuit, scil. resurrectio propria.

Sch. 3. Objiciuntur autem ab incredulis contra resurrectionem Christi, quæ & olim ab hostibus Christianæ Relig. objecta fuêre, veritatem prætensam resurrectionis illius suspicione non carere, eò quòd Jesus non ita publicè & in conspectu resurrexerit, uti mortuus sit; porro post resurrectionem nonnisi discipulis se ostenderit, cùm è contrà etiam hostibus se redivivum exhibere debuerit, ita enim de iis triumphasset, ac eos convictos reddidisset &c. at præterquàm quòd veritas facti cujusdam amplius non labefactetur, ubi testimonium fide dignum & exceptione majus pro eo militat, etsi deinde objici possit, cur non potius aliò quàm hôc modô factum fuerit, etiam non desunt, quæ ad objectionem illam sufficienter responderi possunt: ut enim non dicamus, hostes Christi satis superque potuisse esse convictos de Divina Ipsius missione per miracula, nec non de ipsa Ejus resurrectione convictos se sic satis ostendisse (*sch.* 2. §. 904.); quid, si vel maximè primores populi sessi essent, Jesum redivivum sibi apparuisse, resurrectionem Ejus se negare non posse, num inde prædicatio resurrectionis hujus majorem in Mundo invenisset fidem? an tùnc Gentes populi de ejus veritate certiores esse potuissent? quòd si enim Apostoli vel testimonium authenticum à consensu Synedrii sigillô munitum obtinuissent de veritate resurrectionis Magistri, idque urbibus provinciis ad fidem comprobandam exhibuissent, an non hæ urbes, hæ provinciæ facilius tùnc concepissent suspicionem, latere quid sub illo Magistratûs Judaici attestato, esse artificium quoddam Politicum? cùm è contrà talis suspicio oriri non potuerit, Apostolis nonnisi proprium objicientibus testimonium: hi quippe simplicitate, vitæ integritate se commendabant, uti benè respondet Auctor *tract.* Verthädigung der Wunderwercken

JEsu, p. 29 — 33. conf. interim plura alia quoad hoc in laudatissimo Dittoni *tractatu P. 3. C. 10.*

Sch. 4. Objiciuntur præterea, discipulos Christi ipsos fateri, se Magistrum suum post resurrectionem sibi visum non probè cognovisse, sed dubitasse, num ille Ipse sit, hinc testimonium illorum non ita manere fide dignum; verum est hæc objectio futilis ac nulla: siquidem ii ipsi discipuli, qui candidè fatentur, se quibusdam apparitionibus Magistri non satis esse fisos Matth. 28: 17. Marc. 16: 10 — 13. Luc. 24: 16. 41. tamen etiam testantur, quòd aliis apparitionibus dubium omne eximentibus fuerint plenissimè convicti Matt. 16: 14. Luc. 24: 31. Joh. 20: 27. 28. 21: 12. seq. itaque manifestum faciunt, se non præcipitanter assensum præbuisse, neutiquam fuisse præoccupatos &c. ut adeò testimonium eorum evadat magis fide dignum. Non majoris ponderis est, quod objicitur, oriri fraudis suspicionem ex eo, quòd sigillum, quò sepulchrum muniverant primores populi Matth. 27: 62. 66. iis absentibus fractum fuerit: nam frangi non potuit à quodam ex proposito corpus Christi auferendi: cum id nec ab amicis nec ab hostibus factum esse potuerit, ut modò probatum; vel an discipuli cum quibusdam è primoribus conspirarunt, se statutâ horâ ad sepulchrum ituros ad sigillum frangendum? at ita admittitur, quod moraliter impossibile fuisse ex antea dictis intelligitur; vid. de hisce contra Woolstonum Vertheid. der Wunderwercken JEsu, p. 22 — 28. 33 - 36.

Sch. 5. Atque ita plenam habemus convictionem de palmario illo, mirabili & solatii pleno facto resurrectionis Domini nostri, ut læti possimus exclamare, ἠγέρθη ὁ κύριος ὄντως ex Luc. 24: 34. confectaria ex veritate hac profluentia intelliguntur ex iis, quæ de ejus necessitate dicta (§. 902. & sch. 1. ib.), quorum adeò primum, quòd per resurrectionem suam J. N. fuerit demonstratus verus Messias seu Filius Dei Rom. 1: 4. [unde præter rationem primariam, cur appelletur Filius Dei (sch. 1. §. 370.), & resurrectio à mortuis una est Act. 13: 32. 33.] quibus addenda, spes propriæ resurrectionis 1. Cor. 15: 12. 20. 22. consolatio contra afflictiones & mortem ib. v. 19. 1. Pet. 1: 3. incitamentum ad virtutem Christianam Rom. 6: 4. de quibus Dittonus *tract.* sæpius laud. *P. 3. C. 13.* item,

quod observat Auctor *tract.* Vertheidigung der Wunderwercken JEsu, p. 39. 40. certitudo inde nobis oritur, Prophetias V. T., quas Christus sibi applicavit, & quoque Apostoli Ejus, revera ad Christum pertinere, à Prophetis de Messia edita intellectaque fuisse, etsi aliàs nobis obscura videantur: nulla enim explicatio majoris authoritatis contingere potuit, quàm à tali profecta, qui tùm aliis multis miraculis tùm præcipuè augustissimô illô propriæ resurrectionis se personam à Deo missam evidenter comprobavit.

Resurrexit Christus propriâ virtute & tempore debitô.

906. *Resurrexit autem Jesus Naz. propriâ virtute & eô tempore, quô debuit:* alienâ enim virtute opùs non habuit, qui est Filius Dei (§. 861.), verus Deus (§. 880.), hinc omnipotens (§. 293.), inde enim naturam humanam sibi unitam resuscitare facilè potuit Joh. 2: 19. 10: 18. resurgere debuit eô tempore, quò prædixit, & antequàm putrefactio corporis inciperet, cùm ita Prophetia voluerit Ps. 16: 10. (§. 873.), at prædixerat, tertiò se resurrecturum esse die Matth. 16: 21. 17: 23. 20: 19. & post tertium diem à morte putrefactio incipit.

Sch. 1. Etiam non citiùs resurgere debuit, ut de veritate mortis Ipsius, quam subiit ob peccata nostra (§. 898.), eò magis essemus certi, nec objici posset, fuisse nonnisi deliquium animi, quod mortem per aliquod tempus mentitur, quô pactô miraculum resurrectionis non ampliùs sibi constaret, at verè mortuum fuisse Jesum, patet, præter illa memorata (sch. 3. §. 898.), quòd rumore resurrectionis Ipsius sparsô, hostium nemo veritatem Ejus labefactare tentaverit, excipiendo, fuisse Illum non verè mortuum, quod tamen non omisissent excipere. Resurrexit autem die hebdomatis primô, die solis, multô mane, terrâ vehementer commotâ ad terrorem custodum Matth. 28: 1. Marc. 16: 1. lapideque sepulchri per Angelum devolutô Matth. 28: 2. in sepulchrum nempe corpus Ejus ponebatur die Veneris vesperi, per totum diem Saturni

ni seu Sabbathi in sepulchro quiescebat, manè sequentis diei, qui tertius, resurgebat, ut integrum diem nonnisi unum in sepulchro transegerit, nempe secundum, primi autem & tertii tantùm partem; interim nullam parit difficultatem, quòd dixerit, tres dies se in ventre terræ mansurum Matth. 12:40. stylô enim Scripturæ pars diei sumitur pro toto die: ita ex. gr. Rehabeamus jussit Israëlitas post tres dies ad se venire 2. Chron. 10:5. interim tertiô die ad eum venisse leguntur v. 12. Esthera jejunare sibi sumebat tres dies noctesque 4:16. interim tamen die tertiô convivio interfuit 5:1.8.12. eadem ratio loquendi Judæis est usitata, vid. Cl. Relandus *antiq. S. P.* 4. *C.* 1. §. 20. 21. & Vertheidigung der Wunderwercken Jesu, p. 17--21. prædicta erat resurrectio Christi Ps. 16:10. ut jam monitum, porro Es. 53:10. triduana in sepulchro mansio præfigurabatur morâ Jonæ in ventre ceti Matth. 12:40. ut adeò Scripturis convenienter resurrexerit 1. Cor. 15:4.

Sch. 2. Socin., quiâ Christum pro mero habent homine (§. 351.), ideò & volunt, Ipsum propriâ virtute non resurrexisse, cùm vires humanas id transcendat, hinc loca; in quibus Christus resurrexisse perhibetur, pervertunt; licèt autem quibusdam locis Deus Christum resuscitasse dicatur, uti Act. 2:24. 32. 5:30. tamen hæc neutiquam innuunt, Ipsùm non propriâ surrexisse virtute, nec etiam contrariantur iis, quæ posterius perhibent, responsio peti potest ex (sch. 2. §. 901.); præterea tantò magis Pater potest dici Filium resuscitasse, quòd Angelum de cœlo miserit, qui saxum à sepulchro devolveret Matth. 28:2. atque ita exitum è carcere pararet; quibus addendum, quod benè utrumque dici possit, Filium à Patre resuscitatum, & seipsum resuscitasse, quia ambo ùt Deus perfectissimus (§. 331.) eandem habent voluntatem, & quod unus facit, etiam alter facit Joh. 5:19.

907. Quandoquidem Jesus Naz. totam Dei legem perfectè servavit, (§. 879.), ejus autem perfecta servatio jus dat ad vitam cœlestem (§. 720. 729.), potuit naturam suam humanam confectô in his terris per eam obedientiæ perfectæ curriculô

Post aliquod tempus cœlum ascendit.

in

in cœlum transferre, quare *etiam cœlum ascendit, idque* 40. *post resurrectionem diebus* Marc. 16: 19. Luc. 24: 51. Act. 1: 13.

Sch. 1. Non sine gravi factum est ratione, quòd Jesus non statim post resurrectionem suam cœlum ascenderit, licèt jus habuisset transferendi eò jam tùnc naturam humanam, consummatè quippe tùm obedientiæ plenariæ cursu Joh. 19: 30. sed quòd adhuc per aliquod tempus in terris manserit: enim quià maximoperè referebat, ut de veritate resurrectionis Ipsius & discipuli certi essent & nos (sch. 1. 2. §. 902.), ideò post resurrectionem diversis vicibus ostendere se debuit, consequenter aliquantum temporis in terris transigere; præterea quià discipuli Ipsius variis adhue præjudiciis laborabant circa Messiam Ejusque Regnum Luc. 24: 25. Act. 1: 6. optimè illos hisce liberare potuit præjudiciis, degendo inter eos, conversando cum iis, quò ita ad cognitionem illam infallibilem ac plenariam, Spiritûs S. effusione miraculosa accipiendam, præpararentur, hinc collocutus est eum iis de regno Dei Act. 1: 3. id est, de iis, quæ ad Regnum spirituale Ipsius prædicatione Evangelii erigendum pertinebant, de quibus antè adeò clarè illis non erat locutus, qui capere nondum poterant Joh. 16: 12. finistrè accipiendo ea, quæ de Jesu Messia Rege ac Regno Ejus audivissent, nempe de Rege Regnoque mundano, ac ea divulgando occasionem dedissent seditionibus, quo de in seq.

Sch. 2. Locus speciatim, de quo cœlum ascendit, fuit Bethania oppidum ad montem oliveri, quo de vid. Eruditiss. RELANDUS in *Palæst. P.* 3. ad eam vocem, ibi prius Hierosolymam ingressurus asinum conseenderat Marc. 11: 1. & quoque pavorem ac angorem ob iram Dei senserat, 14: 26. 34. ut locus passionum Ipsius fuerit etiam locus triumphi; sublatus fuit nube Act. 1: 9. tanquam curru triumphali; testes ascensionis fuerunt 11. discipuli Luc. 24: 33. 51. Act. 1: 4. 9. adeòque iidem, qui testes resurrectionis Ipsius (§. 903.), hinc quæ de credibilitate testimonii ipsorum quoad resurrectionem Magistri dicta (ib. & §. 904. & sch.), quoad ascensionem itidem valent; prædicta autem fuit gloriosa hæc ascensio in V. T. Ps. 47: 6. 68: 19. coll. Eph. 4: 8. Psalmus namque posterior à Judæis antiquio-

antiquoribus de Christo intelligitur, prior de eodem à Kimchio, uti monet Allix Außspruch der alten Jüdischen Kirchen, *Cap.* 26. p. 323. licèt recentiores Judæi tum quoad hæc tum alia plurima vaticinia ab antiquioribus recedant, quò melius Christianis obstruere possint, ut pluribus ostendit Allix *Cap. cit.* præfigurata quoque fuit per ingressum Pontificis Max. in Sanctum sanctorum semel quotannis faciendum Heb. 9:7. id est unicò nonnisi die; per susceptionem Enochi in cœlum absque morte prævia Gen. 5:24. ut & Eliæ 2. Reg. 2:11. qui soli hôc modô in cœlum susceptí: Matiam namque corpore & animâ eò fuisse susceptam error erat quorundam, uti & quòd Jesus [Romanâ Ecclesiâ id tenente] socios ascensionis habuerit Patres è limbo liberatos: hi enim non indigitantur per שבי & ἀιχμαλωσίαν Ps. 68:19. Eph. 4:8. sed homines è potestate peccati ac Satanæ ab Ipso vindicati, Es. 49:24. 25. Matth. 12:29.

Sch. 3. In cœlum itaque intravit Servator, ubi priùs secundùm eam naturam seu humanam nondum fuerat, falsò namque Socin. Illum mox post baptismum in cœlum raptum contendunt, ut postea videbimus; cœlum ingressus est supremum Eph. 4:10. domicilium Dei, id est, ubi Deus Majestatem suam illustri modô manifestat. Ingressus hic autem factus est non per modum disparitionis, Fratres nempe Aug. Confess., quià humanæ Christi naturæ perfectiones Divinas communicatas volunt (sch. §. 896.), adeòque & omnipræsentiam, ideò ascensionem Servatoris non possunt explicare per translationem localem in cœlum, & propterea per disparitionem explicant, quâ visui sit subductus, licèt quidam inter eos etiam aliter hac de re sentiant, verùm cùm omnipræsentia humanæ naturæ tribui prorsus non possit (sch. ib.), nec ascensio in cœlum per disparitionem explicanda. In Symbolo Apostolico ascensio Christi quoque memoratur, & huic articulo symbolo inserendo occasionem dedisse Apelleianorum errorem probabile existimat Auctor *Hist. symb. Apost. cum obs. &c.* hi nempe errones ab Apelle quodam Marcionis discipulo ita appellati contendebant, Servatorem nonnisi quoad animam cœlum ingressum, corpus autem in terra reliquisse, ibi in sua elementa resolutum; memoratam verò ascensionem Servatoris

vatoris innuere, Ipsum etiam quâ corpus cœlum migrasse; porro commemorationem loci nempe cœli probabiliter oppositam fuisse HERMOGENI, somnianti, corpus Servatoris in sole fuisse collocatum, & hôc modô cœlum migrasse, vid. *Cap.* 5. §. 7. 8.

Ut ad dextram Dei sederet.

908. Quandoquidem status Servatoris glorioſus ideò requirebatur, ut in eo liberationem partem peccatori quoque conferret (§. 869.), ideò Christus, postquàm cœlum ascendit (§. 907.), exercitium potentiæ, Majestatisque in terris omissum (§. 897.), cum honore inde resultante resumere debuit, quod stylo Scripturæ dicitur *sessio ad dextram Dei*, atque ideò *Christus ad dextram Dei sedit*, Ps. 110: 1. Marc. 16: 19. Eph. 1: 20. Heb. 1: 3.

Sch. 1. Per locutionem *ad Dextram Dei sedere*, Scripturam indigitare potestatem, Majestatem, Dominium, regimen & honorem, ex pluribus ac sat firmiter probari potest: dextra enim manus vel latus dextrum est signum uti honoris ita & communicationis Regni 1. Reg. 2: 19. Ps. 45: 10. cùm, qui illud occupat, proximus sit Sceptro, quippe quod manu dextrâ tenetur; porro Dominorum & Judicum adeòque potestate pollentium est sedere, eratque etiam apud Judæos, servorum verò & judicandorum stare 1. Reg. 10: 8. Matth. 27: 11. 19. hinc Scriptura τὸ sedere Christi ad dextram Dei ipsa proponit per regnare, Dominium, Ps. 110; 1. coll. 1. Cor. 15: 25. Eph. 1: 20. 21. Act. 2: 34. coll. 36. & CHRISTUS Ipse dicit, quòd sederit in throno Patris Apoc. 3: 21. atque adeò Patris fuerit factus σύνθρονος, quod fuit καθῆσθαι ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως ab Ipso prædictum Matth. 26: 64. δύναμις namque idem quod Hebr. גְּבוּרָה Deum indigitans; cæterùm de locutione illa egregiè pro more suo exponit Cel. VITRINGA *Observ. S. Lib.* 2. *Cap.* 4. 5.

Sch. 2. Exaltatio hæc ad dextram Patris Servatori etiam de jure debebatur ut recompensatio ob laborem exantlatum, id est, passiones mortemque (§. 898.), & in genere statum humilem (§. 897.): quoniam enim in hisce

hisce gloriam Patris declaraverat Joh. 17: 4. ideò æquum erat, ut dein recuperaret gloriam, quàm ut Filius Dei habuit ab æterno, ib. 4. 5. quâ etiam Pater Ipsum dignum judicaverat, dum Eum pronuntiavit justum Es. 50: 8. 9. 1. Tim. 3: 16. hinc aliquando dicitur Filium exaltasse Act. 2: 36. Eumque posuisse ad dextram suam Eph. 1: 20. ob munus Judicis nempe, quod sustinet (sch. 1. §. 861.), ut loca hæc non contrarientur iis, in quibus Christus Ipse ad dextram Dei sedisse dicitur Marc. 16: 19. Heb. 1: 3. conf. (sch. 2. §. 901. & sch. 2. §. 906.), occupavit nimirum Christus hancce gloriam, quæ ei debebatur consensu Patris, & quidem, ut è dictis perspicitur, quoad utramque naturam, licèt enim Divina propriè & in se gloriam recuperare non potuerit, cùm jam ante & per se summâ gaudeat perfectione (§. 331.), tamen manifestationem gloriæ vel emissionem [ut ita dicam] radiorum Majestatis in unione cum natura humana priùs omissam recuperare potuit, seu, uti dicitur, χρῆσιν, licèt non κτῆσιν, *exercitium*, non *possessionem*; interim occupatio illa gloriæ propriè ad naturam pertinet humanam: quippe hæc statu humili exempta, summæ, quæ quidem creaturæ convenire potest, perfectionis honorisque facta est particeps, dum throno Majestatis in excelsis insidet.

Sch. 3. Sessio hæc itaque ad dextram Dei dicit ac secum fert dominium, quod Christus exercet quâ Mediator, quò efficaciter operatur, quæ ad collationem seu applicationem liberationis vel salutis partæ pertinent, ad quod insinuandum articulum de sessione ad dextram Dei insertum fuisse symbolo Apostolico conjicit Auctor *hist. symb. Ap. &c.* C. 5. §. 14. ut nempe obviam iretur quibusdam hæreticis tenentibus, carnem Christi in cœlis stupidam ac ignavam esse. Prædicta ergo etiam fuit hæcce Messiæ exaltatio in V. T. Ps. 110: 1. quòd enim Psalmus hicce agat de Messia, patet, quòd Christus ipse ita eum explicaverit Matth. 22: 43. seq. Pharisæis non contradicentibus, v. 46. & quòd antiqui Judæorum commentarii eum ita sumant, monente Allixio Ausspruch der alten Jüdischen Kirchen, &c. p. 44.

Sch. 4. Cæterùm cùm Servator ad dextram Dei sederit, quò liberationem partam quoque actu conferret seu applicaret,

applicaret, atque ideò vel hunc in finem cœlum ascenderit, & per sessionem ad dextram Dei etiam secundùm naturam humanam exaltari debuerit (sch. 2.), ac ita & hæc potentiam acquirere efficiendi ea quæ ad collationem actualem liberationis faciunt, eò verò faciant τὸ mittere Spiritum suis, iis locum parare in cœlis &c. ideò dicit Ipse, se hunc in finem abiturum Joh. 14: 16. 16: 7. 14: 2. & ascensio Christi in cœlum ac mansio ibi dulce solatium ac spem ingenerat iis, qui Enim in virtutibus sequuntur, quòd & ipsi eò recipiendi sint Joh. 14: 3. cùm Jesus ut præcursor præiverit Heb. 6: 20. & ut Caput ibi versetur, à quo membra divelli nequeunt Eph. 1: 22. 23.

Status Servatoris gloriosus suos habet gradus.

909. Patet è dictis, statum glorioſum ſeu exaltationis, quem Jeſus Naz. ſubiit poſt ſtatum humilem (§. 898. 899. 901. ſeq.), non ſimùl ac ſemel ſed ſucceſſivè ſeu per gradus eſſe factum, uti & ſtatum humilem (§. 900.), deprehendique in illo 1. reſurrectionem Ejus à mortuis (§. 903. ſeq.); 2. aſcenſionem in cœlum 907.); 3. ſeſſionem ad dextram Dei (§. 908.); quibus tandem ſuccedet 4. reditus ad judicandum vivos mortuoſque [quo de demum Locò ultimò] atque adeò gradus 4. ùt in ſtatu humili (§. 900.).

Duo ſtatus hi ſibi invicem oppoſiti benè potuerunt locum habere in una eademque perſona, diverſis nempe temporibus; ut non debuiſſent Judæi duos fingere Meſſias, unum contemtum, Joſephi filium, occubiturum in prælio contra Gogum & Magogum, alterum glorioſum, Davidis filium: nam ſi unus idemque Liberator non fuiſſet & humilis & poſteà glorioſus, liberationis Opus peragi non potuiſſet (§. 869 --- 871.), quod etiam inde patet, quià debuit eſſe Filius Dei (§. 858. 861.), qui ſanè nonniſi ad tempus & occultatione Majeſtatis in ſtatu humili verſari poteſt, & tamen ſimùl debuit in natura humana, cujus particeps (§. 849.), pœnas in ſe ſuſcipere (§. 847.).

Jesus Naz.

919. Cùm verus Liberator debuerit

rit subvenire ignorantiæ nostræ (§. 864.), docendo nos (§. 865.), quæ scitu essent necessaria, inter ea autem quàm maximè sit modus liberationis à pœna (§. 89. 90. 93.), seu placationis Dei (§. 91. 92.), ideò *Jesus Naz. id nos edocere debuit*, ac *etiam plenè id edocuit*: indicavit namque fieri illud, dum vitam suam det Matth. 20: 28. patiendo mortem ignominiosam, 16: 21. ideò humanam sibi assumendam fuisse naturam Gal. 4: 4. in ea pro peccatis nostris voluisse tractari ut peccatorem 2. Cor. 5: 21. ut nos è potestate diaboli eriperet Heb. 2: 14. atque ita voluisse fieri placamentum 1. Joh. 2: 2. Deum nobiscum actu placasse Rom. 5: 10.

nos edocere debuit placationem Dei nobiscum, ac etiam edocuit.

Nimirùm quando dicimus, Jesum hæc nos edocuisse, minimè innuere volumus, ac si non jam anteà in libris V. T. indicata fuerint, quantum nempe tùnc sufficere poterat, uti Socin. hæc volunt: contrarium enim patet tùm ex iis, quæ in anteced. sparsim dicta de prædictionibus Prophetarum passiones Messiæ concernentibus, & uberius patebit ex iis, quæ Locô XI. dicentur; imò Ipse Jesus jam quoque in V. T. ea docuit, siquidem erat Spiritus Ipsius, cujus instinctu Prophetæ loquebantur 1. Pet. 1: 11. innuere ideò volumus, Jesum illa docuisse immediatè, in carne apparentem, quô modô etiam locus Heb. 1: 1. intelligendus; dum etiam Apostolos, qui eadem docuêre, immediatè misit, ac Spiritu suô instructos reddidit; quod itidem de reliquis doctrinæ Capitibus, de quibus mox, monitum sit.

911. At quià nemo desiderabit Liberatorem, nisi convictus sit de ejus necessitate, adeòque de sua miseria (§. 841. 842.), nec ita vehementer illum desiderabit, nisi & de magnitudine hujus convictus sit (per regulas psychol.) hinc *necesse fuit, ut Jesus nos edoceret Liberatoris*

Ut & necessitatem Liberatoris, magnitudinem miseriæ.

toris necessitatem per magnitudinem miseriæ incumbentis adeòque & pœnæ (§. 837. 841.), *ac id ipsâ & clarè nos edocuit:* testatus namque est, omnem, qui Ipsum repudiet, pœnam effugiturum non esse Joh. 3: 36. cognitionem de Ipso adeòque & ipsum ad vitam æternam necesse esse, 17. 3. in nullo præter Ipsum esse salutem Act. 4: 12. omnes peccasse Rom. 3: 23. & ideò placamentò Ipsius opùs habere, v. 25. omnes naturâ esse filios iræ Eph. 2: 3. mortuos in peccatis, v. 1. peccata quæcunque iram Dei attrahere Rom. 1: 18. 2: 5. de quovis aliquando reddendam esse rationem Matth. 12: 36. pœnæ subjicere gravissimæ Matth. 25: 41. Deum judicaturum esse omnia opera 2. Cor. 5: 10. imò Seipsum futurum esse Judicem Matth. 25: 31--46.

Sch. 1. Nimirùm necesse fuit, ut Jesus edoceret magnitudinem miseriæ, etsi vel maximè Ratio ipsa eam quoque cognoscat (§. 82---87.): pauciſſimi enim homines Rationem suam eò evehunt, ut ea attingat, conf. (sch. 1. §, 96.), minùs magnitudinem miseriæ certò perspiciat (sch. 2. §. 841.), & qui talia alios edocuissent, ad assensum tamen eos non perduxissent (§. 99.); quibus addendum, quòd homo ob philautiam pravam sibi semper blandiatur.

Sch. 2. Quemadmodum per corruptionem, in qua omnes homines hærent (§. 812. 816.), justitia propria destruitur, ita Jesus quoque eam non potuit non profligare, hinc redarguere illos, qui propriæ justitiæ opinione tumebant Matth. 23: 27. 28.

Justitiam Dei & animæ immortalitatem.

912. Quoniam autem necessitas Liberatoris fundatur in eo, quòd aliâs pœna effugi non possit (§. 837. 848.), ob justitiam Dei (§. 316. 839.), & pœna sibi non constat absque immortalitate animæ (§. 87. 88. & sch. 2. ib.), propterea

tereà *Jesus nos edocuit tum justitiam Dei, tum & animæ immortalitatem:* indicavit namque jus Dei, hinc justitiam ita se habere, ut vi ejus peccatum morte sit dignum, Rom. 1: 32. & hinc, si Deus voluerit peccata quibusdam condonare, Filium suum eâpropter puniri debuisse, Rom. 3: 25. 26. porro indicavit clarè, animam post mortem corporis neutiquam perire Matth. 10: 28. 22: 30. verùm adhuc manere in statu perceptionum, quò in hac vita gavisa fuerit, Luc. 16: 23. imò corpori suscitando iterum aliquando sociandam esse Joh. 5: 28. 29.

Certitudinem dogmatis de immortalitate animæ & resurrectione corporis de facto Ipse comprobavit propriâ resurrectione (sch. 5. §. 905.).

913. Quià verò fundamentum omnis Religionis sunt perfectiones Divinæ (prol. §. 19. & §. 51--54.), ideò & *de hisce Jes. Naz. clarè nos edocere debuit, quod etiam fecit:* nomen enim Patris sui, id est, quæ de Eo cognosci possunt, patefecit Joh. 17: 6. præter justitiam (§. 912.), quoque reliquas Ipsius perfectiones, omnipotentiam Luc. 1: 37. independentiam ab omnibus Act. 17: 25. Rom. 11: 33. dependentiam è contrà omnium ab Ipso Matth. 10: 29. 30. Act. 17: 28. scientiam etiam occultissimorum Heb. 4: 13. bonitatem, dum amorem Ejus deprædicavit Matth. 5: 44. 45. Joh. 3: 16. Sapientiam Rom. 11: 33. 1. Cor. 1: 21. beatitudinem 1. Tim. 6: 15. *Perfectiones Divinas.*

conf. dicta Locò III.

914. Porro quoniam è perfectionibus Dei resultant officia erga Eum (§. 54. 57.), nos ipsos & alios (§. 60.) (§. 81.), quæ sunt æterna, immutabilia (§. 69.), & quorum violatio reddit pœnâ post hanc vi- *Officia erga Deum, nos & alios.*

tam dignum (§. 83. 87.), ideò *Jesus omnia officia illa inculcare debuit ac inculcavit:* etenim inculcavit præceptum Deum amandi Matth. 22: 37. Eum invocandi, & quidem modô debitô Joh. 4: 24. in eum finem orationis formulam præscribens Matth. 6: 5 -- 15. fiduciam in Eo ponendi v. 31. 32. honorandi Joh. 5: 23. in quo consistit summa officiorum erga Deum (*Mor.* §. 652.); erga nos ipsos præscripsit, ut Intellectum ornare studeamus cognitione Joh. 17: 3. voluntatem purgare ab inclinationibus ad malum Matth. 5: 28 -- 30. corpori consulere temperantiâ Luc. 21: 34. erga alios inculcavit amorem Matth. 5: 43. & quidem non solùm quoad eos, qui benefaciunt v. 46. & quibuscum intercedit relatio Luc. 10: 37. sed &, qui non benefecerunt Matth. 5: 44. & quibuscum nulla intercedit relatio Luc. 10: 33. 36. in genere, ut erga alios ea omnia faciamus, quæ vellemus, ut & ipsi erga nos facerent, Matth. 7: 12. in omnibus etiam tam erga Deum quàm alios rectam postulavit intentionem, Matth. 6 1 -- 6.

Sch. 1. Hùc & pertinent dicta (§. 118. & sch. 2. ib.); sunt Theologi, uti ex. gr. BUDDEUS *Th. dogm.* p. 857. 858. qui non ineleganter ea, quæ Jesus docuit, seu munus Ipsius quâ Doctoris, reducunt ad certa genera, ut fuerit vel *didascalicum*, strictè acceptum, quò pertineant omnes Ipsius conciones, præcipuè ea Matth. 5: 6. & 7. item colloquia, uti illud cum Nicodemo Joh. 3: 1 -- 21. vel *elenchticum*, quando redarguerit ac confutaverit Pharisæos & alios Matth. 5: 20. 22: 23. 29. παιδευτικὸν, quô subinde usus sit erga discipulos prodentes infirmitates Matth. 8: 26. Marc. 16: 14. Luc. 24: 25. ἐπανορθωτικὸν, perversos reprehendendo mores Matth. 23: tot. vel tandem quoque παρακλητικὸν, maximè omnium conveniens Evangelii Doctori, ubi vox Ejus erga afflictos ac pressos fuerit suavissima Matth. 11: 28. 12: 18. seq.

Sch. 2.

Sch. 2. Quià officia illa, quæ homo præstare debet erga Deum, seipsum ac alios, in V. T. Deus Israëlitis præscripserat Lege morali per ministerium Mosis latâ. hæc lex autem tempore Christi falsis interpretationibus Doctorum erat obfuscata, corrupta, dum quædam volebant in ea esse comprehensa, quæ tamen non erant Matth. 23: 23. 25. alia verò nolebant eâ comprehensa, quæ tamen erant 5: 21. 22. 43. 44. ideò CHRISTUS, quod maximè erat necessarium, legem Divinam moralem contra falsas illas interpretationes vindicavit; genuinum Legis sensum ostendit Matth. 5: 6. 7. quod adeò etiam pertinebat ad munus elenchticum (sch. 1.).

Nova præcepta tamen non dedit.

915. *Christus tamen nulla inculcavit nova officia, lege Mosis morali non comprehensa, seu legem Dei non auxit planè novis præceptis:* lex enim moralis est eadem cum Lege naturali (§. 78. 118. & sch. 3. ib.), hæc verò est completa, ad omnes se extendens actiones (*Mor.* §. 27.), hinc & lex Dei erat perfecta Ps. 19: 8. cui nec addendum quid nec detrahendum, Deut. 12: 32. & ita comparata, ut ejus servatio daret jus ad vitam, Lev. 18: 5.

Sch. 1. Lex Mosaica moralis nonnisi quoad motiva non verò ipsas actiones à Lege naturæ differre poterat: dum addebat motivum liberationis ex Ægypto, item liberationis futuræ per Messiam pro ratione temporum illorum cognitæ; hinc quæ è notione Christianismi nonnisi resultant officia, uti tolerantia crucis, imitatio Christi, ea & in V. T. jam pro ratione cognitionis locum habebant. In genere hîc notandum, quòd, ubi quis doceat præceptum generale applicare ad diversas circumstantias singulares, quæ variis temporibus variæ sunt, per hoc non fiat novus Legislator: siquidem nullum condit præceptum novum, sed tantùm fœcunditatem præceptorum, quæ jam habentur, seu legum latarum ostendit, dum casus speciales sub regulis iis generalibus contineri monstrat; atque hôc modô res se habet cum Lege Mosis morali à Christo de novo inculcata, explicata, vindicata, non autem aucta: lex Mosis omnia jam, quæ CHRISTUS inculcavit, præcepta

determinasset, si Pharisæi eam ad circumstantias sui temporis debitô modô applicuissent; imo si applicetur, uti debet, ad officia è Christianismo resultantia, & hæc per illam ut regulam generalem determinata inveniantur. Quæ supra (sch. §. 78.) de abrogatione Legis naturalis dicta, quomodo ea, etsi videatur, locum tamen non habeat, possent hic usui esse, si inverterentur, ut pro abrogatione & dispensatione Legis poneretur ejus auctio, completio, seu novorum præceptorum additio.

Sch. 2. Atque ideò neutiquam necesse est cum Socin. & etiam quibusdam Doctoribus Eccles. Ref. statuere, CHRISTUM Legi Mosaicæ morali nova plane addidisse præcepta, & non solùm interpretem Legis sed reipsâ Legislatorem egisse; tantò minùs id admittere necesse est, quòd ipsa illa, quæ Socin. de novo addita volunt, jam in V. T. inculcata non tantùm implicitè [quo de modò sch. 1.] sed plurima ipsis verbis & expressè inveniantur, ut non habeant Socin., cur hac in re N. T. præ Veteri prærogativam ac præstantiam adscribant; quæ verò Socin. quoad quodvis decalogi præceptum addita esse in N. T. volunt, speciatim hîc discutere ob instituti brevitatem nolumus, generalibus istis observationibus contenti, vid. quæ contra Socin. hac de re disputat TURRETINUS *Theol. Elench. Loc.* 11. *Q.* 3. & GÜRTLERUS *inst. Theol. Cap.* 31. §. 285--301. Aliud autem adhuc quid tenent Socin., quod ad hanc prætensam Christi legislationem pertinet, nempe ut Christus plenè & infallibiliter edoceretur doctrinam illam, quam in Evangelio proposuerit, & præcepta promissaque contineat præstantiora iis sub V. T., ideò Eum faciunt cœlum ascendisse post baptismum, quod sanè figmentum rectè & jure appellari potest: loca enim Joh. 3: 13. 6: 62. ita explicanda esse, nemini in mentem veniet, qui priùs animô non concepit illam opinionem; vid. interim hæc Socin. de raptu Christi in cœlum hypothesis prolixè & doctè confutata à Viro Rev. & Eruditiss. SAM. SCHEURERO Prof. Theol. Bern. *diss.* in eam habitâ Bernæ 1738.

Sch. 3. Nec etiam admitti potest, quod Pontif. volunt, Christum legem Mosaicam perfeciisse tribus, uti appellant, *consiliis Evangelicis*, continentiæ nempe, paupertatis & obedientiæ: nam quod attinet primò omnium ad

ad consilium, id propriè non differt à Lege: si Deus homini quid consulit, gerit se erga Eum instar benigni Patris, præcepta proponentis ut rem valde utilem (*Mor.* §. 59.), quod tamen reipsâ est lex: obligatur enim homo ad illud etiam voluntate Dei (§. 77. & sch. ib.); deinde quod ad continentiam seu abstinentiam à matrimonio, nullum de ea vel consilium vel præceptum legitur: Paulus 1. Cor. 7: 8. illam suadet non in genere seu absolutè, sed respectu ad singulares ejus temporis circumstantias, persecutiones nempe; matrimonium in se est negotium honestum, institutionis sanctæ (§. 710. & sch. ib.), præcipuè ex hypothesi Pontif., juxta quam est Sacramentum; paupertas in se non est boni quid, ut ideò sectanda non sit (*Mor.* §. 519. 533.): facit namque ad statûs externi imperfectionem, & divitiæ in se minimè mali quid sunt (ib. §. 517.), hinc benè possideri possunt, etiam ut media adhiberi ad gloriam Dei felicitatemque æternam promovendam; obedientia aliis præstanda juxta vota Monastica nec Lege naturæ nec Evangeliô vel consulitur vel præcipitur, è contrà cum Libertate Evangelica non benè quadrat; vid. quoad hæc & loca Scripturæ, quæ Pontif. hùc trahunt, Turretinus *Theol. Elencht. Loc.* 11. *Q.* 4. distinctio autem inter consilia ac præcepta jam primis seculis in Ecclesiam introducta invenitur, è Philosophia Pythagorica & Platonica, inde Ascetæ, Monachi &c. vid., quæ breviter hac de re interim accuratè Rever. Moshemius *Hist. Christ. Antiq.* Sec. 2. P. 2. C. 3. §. 11. seq.

916. Quià autem non sufficit in doctrina morali præscribere tantùm officia, sed prætereà ostendere oportet, quomodo ea exerceri possint, id verò fieri nequit, nisi monstretur, quò pactò impedimenta possint è medio tolli (*Mor.* §. 163.), è contrà media detegi ac adhiberi (ib. §. 160.), ideò & *Jesus docuit, quomodo & impedimenta praxi officiorum obstantia evitari, & media iis exequendis inservientia detegi ac adhiberi debeant:* impedimentum nam- *Jesus docuit evitare impedimenta virtutis, & adhibere media ad eam.*

que praxeos officiorum est v. g. intemperantia, ebrietas (*Mor.* §. 466. 468. 476. 478. 480.), at ab ea Jesus gravissimè dehortatus est Luc. 21: 34. medium est vigilantia cum precibus, at Jesus & illam & has inculcat Matth. 25: 1--13. Luc. 21: 36. impedimentum humilitatis & correctionis propriæ est, quando quis tantùm alios attendit, seipsum verò negligit, aut tantùm respicit malum in aliis obvium (*Mor.* §. 635.), at ab eo Jesus seriò dehortatur Matth. 7: 3. medium ad fomitem peccati extinguendum est jejunium, at Christus, quomodo jejunandum sit, docuit Matth. 6: 16--18.

Impedimentum, quod obstat curæ animæ rerumque spiritualium, est nimia sollicitudo de terrestribus, ideò JESUS etiam huic præcavit Matth. 6: 24. seq. radix multorum malorum est quoque ira: ex hac enim oriuntur litigia, offensiones &c. at & ab ea JESUS diligenter cavere jubet, 5: 22.

Efficacissima proposuit motiva ad virtutes sectandas, vitia verò fugienda.

917. Cùm in doctrina morali etiam motiva sint afferenda (*Mor.* §. 168.), ea autem, quæ desumta sunt à perfectione, quam exercitium virtutum, & imperfectione, quam vitia afferunt, non sat valida sint ad hominem eò perducendum, ut illis operam det, ab his verò caveat, experientiâ teste, eâpropter *Christus efficaciora multò proponere debuit motiva ad virtutes sectandas, vitia verò fugienda, & reipsâ proposuit:* etenim proposuit motivum virtutis felicitatem æternam, dum clarè docuit, eos, qui præcepta Dei observant, manere vitam æternam Matth. 19: 17. misericordiam humanitatemque erga proximum exercebunt, reportaturos Regnum celeste 25: 34. puros corde Deum visuros, 5: 8. è contra motivum pro vitio fugiendo infelicitatem æternam, dum edocuit, eos, qui præcepta Dei ac officia erga alios

alios violant, conjectos iri in statum calamitatum, cruciatuum æternorum Matth. 24: 51. 25: 46.

Faciunt ad præsentem propos. etiam dicta (§. 98.). Interim & in libris V. T. de iis dictum, quod iterum Socin. malè negant, N. T. & hac in re prærogativam tribuere volentes, ut saltem aliquid, quod Liberator præstiterit, assignent, hinc doctrinam ejus extollere quærentes, quâpropter & in statu innocentiæ id cognitum non fuisse tenent, ut & quia natura nesciat, unde ratio asserti eorum (sch. §. 721.).

Perfectum præbuit in se exemplum virtutum.

918. Quod si quis omnes veri Doctoris partes implere studeat, ac velit, ut alii præcepta, quæ præscribit, observent, oportet, ipse primus ea exequatur, adeòque aliis exemplò suò præeat: exempla namque magnam habent vim in exercitio virtutum (*Mor.* §. 167.), præsertim si sint ejus ipsius, qui præcepta tradit, & si hæc perfectè ad praxin revocet, ideò & *Servator exemplum virtutum perfectum in se Ipso præbere debuit ac reipsâ præbuit:* quippe nequidem hostes ullius Ipsum coarguere poterant peccati Joh. 8: 46. speciatim exemplum præbuit honoris, quò Deum prosequebatur Joh. 8: 49. 7: 4. obsequii erga Eum, 4: 34. Phil. 2: 8. fiduciæ in Illo Matth. 27: 43. gratiarum actionis 11: 25. Joh. 11: 41. humilitatis & mansuetudinis Matth. 11: 29. etiam erga hostes infensissimos crucifigentes Ipsum Luc. 23: 34. amoris erga alios ineffabilis, vitam ponendo pro iis Joh. 15: 13. 1. Joh. 3: 16.

Ideò & Apostoli exemplum Christi ante oculos ponunt Eph. 5: 2. Heb. 12: 2. ac dicunt, Jesum nobis ὑπογραμμὸν reliquisse, ut vestigia Ejus sequamur 1. Pet. 2: 21.

Miraculis comprobavit se Doctorem à Deo missum.

919. Tandem cùm Christus se probare debuerit Doctorem à Deo missum, & doctrinam suam Revelationem Divinam, quâ opùs fuit (§. 95.), talia etiam debuit edere Opera, qui-

bus id apertè comprobaretur quæ cùm sint miracula (§. 110.), ideò *Christus quoque miracula exceptione majora edere debuit, ac reapse edidit:* ægrotos enim sanavit Marc. 3: 10. 6: 55. 56. mortuos vivificavit Luc. 7: 14. 15. tot edidit miracula, ut numerus eorum facilè iniri non posset Joh. 21: 25. ad ea hinc provocabat, ut judicetur ex iis, num à Deo venerit nec ne, Luc. 7: 21. 22. Joh. 5: 26.

Pertinent hùc, quæ prolixè quoad miracula in gratiam revelationis Christianorum facta dicta sunt (§. 119. & sch. 1 --- 5. ib.); dum Christus ipse non solùm miracula edidit percellentia, sed & vim talia patrandi contulit discipulis, quod nullus Prophetarum fecit, nec facere potuit, inde præcellentia Ejus super omnes Prophetas comprobatur. Judæorum autem putida est calumnia [præter illam memoratam] (sch. 2. §. 119.), Jesum in Ægyptum profectum artem magicam didicisse, ac hujus ope miracula sua edidisse: quasi verò Christus in Ægyptum confugiens eâ fuerit ætate, quæ arti cuidam addiscendæ fuisset idonea? & non potiùs tale quid contra Mosen præsumi posset, diu in Ægypto versatum, & Sapientiâ ejus regionis eruditum? ut alia taceamus; vid. HOORNBECK *contra Jud. Lib.* 3. *C.* 1. p. 233. 234. imitantur talibus calumniis Judæi posteriorum temporum suos majores, qui ogganniebant Christo, cùm aliâ ratione Opera Ejus miraculosa eludere nescirent, Ipsum virtute τῦ Beelzebub ea edere Matth. 12: 23. 24. calumnias ejusmodi in Servatorem evomunt Scripta Judæorum virulentissima, חזוק אמונה [quo de WOLFIUS *Bibl. Hebr. To.* 1. *p.* 641. seq.] נצחון, cujus inscriptionis non unum [id *To.* 1. p. 734. seq. *To.* 3. p. 661.] תולדות ישו itidem non unum [id *To.* 2. p. 1443. *To.* 3. p. 1222.] omnia tria confutata à WAGENSEILIO Viro in Rabbinic. maximo; calumniis verò, quæ & à fide historica recedunt, hinc ipsas se destruunt, Judæi indicant desperatam suam causam.

Hinc Prophetarum.

920. *Christus Prophetam se comprobavit:* etenim Prophetæ erant in V. T.

V. T. Doctores publici, aliquando extraordinariè à Deo missi, ad emendandos defectus quoad fidem aut mores, etiam ad judicia Dei annuncianda, futura prædicenda, familiariter cum Deo agentes, missionemque suam Divinam miraculis comprobantes; jam verò Christus publicè docebat Matth. 5: 1. 2. 26: 55. Joh. 18: 20. extraordinariè à Deo missus erat per mirandam suam nativitatem (§. 878.), emendabat defectus quoad fidem moresque (§. 911. 913. 914. & sch. 2. ib.), judicia Dei annunciabat Matth. 24: 15. seq. Luc. 19: 42–44. futura prædicebat, ib. & Joh. 16: 1. 2. 21: 18. 19. familiariter cum Deo agebat Luc. 9: 29. seq. Joh. 1: 18. etiam vi unionis personalis (§. 886.), miraculis Divinam suam missionem comprobabat (§. 919.).

Sch. 1. Vid. quoad Prophetas prolixè Witsius *miscell. S. To.* 1. *Lib.* 1. ut talis Propheta, per quem Deus loqueretur, promissus fuit Servator Deut. 18: 15. coll. Act. 3: 22. vocatur ideò המדבר *ille loquens* Es. 52: 6. indidem dicitur λόγος *verbum* Joh. 1: 1. Synagogæ antiquæ nempe valde in usu erat uti voce *verbum*, ubi de Messia loquebatur, vid. Allix. Ausspr. ꝛc. *Cap.* 16. inde appellatio creberrimè apud Targumistas occurrens מימרא דיי *verbum Domini*, quâ etsi non omnibus locis [ut etiam monet Rambach *Herm. S. L.* 3. *C.* 8. §. 10.] tamen plerisque hypostasin indigitant, id ib. & prolixius Allix *Cap.* 12. Johannes itaque vocem λόγος Jesu Naz. Messiæ tribuendo faciebat, ut facilè à Judæis Evangelium suum legentibus intelligeretur, vid. Allix. C. 22. & simùl obviam ibat is, qui Christum pro Deo non tenebant, Ebioni, Cerintho: Judæi veteres enim Messiam, quem *verbum* præter alia appellabant, Jehovam esse debere tenebant, ut monitum (sch. 3. §. 858.); atque hæc sane ratio appellationis λόγος apud Johannem multò magis se commendat, quàm illa à Cel. nominis Critico J. Clerico in *animadv. ad* 18. *prima Comm. Cap.* 1. *Ev. Joh.* allata & dein

dein defensa in *Epist. Crit.* Ep. 7. 8. 9. quâ vult JOHANNEM respexisse Platonicorum de λόγῳ sententiam tùm temporis admodum receptam, atque ostendere voluisse, quô sensu voces nonnullæ à Platonicis, præcipuè PHILONE Judæo adhibitæ sumendæ essent; apud pauciores ideò Vir Eruditiss. hâc suâ sententia assensum impetravit; nisi quis dicere velit, JOHANNEM utrumque in animo habere potuisse, desumsisse nempe vocem λόγος ex antiqua Patrum Catechesi, quâ denotat hypostasin Divinam, Messiam, & cùm tum temporis valde fuerit in usu apud Platonicos, at aliô sensu, Ipsorum Platonicorum placita, quæ & Judæis & Christianis arriserant, simùl tacitè ferire & contra eam præmunire voluisse. Interim quòd locutio מימרא דיי apud Paraphrastas hypostasin denotet, & quòd JOHANNES appellationem τῦ λόγυ inde desumserit, id ipsum est, quod CLERICUS negat; verùm de his saris, ad appellationes Christi quâ Prophetæ vel Doctoris spectati redimus, appellatur ob doctrinam suam *lux* Es. 49: 6. Luc. 2: 32. Joh. 1: 4. lux enim symbolum cognitionis in Sacris, uti & communi loquendi usu, per eam enim res distingui possunt (*Met.* §. 203. 204.), porro appellatur *veritas* Joh. 14: 6. *sapientia* 1. Cor. 1: 30,

Sch. 2. Hic loci non prætermittenda est quæstio, quare CHRISTUS, cùm fuerit tàm excellens Doctor, magnus Propheta, nil reticens eorum, quæ hominibus scitu necessaria, non dixerit apertè, se esse Messiam, Liberatorem à Prophetis promissum, quare rarò se talem professus sit etiam propriis discipulis, & demum versus Ministerii sui finem Matth. 16: 16. 17. idque adhuc cum interdicto, ut ne divulgarent, v. 20. cùm tamen videatur debuisse homines de eo clarè edocere, tanquàm re, quæ pertineret ad doctrinam de liberatione ab Ipso expositam (§. 910. 911.); notandum itaque, habuisse Ipsum rationes gravissimas illud sic saris reticendi, ne scil. turbis ac seditionibus ansam præberet, Judæi nempe tùm temporis Messiam concipiebant ut Regem terrestrem, liberaturum ipsos à jugo Romano, erant ideò ad seditiones proni, quòd si jam Jesus, quem populus aliâs ob miracula magnô numerô sequebatur, apertè se Messiam professus esset, tùm populus Eum constituisset Regem suum, cujus ope liberari deberet à Romanorum jugo, secutus fuisset longè ma-

jori

jori numerô, turbas Civiles excitasset: quippe legitur Jesum Regem facere voluisse Joh. 6: 15. licet nequidem se Messiam dixerit, sed tantùm miraculum ediderit, v. 14. quantò magis, si apertè se Messiam declarasset? attamen Jesus non obstante, quòd se Messiam reticuerit, necesse invenit se subducere à populo, ib. si jam Jesus apertâ tali declaratione fecisset, ut populus se sequeretur, Procurator Romanus justam habuisset causam Ipsum sub nomine hominis seditiosi ac turbatoris Reipublicæ prehendendi suppliciôque afficiendi: admodum namque Procurator ille invigilabat seditionibus contra Cæsarem, hinc in examine criminali cum Jesu inquisitio Ejus tota versabatur circa quæstionem, num Jesus sit Rex Judæorum, Matth. 27: 11. Marc. 15: 2. Luc. 23: 3. Joh. 18: 33. 37. & Judæi perspectam habentes rationem agendi Præfecti Romani, quòd illos, qui se Reges constituerent, supplicio traditurus esset, nonnisi hanc confessionem à Christo elicere quærebant, nempe num sit Messias, hinc Rex, Matth. 26: 63. Luc. 22: 67. & ne Pilatus Eum manumitteret, nonnisi id ingeminabant Joh. 19: 12. Ex his nimirùm perspicitur, gravissimas Jesum habuisse rationes, cur se publicè & apertè Messiam non profiteretur, nempe tùnc ut seditiosus & nocens supplicio traditus, nec innocentia Ejus ita agnita & Judicis ipsius testimoniô confirmata fuisset; sunt hæ observationes egregiæ Philosophi Angli aliâs non usquequaque probati Joh. Lockii, *Christian. raisonnab. Chap.* 8. 9. & ante ipsum non ita in luce collocatæ; ob eandem rationem idem Vir Cl. existimat, Jesum tales Sibi delegisse discipulos, qui ob simplicitatem, abjectam conditionem educationemque, rebus innovandis & turbandis non essent idonei, adeòque, qui, etsi scirent, Jesum esse Messiam, tamen propterea turbas non darent, l. cit. p. m. 171. seq. etiam per providam sapientemque Dei gubernationem esse factum, quòd Paulus Apostolus sublimiori geniô dotatus, & hinc rebus novandis magis idoneus demum post ascensionem Christi in Apostolum fuerit ascitus, p. 177.

921. *Non sufficiebat ad liberationem nostram, ut Jesus nos edoceret omnia scitu necessaria:* cùm enim

Non sufficit nobis, Jesum docuisse om-

omnes

nia scitu necessaria.

omnes peccatis teneamur (§. 820.), hinc rei simus pœnæ gravissimæ (§. 784. 789. 837.), & eam effugere non possimus non summoperè optare (§. 841. 842.), ea verò per cognitionem rerum scitu necessarium nondum effugiatur: siquidem per hanc obligatio ad pœnam ob præterita peccata nondum tollitur (§. 782. 843.), cùm neutiquam per eam fiat compensatio, jam justitia Divina postulat (§. 84. 85. 315. & sch. 2. ib. 316.), sequitur non sufficere nobis, etsi edoceamur res scitu necessarias; hinc ne sufficere ad liberationem nostram: nam hæc consistit in solutione obligationis (§. 844.), nempe ad pœnam subeundam (§. 843.), seu quando obligatio hæc tollitur.

Nempe etsi vel maximè quis juxta præcepta Christi Doctoris (§. 914.) in posterum perfectè vitam posset componere [quod verò à nullo fieri posse experientia plùs satis probat, & etiam Locô IX. videbimus, ubi de sanctitatis imperfectione] tamen præterita semper manent: facta enim infecta reddi nequeunt, & illa compensatoriam postulant pœnam (sch. 3. §. 316.), sive propriam sive vicariam (§. 846. 848.). Nemo non videt autem, quòd inaniter quis objiceret, sufficere nobis, quòd Jesus nos edocuerit, eò quòd ipsam liberationem etiam edocuerit (§. 910.): nam præs. propos. loquimur non attendendo ad actualem præstationem liberationis ab Ipso expositæ.

Sed & pœnam in se suscipere debuit.

922. *Jesus itaque etiam pœnam nobis debitam in se suscipere & substitutionem vicariam subire debuit:* etenim id necesse est ad liberationem nostram (§. 847. 848.), & qui hoc facit, est Liberator (ib.).

Quod etiam potuit.

923. *Jesus porro id quoque facere potuit:* requisitis namque ad id necessariis

cessariis omnibus gaudet, est enim verus homo (§. 877.), quod requirebatur (§. 849. 850.), Sanctus (§. 879.), quod etiam requirebatur (§. 851. 854. 855.), & simùl Deus in unitate personæ (§. 880--881.), quod itidem requirebatur (§. 858. 859.), deinde substitutio vicaria perfectionibus Divinis non contrariabatur (§. 863.), adeòque potuit eam salvis Dei propriisque perfectionibus subire.

Illud *potuit*, quum dicimus, Jesum potuisse Se substituere & pœnam in se suscipere nobis debitam, itaque sumimus *physicè & moraliter*: physicè, dum Jesus requisitis ad illud necessariis, adeòque & viribus gaudebat, moraliter, quâtenus licuit ob perfectiones Divinas; ita Zaleucus olim dimidium pœnæ Lege statutæ in se suscepit pro filio, adeòque quoad hoc se prò eo substituit, quod sanè Antiquitas in eo non culpavit, licèt Zaleucus in eo erraverit, quòd jus in proprium corpus majus verò putaverit; adducit exemplum hoc inter alia contra Socinum Grotius *de satisfact. Cap.* 4. §. 17. ubi ita, »illud quoque mirari libet, quod »de Zaleuci facto, cujus historia est apud Diodorum »Siculum & Ælianum, ita pronuntiat Socinus, ut »dicat, eum pessimè audire, ejusque nomen inter »impotentes & temerarios Principes ac populorum »Judices censeri: Antiquitas sanè omnis Zaleucum »tùm ob Leges sapientissimas tùm & istius facti no»mine maximè laudavit, ùt ex his, quos dixi, Scri»ptoribus, & Plutarcho aliisque apparet; neque »puto ullum Scriptorem veterem de eo facto aliter »judicasse, in oculis est omnium Valerii Maximi »sententia &c. ——— ac profectò, si quemadmo»dum exulandi, ita oculum sibi eruendi libera esset »homini potestas, nihil posset istô Zaleuci factô præ»clarius reperiri, præsertim cùm Legis præcisa obli»gatio aut propter ipsius Principatum aut propter po»puli consensum cessaverit; erravit ergo Zaleucus, »ut pagani fermè omnes, quòd jus sibi in corpus suum »majus verô asseruerit; cæterum factum illud tanto»pere celebratum testimonium præbet contra notitiam »illam, quam hominum mentibus impressam Socinus

»putat,

»putat, non posse quenquam alieni delicti in se pœ»nam suscipere; hactenus Grotius; eòdem pertinet nobilis illa & Antiquis laudata [v. g. Ciceroni *offic. Lib.* 3. C. 10. Valer. Max. L. 4. C. 7.] Damonis ac Pythiæ historia, ubi alter se pro altero substituebat ad pœnam subeundam. Atque hæc exempla laudabilia prorsus fuissent, si homini tantum in proprium corpus ac vitam competeret potestatis. Jesus autem quià potestate in propriam vitam gaudebat, Joh. 10: 18. cùm sit verus Deus (§. 880.), ideò justè se substituit.

Qualem in se suscipere debuerit pœnam.

924. *Christus, si se substituere voluit, debuit pœnam mortis subire, & in anima angorem ferre è sensu iræ Divinæ provenientem:* namque pœna peccati est mors (§. 786. & sch. 1. ib.), item angor (§. 788.), post hanc vitam continuandus (§. 837.), veniens è sensu iræ Divinæ (§. 330.), jam verò Christus vestigiis peccatoris insistere debuit, cùm sit ejus sponsor (§. 861.), inde & Christus animâ corporeque pœnam ferre debuit, quià homo & animâ & corpore peccavit (§. 816. 818. & sch. 1. ib. 820.); porro cùm substitutio Christi necessaria fuerit ob justitiam Dei (§. 847. 848.), Deus ad hancce virtutem ostendendam pœnam Christo imponere debuit, quæ inter homines reputatur, maximam, talis autem reputatur mors, vel mortis supplicium.

Quòd Christus pœnam mortis subierit, ut & angorem, jam equidem dictum fuit (§. 898.), interim ibi magis nonnisi commemoravimus, quàm verò rationes ejus adduximus, quod posterius ideò hìc faciendum fuit; rationes nempe hæ sunt justitia Dei comminationibus Ipsius ac Lege innixa & suffulta, finis ideò passionum Christi respectu Dei est justitiæ Ipsius demonstratio, ut rectè docet ac adstruit Grotius *de satisfact. Cap.* 1. §. 21 --- 24. simùl quoque bonitatis patefactio (§. 846. & sch. 2. ib.); juxta illam lex fuit lata recta servanda per exactionem pœnæ, juxta hanc verò

verò gratioſè à quibusdam pœna transferenda fuit in alium voluntariò ſe ſubſtituentem. Ita & Zaleucus factô ſuô & ſeveritatem & clementiam oſtenderat, quod ad comparationem adducit Grotius *C. 5. §. 6.* ubi ita »ſic Zaleuci factum laudans Ælianus cauſas ejus refert »duas, ἵνα μὴ ὁ νεανίσκος τυφλωθῇ τελέως, *ne prorſus cœcus fieret adoleſcens*, & ἵνα μὴ διαφθαρῇ τὸ »ἅπαξ κεκυρωμένον, *ne quod ſemel ratum habitum »erat, irritum fieret*, quarum cauſarum illa eò ſpectat, »ut aliquid de Lege mutetur per clementiam, hæc verò, »ne nimium mutetur;» faciunt etiam hùc ejuſdem verba §. 8. »de *indulgentia* dictum eſt à Veteribus, eſſe »eam οὐδὲ κατὰ νόμον, οὐδὲ κατὰ νόμα, ἀλλὰ ὑπὲρ »νόμον, μηδ' ὑπὲρ νόμα, *neque ſecundùm legem, neque »contra legem, ſed ſupra legem & pro lege; ſupra legem »eſt*, quia nos non punimur, *pro Lege*, quia non omittitur pœna, & ideò fit remiſſio, ut in poſterum Legi »Divinæ vivamus;» Deus nempe in Filio dilectiſſimo peccata puniendo exemplum ſtatuit odii, quô peccata proſequitur, maximi, atque adeò eô factô à peccatis abſterrere voluit, ut monet idem Vir magnus §. *cit.*

925. Interim *Chriſtus, etſi nos mortem ſubire debuiſſemus ſempiternam* (§. 837.), *tamen paſſiones ſempiternas ferre non debuit:* nam quia erat verus Deus (§. 880.), brevitas paſſionum Ipſius recompenſata fuit per præcellentiam perſonæ; deinde ob eandem rationem, cùm Intellectu gaudeat perfectiſſimò (§. 343.), paſſiones ſubeundo repræſentare ſibi valuit omnia, pro quibus paſſus eſt, peccata, etiam pœnas iis debitas, hinc & angorem Sibi creare reſpondentem tòt pœnis, adeòque tantum ſuſcipere pœnarum, quantum reliquis omnibus debebatur (§. 847.), at tùnc plura poſtulari nequeunt, ſed ſatisfit juſtitiæ Divinæ punienti (§. 856.), Chriſtus igitur paſſiones ſempiternas ferre minimè debuit. *Sempiterna ea eſſe non debuit.*

Dicentur quoad hoc posterius argumentum etiam quædam infra; quòd personæ dignitas præcipuè respiciatur in æstimatione pœnæ, jam monitum (sch. 2. §. 858.), conf., qui ib. citatur, GROTIUS, ubi dicit, populos, quorum instituta maximè laudantur, & Gentes Sapientiæ nomine celebratas ita judicasse ac statuisse; passiones Christi propterea etiam non debuerunt esse sempiternæ, quia aliâs liberationem partam nobis actu conferre seu applicare non potuisset (§. 870. & sch. ib.), quod tamen necesse fuit (§. 869.), conf. quoque (§. 858.).

Christus pro nobis passus ac mortuus est.

926. *Christus reapse quoque pro nobis passiones mortemque subiit:* cùm enim sanctus justusque prorsus fuerit (§. 879. 918.), seu sine omni planè peccato, pati pro se ac mori non debuit: namque justitia Judicis non permittit, ut innocenti propter seipsum pœna infligatur, minùs atrox; tantò minùs Christus pro se mori potuit ac debuit, quià simùl fuit Divinæ particeps naturæ (§. 882. 884.); deinde ipse Christus apertè indicavit, quòd pro aliis, pro nobis, passiones mortemque subeat Matth. 20: 28. Luc. 22: 20. Joh. 10: 15. 15: 13. actionum autem suarum quilibet optimus interpres; tandem sponsio Ejus æterna (§. 456.) etiam probat, quòd, quæ in humana natura passus, pro nobis passus fuerit.

Sch. 1. Sunt alia adhuc clara Scripturæ loca, quæ docent, Christum pro nobis, vice ac locò nostrûm esse passum & mortuum: docent enim, quòd fuerit *vulneratus* מפשׁעינו *ob defectiones nostras* Es. 53: 5. *attritus* מעונותינו *ob iniquitates nostras*, ib. *traditus* διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν Rom. 4: 25. mortuus ὑπὲρ ἀσεβῶν 5: 6. quòd Deus Eum tradiderit ὑπὲρ ἡμῶν πάντων 8: 32. mortuus ὑπὲρ πάντων 2. Cor. 5: 15. bis. ὑπὲρ αὐτῶν, ib. dedisse se ὑπὲρ πάντων 1. Tim. 2: 6. ὑπὲρ ἡμῶν Tit. 2: 14. mortem gustasse ὑπὲρ παντὸς Hebr. 2: 9. passus ὑπὲρ ὑμῶν 1. Pet. 2: 21. particula enim ὑπὲρ substitutionem omnino notat

Sch. 2

notat, ubi nempe de personis sermo est, ex. gr. quando Petrus Christo dicit Joh. 13: 17. *animam meam ὑπὲρ σοῦ θήσω*, innuit, quòd voluerit se substituere, ita ut Christo moriendum non esset; quando Paulus loquitur de tali, qui moriatur *ὑπὲρ δικαίου* & *ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ* Rom. 5: 7. non aliud quid intelligere potuit, nisi ut unus moriendo, per hoc alios à morte liberet, adeòque vice & locò eorum moriatur, uti nec Johannes 1. Ep. 3: 16. *ὑπὲρ* etiam *vice* denotat Rom. 9: 3. 2. Cor. 5: 20. hinc negotium non facessit, etsi aliquando significationem hanc non admittat, uti 1. Cor. 15: 29. 2. Cor. 1: 6. Phil. 1: 29. Col. 1: 24. subjecta enim materia hîc non admittit; 2. Cor. 1: 6. *ὑπὲρ* conjungitur cum re, Col. 1: 24. construendum est cum *χαίρω*, Phil. 1: 29. notat pati ob doctrinam Christi, hinc convenienter regulæ hermen. (§. 169.) alia particulæ illi significatio tribuenda. Substitutionem hanc Christi particula *ἀντὶ* ab ipso Christo adhibita Matth. 20: 28. Marc. 10: 45. apertè indigitat: in Sacris enim adhibetur, ubi sermo de commutatione & successione in locum alterius, adeòque ad substitutionem notandam, vid. Matth. 2: 22. 5: 38. 17: 27. Luc. 11: 11. Rom. 12: 17. 1. Cor. 11: 15. 1. Pet. 3: 9. quòd si quibusdam locis, uti Luc. 1: 20. Eph. 5: 31. non ita sumitur, subjecta materia id non permittit; ipse Clericus ad Matth. 20: 28. agnovit ac probavit ex Authoribus profanis substitutionem notari, inde apud Veteres illi *ἀντίψυχοι* vel *ἀντίψυχα*. Adhibetur tandem de haccè materia particula *περὶ* Matth. 26: 28. Marc. 14: 24. itidem notans *vice, locò*; cæterùm de particulis מִן *διὰ ὑπὲρ, ἀντὶ* & *περὶ*, quibus Scriptura de præsenti materia loquens utitur, contra Socin. prolixè agit Hoornbeck *Socin. confut. to.* 2. *p.* 568--580. vid. etiam Grotius *de satisf. Cap.* 9. nec non Outramus *de sacrificiis Lib.* 2. *Cap.* 6. §. 11. 12.

Sch. 2. Quòd Christus vice ac locò nostro possiones mortemque subierit, etiam ea Scripturæ loca clarè docent, in quibus peccata nostra *portasse* dicitur, Es. 53: 4. 11. 1. Pet. 2: 24. Hebræi namque exprimere volentes id, quod Latini dicunt *pœnas pendere*, utuntur phrasi *peccata portare*, vid. Lev. 5: 1. 20: 17. Ez. 18: 20. inde & *βαστάζειν τὸ κρῖμα* Gal. 5: 10. phrasis hæc ideò & de victimis adhibetur Lev. 10: 17. at in victimis, quæ *pro peccato* & *delicto* offerri dicebantur, fiebat substitutio,

stitutio, qua de re in seq. unde & illa loca, quæ passiones ac mortem Christi sacrificium appellant Es. 53: 10. 2. Cor. 5: 21. Heb. 9: 14. 10: 14. substitutionem Christi apertè indigitant, & quià de sacrificiis illis adhibentur particulæ ὑπὲρ & περὶ Heb. 5: 1. 7: 27. 10: 18. 26. 13: 11. inde confirmatur, quod de particulis hisce dictum (sch. 1.), eas substitutionem indigitare. Verùm ut ad loca ESAIÆ & PETRI redeamus, Socin. ea ita eludere volunt, ut dicant, Christum non *tuliſſe*, sed *abſtuliſſe* peccata nostra, id est, feciſſe doctrinâ suâ, ut fœderis conditiones implendo peccatorum obtineamus veniam; at etsi נשא etiam designet *auferre*, & adhibeatur, ubi sermo de condonatione, tamen in loco ESAIÆ interpretationem hanc planè non admittit: tùm quià in illo *Cap.* de portatione & imputatione pœnæ clarè satis agitur, tum quià adjunctam habet vocem סבל, quæ nunquàm *auferre*, sed *ferre*, *bajulare* notat; vox ἀνήνεγκε apud PETRUM non potest denotare *abſtulit*: tum quià (Judice Ill. GROTIÒ *de ſatisf. Cap.* 1. §. 13.) nec particula ἀνὰ eam patitur interpretationem, nec quisquam græcus Scriptor ita usus est illa voce; in N. T. etiam vox illa significat non *auferre* sed *ſurſum ferre*, *ſurſum ducere*, Matth. 17: 1. Marc. 9: 2. Luc. 24: 51. & de victimis adhibetur, quià in locum superiorem, aram ducebantur Heb. 7: 27. Jac. 2: 21. & quòd apud PETRUM ita sumenda sit, patet, tùm quià mentio fit ligni, tùm quià PETRUS de Christo loquitur ad patientiam Ejus ostendendam, hæc verò se prodit non auferendo, sed ferendo; etiam Heb. 9: 28. [quem locum objicit SOCINUS] benè potest denotare *ſurſum ferre*, judice Virò modò laudatò *l. cit.* Cæterum etsi daretur vocem Hebr. apud ESAIAM & græcam apud PETRUM ambiguam esse, tamen adjuncta mentio passionum Christi ac liberationis nostræ determinarent significatum (§. 169.): namque peccata ferre, ita ut alii liberentur, non potest aliud denotare nisi pœnam suscipere locò alterius, peccata etiam ferendo Christus deinde quoque abstulit, ut auferre sit consequens τῷ ferre, hùc facit Col. 2: 13. 14. vid. quoad locum illum ESAIÆ etiam HOORNBECK, ubi modò, p. 539. 540. & quoad locum Petrinum p. 559. 560. nec non quoad utrumque OUTRAMUS *de ſacrificiis Lib.* 2. *C.* 5. §. 8--10. addimus adhuc locum Gal. 3: 13. ad probandum, quòd Christus se substituerit

pro

pro nobis pœnam ferendo: dicitur enim ibi factus pro nobis κατάρα, dum ut suspensus de cruce fiebat ἐπικατάρατος, id est pœnæ à Deo irrogatæ obnoxius, eæque ignominiosissimæ: suspensus enim Mosi, è quo PAULUS argumentatur, nominatur קללת אלהים Deut. 21:23. talis autem Christus factus ὑπὲρ ἡμῶν, *locô, vice nostrûm*. De cætero substitutio Christi, seu quòd locô ac vice nostrâ passus & mortuus sit, est centrum ferè Theologiæ, articulorum nempe purorum (§. 188.), quocum hi omnes arctè connectuntur & ex eo egrediuntur ut radii, vel & eò tendunt, ut non dubitabit nexum veritatum revelatarum perspiciens (§. 191.); è sequentibus, quæ dicentur, plura & articulo huic confirmando inservient.

927. Pessimè igitur Socin. contendunt, Christum passiones mortemque subiisse non pro nobis seu vice ac locô nostro, substitutione vicariâ, sed nonnisi bono nostro, ut doctrinam à Se annuntiatam de voluntate Dei gratiosa erga nos confirmaret, patientiæ ac perseverantiæ exemplum præberet, & nobis pressis eò libentius opitularetur. *Quod pessimè negant Socin.*

Socin. nempe quià negant Deitatem Filii (§. 351.), passionibus mortique Ipsius secundùm humanam naturam neutiquam talem possunt tribuere valorem, ut aliis liberandis nedum multis millibus sufficeret; Christus idcò vice ac loco horum passus & mortuus non est, imò id nequidem necesse fuit: cùm Deus juxta ipsos peccatum impunitum dimittat (§. 317.), etiam sine pœna vicaria (ib.), locutiones hinc Scripturæ substitutionem Christi vicariam indicantes (sch. 1. 2. §. 926.) enervandæ, ut indigitent, *bono nostro* Christum mortuum, & pro causis mortis Christi allegandæ illæ (præs. §.) memoratæ, quas Orthodoxi omninò admittunt, interim aliam adhuc & præcipuam præstruunt, scil. liberationem per pœnæ vicariæ susceptionem: aliàs quippe non posset dicere PAULUS, *unô mortuô pro omnibus omnes sunt mortui*, 2. Cor. 5:15. & frustrà quæreret, num pro fidelibus sit crucifixus 1. Cor. 1:13. siquidem potuisset bono ipsorum crucifigi, uti bono ipsorum passiones subiit Col. 1:24. solent autem Socin.

aliquando de morte Christi, quare eam subierit, ita loqui ferè uti Orthodoxi, atque sic fucum facere; cæterùm de causis mortis Christi, quas allegant, vid., quæ contra eos disputat, GROTIUS *de satisfact. Cap.* 1. §. 27--31.

Mortem subiit violentam ac cruentam, & quare.

§. 928. Qui mortem pro aliis subit, is eò ipsò mortem subire violentam intelligitur; *Christus* igitur *mortem subiit violentam* (§. 926.) *eamque cruentam pro nobis* Matth. 26:28. Luc. 22:20. *quod debuit fieri:* cùm enim mortem ùt peccatorum nostrorum pœnam tulerit, siquidem ob peccata nostra liberatio per pœnam Sponsoris vicariam & quidem mortem requirebatur (§. 844. 847. 861. 924.), Deus, cujus justitiæ Christus satisfacere debuit (§. 856. 857.), talem Ei pœnam debuit imponere, per quam omnino ostenderet justitiam vindicativam (§. 315.), odium peccati (§. 328.); talis pœna autem mors violenta, quæ simùl sit cruenta, seu cum sanguinis fusione conjuncta.

Sch. 1. Deus Pater Christo Filio talem mortem irrogavit: est enim ille Judex in liberationis opere (sch. §. 860.), hinc Filio pœnam irrogavit, ut etiam docent loca allegata (sch. 1. §. 861.), quibus adde Rom. 8:32. & ideò ad peccati atrocitatem ostendendam, præter mortem cruentam etiam simùl ignominiosam inflixit, talis autem erat supplicium crucis (sch. 2. §. 898.), Apostoli nempe mortem Christi considerant non tam ut malum, quod indignè perpessus est ab hostibus, Judæis & Gentilibus, verùm ut pœnam ab ipso Deo irrogatam, uti è multis N. T. locis videre est, ex. gr. præter loca commemorata, Act. 2:23. 4:28. Rom. 3:23.

Sch. 2. Supplicium idem gravius esse, si simùl sanguinis fusionem habeat conjunctam, quàm si non, nemo negaverit, & ita reputatur inter homines, ideò Christus sanguinem quoque fundere voluit, ut & propterea, quò de veritate mortis Ipsius nullum amplius superesset dubium, Joh. 19:34. quià enim mors Ejus requireba-

rebatur (§. 924.), etiam requirebatur, ut veritatem mortis testatam certamque redderet; præterea sine sanguinis effusione peccatorum condonatio non impetratur, Heb. 9:22. qui locus etsi agat de condonatione typica, tamen rectè hanc in rem allegatur: nam si in typo res ita se habuit, etiam in anti-typo non aliter potuit, nec debuit; sanguini Christi hinc, nempe quâ effuso, liberatio nostra passim adscribitur in N. T., vid. Act. 20:28. Rom. 3:25. Eph. 1:7. 2:13. Col. 1:14. 20, Heb. 9:12. 1. Pet. 1:2. 1. Joh. 1:7. Apoc. 1:5. & quia fuit sanguis naturæ humanæ illius, cum qua natura Divina personaliter unita (§. 884.), ideò evenit pretiosus (§. 894. 895.), & hinc ita appellatur in Scriptura 1. Pet. 1:19. contradistinctè ad sanguinem victimarum in V. T.

929. Quandoquidem Christus mortem subiit violentam (§. 928.), cum sanguinis effusione conjunctam (ib.), atque ita trucidatus est Act. 2:23. eôdem modò fuit tractatus, quò victimæ in V. T., quæ mactbantur, & in sacrificia fiebant, *Christus ideò eâtenus fuit victima & passio Ipsius ac mors sacrificium*, Es. 53:7. 10. 1. Cor. 5:7. Eph. 5:2. Heb. 10:14. Apoc. 5:12. *Ideò fuit victima & sacrificium.*

Sch. 1. Quando dicimus, Christum fuisse *eâtenus* victimam & sacrificium, minimè innuere volumus, Ipsum non verè ita posse dici, & passionem ac mortem Ipsius non fuisse reipsâ sacrificium, absit! mox enim dicemus, deprehendi hic essentialia vel substantialia sacrificii; sed tantum innuere volumus, Christum non talem fuisse victimam, quales illæ V. T., [hæ quippe è pecudibus sumebantur,] nec tali modò mactatum fuisse & oblatum, uti illas in V. T.

Sch. 2. In sacrificiis V. T. præcipuum erat effusio sanguinis ejusque sparsio זריקה dicta, qua de vid. Outramus *de sacrif. Lib.* 1. C. 16. §. 2.-6. & Relandus *antiq. S. P.* 3. C. 1. §. 21-27. prærequirebatur impositio manuum, (סמיכה) facienda à domino, seu eo, qui pecudem dabat in sacrificium, conjuncta erat confessio peccatorum, (וידוי) quâ reus dicebat, *obsecro Domine,*

mine, peccavi, deliqui, rebellavi, hoc & illud feci, nunc autem pœnitentiam ago, וזה כפרתי *sitque hæc* [scil. hostia] *expiatio mea*, quô ritu indicabatur pecudem sacrificalem substitui in hominis delinquentis locum, ipsumque esse dignum, qui ita tractetur; Judæi sanè ipi docent, tali sacrificio fieri כפר, תמורה, λύτρον *permutationem*, animam victimæ dari תחת הנפש החוטא *loco animæ peccantis*, atque adeò victimam esse vicariam, succedaneam hominis; inde quoque terent pecudem coinquinatam fuisse ob peccata hâc ratione in eam conjecta, uti hæc Judæorum testimoniis probat OUTRAMUS *Lib.* 1. *C.* 22. §. 4 -- 12. ita impositione manuum συμβολικῶς peccata in bestiam transferebantur, vid. idem *Cap.* 21. hanc in rem autem comparata erant sacrificia ἱλαστικα, inter quæ præcipua חטאה & אשם, quorum illud dicitur sacrificium *peculiare*, hoc autem *pro delicto*, & quorum discrimen Eruditis aliâs non perveſtigatum solerter evolvit Eruditiss. RELANDUS *Antiq. S. P.* 3. *C.* 4. §. 4. Atque ita scholâ sacrificali in subsidium advocatâ mirificè confirmatur substitutio Christi vicaria (§. 926. & sch. 2. ib.): quippe sacrificia V. T. præfigurabant sacrificium Christi, ut vel sola ad Hebr. Epist. sat superque docet, vid. interim OUTRAMUS *Lib.* 1. C. 18. hinc Christus appellatur ἁμαρτία 2. Cor. 5: 21. quâ voce redditur Hebr. חטאה *sacrificium pro peccato*, appellatur etiam אשם Es. 53: 10.

Sch. 3. Eôdem ferè modô de victimis suis peculiaribus gentes existimabant: siquidem iis imprecando, crimina quasi imponebant, unde in illas translata pollutas credidisse videntur: siquidem, qui circa illas operati, fonte aut fluvio expurgandi erant, vid. OUTRAMUS L. 1. C. 22. §. 13. seq. etiam victimas ut pro hominibus substitutas censebant, hinc apud eundem §. 17. PORPHYRIUS sacrificium ex animalibus datum dicit, ubi tempora postulaverint ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς, quod idem est cum illo, uti etiam dixit, εἰς ἀποτροπὴν τίνων κακῶν; putabant, quod GROTIUS allegat auctorem non nominans *de satisf. Cap.* 10. §. 14. victimas λύτρα τῆς σφῶν ψυχῆς ἀντίψυχα, ὥσπερ ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς; item *pro* seu *loco* hominum animalia trucidari, ut peccata illorum

rum luantur, quod dicebant *piari*, unde *piaculum*, quam in rem sanginem requiri, audiamus eundem Virum incomparabilem ubi modô §. 15. »notandum-»que imprimis, sæpissimè, cùm de sacris expiatoriis »agitur, *sanguinis* fieri mentionem, quià ex vetustis-»sima Dei Lege Noacho data Gen. 9: 4. atque inde ad »populos omnes propagata sanguis est vice animæ, »ac propterea *animæ* nomine appellatur, hinc illud »Virgilii

Sanguine quærendi reditus, animâque litandum.

»quæ verba explicans ------ Macrobius, eas hostias »ait *animales* fuisse appellatas; —— *piari* propriè »dicuntur ipsa peccata, hoc est, lui, sive solvendo »pœnam debitam, sive aliud, quod pœnæ debitæ in »locum succedit, ut ecce apud Virgilium

——— *Et culpam miserorum morte piabunt.*

»hoc est, efficient, ut luantur; ---- sed in sacrificiis »*piare* est luere per successionem rei alterius in locum »pœnæ debitæ, hinc Plautus

Men' piacularem oportet fieri ob stultitiam tuam,
Ut meum tergum stultitiæ tuæ subdas succedaneum?

»hinc Auctor distichorum, quæ Catonis nomen præ-»ferunt, ait

Cùm sis ipse nocens, moritur cur victima pro te?

»ubi *pro te* est tuô locô, atque ibidem eos, qui victi-»mas offerunt, ait morte alterius suam salutem sperare; »hinc *piacula* propriè ipsa sacrificia, ---- *teque piacula* »*nulla resolvent*, Horatius; quæ & *piamina* Ovidius, »---- & *piamenta* Plinio; impropriè *piacula* crimina, »propter quæ piacula debentur.» A sacrificiis pecudum autem gentes veniebant ad sacrificia humana: pœnæ enim æstimationem ab ejus, quod sacrificaretur, præcellentia derivantes (sch. §. 925.), putabant inde, facilius se scelerum veniam ac malorum aversionem impetraturos, si Diis homines sacrificent; agit de hisce sacrificiis ibidem Grotius §. 17--20. vid. etiam Commentatores ad *Min. Fel. Octav. Cap.* 30. cæterùm hæc & alia plurima, quæ Grotius *Cap. cit.* eruditissimè affert, quomodo in usum suum convertat ad Socinum quoad sacrificium Christi refutandum, instituti brevitas commemorare non permittit, vid. ipse §. 21. seq.

930. Quoniam Christus victimæ *Fuit etiam*

Sacerdos. ad instar mactatus & ita sacrificium factus est (§. 929.), Ipse verò lubens & volens ita tractatus fuit (§. 862.) [quippe ùt Deus (§. 880.) facile se miraculò eripere potuisset (§. 919.) è manibus hostium] tantundem fuit, ac si Ipse se mactasset atque obtulisset, victimas verò mactare & sacrificare in V. T. fuit Sacerdotum, *Christus* ergo *fuit Sacerdos oblatione sui Ipsius* Heb. 5:6. 7:17.26. 8:1.

Sch. 1. Cùm itaque Christus eâpropter seipsum obtulisse & sacrificasse rectè dici possit, quòd voluerit sacrificium fieri, & voluntariò se ab hostibus trucidari passus sit, patet difficultatem tùm nullam relinqui, qnomodo nempè quis simùl posset esse Sacerdos & sacrificium; posset autem cui in mentem venire, an non ii, qui Christum trucidarunt, hostes Ejus, possent dici Sacerdotes: siquidem Sacerdotes trucidabant victimas: at cum, qui Christum trucidarunt, Eum tractaverint ut maleficum, neutiquàm verò in animo habuerint, Eum in Sacrificium constituendi, adeòque à cogitatione & intentione, qualis ad sacrificandum requirebatur, procùl abfuerint, neutiquàm possunt dici Sacerdotes: non enim negotium cum Christo peragebant ut Cultum Divinum, ad quem verò sacrificia pertinebant. Cæterùm voluntariâ hâc sui oblatione Christum testatum fuisse summum erga nos amorem nemo non videt 2. Cor. 5:14. Eph. 3:19. qui sanè aliàs non eluxisset.

Sch. 2. Sacerdotes agebant res hominum apud Deum, τὰ πρὸς τὸν θεὸν Heb. 5:1. quod fiebat offerendo sacrificia pro peccatis & dona, quô Dei gratiam vel impetrarent populo vel commemorarent, atque adeò hominum erant apud Deum Patroni unde spontè discrimen se prodit magnum, intercedens Sacerdotem inter & Prophetam: [hi enim res Dei apud homines agebant, erantque legati Dei ad homines 2. Cor. 5:20.] ac inde Sacerdotium Christi dicendum est consistere in Patrocinio hominum apud Deum, uti hæc benè observat OUTRAMUS *de Sacrif. L.* 1. *C.* 19. §. 5. & *L.* 2. *C.* 1. §. 1. Patrocinium nempè hoc Christus ita gessit & adhuc dum gerit, ut sacrificiô in terris oblatô hominibus gratiam Dei impetraverit, eamque virtute illius applicet,

cet, atque ita hominum causam & egerit & adhucdum agat apud Deum. Cæterum Christus non tantùm est ac dicitur Sacerdos, verùm Sacerdos summus Heb. 3:1. 5:5. superiorem quippè habere nequit (§. 880.), nec etiam Successorem: quippè juxta ordinem Melchisedeci Heb. 5:6. 7:21. porro pro se sacrificare opus non habebat, uti Sacerdotes summi in V. T. 7:27. nec etiam sacrificium repetere, ut etiam hi 9:25.28. 10:12. ut præcellentior multò fuerit his, ideò dictus ἀρχιερεὺς μέγας 4:4. ex his etiam patet Sacerdotium propriè dictum S. literas Christo tribuere, dum nomen & actus Sacerdotales de Ipso prædicantur, præterea ut Patronus causam nostram agere dicitur, Rom. 8:34. 1. Joh. 2:1. vid. pluribus Outramus *Lib.* 2. *C.* 2.

Sch. 3. Cæterum cùm Sacerdos sit Patronus hominum apud Deum, facilè patet, si quis debeat munere istô ita fungi, ut nil desideretur, adeòque perfectus esse Sacerdos, eum oportere 1. tantâ apud Deum gratiâ ac authoritate valere, ut suis, quorum patrocinium agit, ab ipso impetret, quæ velit; 2. tantâ erga eos seu clientes esse bonitate & misericordiâ, ut eorum bono sedulò præstare velit omnia; 3. Vitâ gaudere immortali, ut perpetuò iis opem ferre possit, nec clientes cujuscunque temporis Patronô orbentur; hisce tribus requisitis autem gaudere J. Christum facilè conficitur: 1. namque maximâ apud Deum gratiâ & authoritate valet, quia est unigenitus Ipsius Filius (sch. 1. §. 370.), quia sedet ad dextram Dei (§. 908.), quia perfectâ sanctitate Eum glorificavit (§. 879. 918.), & obediens Ei fuit ad crucem usque Phil. 2:8. 2. maximâ erga suos est misericordiâ & plenus affectu gratioso, Heb. 2:17.18. 4:15.16. 3. vitâ gaudet immortali, mortis vinculis solutus (§. 903. 906.), semperque potest opitulari clientibus διὰ τὸ μένειν αὐτὸν εἰς τὸν αἰῶνα, & ἀπαράβατον ἔχειν τὴν ἱερωσύνην, Heb. 7:24. & quia est πάντοτε ζῶν v. 25. ut adeò Pontifex noster sit numeris omnibus absolutus, uti benè observat Outramus *de sacrif. L.* 2. *C.* 1. §. 4.

931. Cùm sacrificium & Sacerdotium Christi consistat in actibus, quos Christus in terra peregit vel subiit (§. 929. 930.), sequitur *male Socin. contendere, utrumque demum in cœlis locum habuisse.* *Error Socin.* *Sch.* 1.

Sch. 1. Socin. quià negant, Christum se pro nobis in passionibus suis ac morte substituisse (§. 927.), etiam non possunt non negare, passiones eas mortemque fuisse sacrificium, nempè proprie tale: tale enim substitutionem indicat (sch. 2. §. 929.); at ubi non sacrificium, ibi nec Sacerdos, ideò sacrificium & Sacerdotium Christi nonnisi metaphoricum tuentur (sch. 3. §. 172.), adeòque reipsâ nullum: non enim sanguinis fusionem sed sanguinis fusi repræsentationem in cœlo sacrificium Christi esse dicunt, & Sacerdotium ejus collocant in voluntate nos juvandi, in cœlo demùm inceptum; effectum adeò cum causa confundentes, hancque penitùs tollentes, cùm tamen utrumque sit conjugendum, & hinc minimè obstet, quem Socin. objiciunt, locus Heb. 8: 2. 4. quippè non excludit victimas offerre, v. 3. præterea locus iste sibi vult, Christum non debuisse esse è Sacerdotibus Aaronidis, τῶν ἐπὶ γῆς; Paulus sanè in Ep. Hebr. non potuisset Christum appellare ἀρχιερέα, nedùm toties, si talem se demùm in cœlis gessisset: quippè in Pontifice requirit, ut ex hominibus desumtus pro iis offerat dona & sacrificia pro peccatis Heb. 5: 1. prætermittimus alia videnda apud HOORNBECKIUM *Socin. conf. to.* 2. *p.* 604--606. & OUTRAMUM *de sacrif. Lib.* 2. *Cap.* 2.

Sch. 2. Inde etiam Socin, quià sacrificium Christi demùm in cœlo ab Ipso peragi volunt, postquàm cœleste Sacrarium ingressus, [ad similitudinem Pontificis in V. T. sanctum Sanctorum semel id est unicò die quotannis ingredientis, Heb. 9: 7. 11. 12. 24. scil. יום הכפרים Lev. 23: 27.] solum hocce sacrificium anniversarium, quo de Lev. 16. volunt fuisse typum Sacrificii Christi, cùm tamen & reliqua fuisse typos istius apertè liqueat vel ex Heb. 9: 13. 14. 22. 23. 10: 11. 12. Christum quoque peccatum pro nobis factum 2. Cor. 5: 21. eò sensu dicunt, quòd se innocentem tractari voluerit & siverit ut hominem pessimum, idque bono nostro; at vel schola sacrificalis hanc interpretationem profligat (sch. 2. §. 929.), præterea particulæ ὑπὲρ, ἀντὶ &c. (sch. 1. §. 926.); nec aliquò exemplò probari potest, *peccatum fieri* significare *pro peccatore quendam haberi*, præsertim ubi à Deo id fieri dicitur.

Remissio pec-

932. Quando Deus homini non infligit

infligit pœnam ob peccata ipsi debitam (§. 837.), dicitur *peccata* ipsi *remittere* vel *condonare*, ut adeò *remissio* vel *condonatio peccatorum* sit omissio actûs pœnam ob peccata aliàs debitam infligendi. *catorum quid.*

Gr. ἄφεσις & ἀφιέναι, *missum*, *dimissum facere.*

933. *Remissio adeò vel condonatio peccatorum est liberationis consequens, ex ea immediate & per se fluens:* ubi enim obligatio ad pœnam subeundam soluta est vel tollitur [nempe per Sponsorem] quod fit in liberatione (§. 844.), ibi Judex actum infligendi pœnam non potest non omittere, ob justitiam, cui tùnc satisfactum (§. 856.). *Coroll.*

Remissio vel condonatio ideò magis respicit Judicem, seu est & consideratur ut actus hujus, liberatio verò magis sponsorem, & ut actus hujus consideratur.

934. *Christus sacrificiò suò voluit nobis impetrare remissionem peccatorum:* voluit enim pœnam nobis ob peccata debitam in se suscipere (§. 861.), seu pro nobis ac locò nostrò pati & mori (§. 924. 926.), ubi verò id fit, ibi contingit liberatio (§. 847.), nempe rei seu sontis; at ubi liberatio, ibi & remissio peccatorum (§. 933.). *Illam Christus sacrificiò suò impetrare voluit.*

Ideò Christus ipse dixit, se sanguinem suum fundere velle ad remissionem peccatorum Matth. 26: 28. ac præcipuè ob sanguinis fusionem fuit Ipse sacrificium (sch. 2. §. 929.), & sanguini Ejus ut effectus adscribitur remissio peccatorum Eph. 1: 7. Col. 1: 14. nempè quâ effuso: nam ubi de sanguine tali modò sermo, ibi semper ut effusus intelligitur ac consideratur.

935. Inde *& peccata nostra Christo fuerunt imputanda, & reipsâ imputata fuêre:* namque ubi peccator pro tali reputari non debet quâ consequens *Peccata nostra Ipsi imputata fuêre.*

peccati

peccati seu pœnam (§. 800.), dum hanc ipsi non infligere cogitat Judex, adeòque imputationem actualem adversus eum non instituit (§. 801.), ibi alius debet substitui (§. 848.), pœnam in se suscipiendo peccatori debitam (§. 847.), tùnc autem malefacta hujus quâ consequens ipsi imputantur, quare cùm Christus pro nobis debuerit substitui (§. 922.), ac reapse ita substitutus fuerit (§. 926. & sch. 1. 2. ib.), etiam peccata nostra Ipsi fuerunt imputanda, ac imputata fuêre.

Sch. 1. Id equidem jam indicatum fuit (sch. 1. §. 861.), ut aliquid è sponsione Christi fluens, hic autem ut convenienti locò specialiter τὸ πᾶς & necessitas ejus ostendi debuit; docent hanc imputationem peccatorum nostrorum Christo factam, præter loca ibid. commemorata, omnia illa, quæ substitutionem indicant (sch. 1. 2. §. 926.), item, quæ Christum Sacrificium dicunt: victimis enim peccata aliorum imponebantur (sch. 2. §. 929.), & ita imputabantur.

Sch. 2. Christo dum peccata nostra, à quibus tamen alienus fuit & longè remotus (§. 879. 918.), fuêre imputata, eò ipsò facta aliena Ei fuerunt imputata, quod adeò est secundum imputationis facti alieni exemplum in Theologia revelata occurrens: primum enim est illud de imputatione peccati primi Adamici posteris Ipsius (sch. 3. §. 807.).

Sch. 3. Uti autem factum alienum cuidam imputari nequit, nisi accedente consensu vel in factum ipsum vel in imputationem (§. 803.), Christus verò, quià alienus fuit ab omni peccato, [ut modò dictum] etiam à consensu in peccatum quodcunque alienus fuit, peccata ideò nostra Ipsi imputata fuêre ob consensum in imputationem: in hanc quippe consensum dedit per sponsionem æternam (§. 456.); imputatio itaque hæc, quoad consequens peccati seu pœnam Christo irrogandam, quæ fiebat à Deo Judice (sch. 1. §. 928.), salvis hujus perfectionibus ab Ipso fiebat, ob consensum Filii: volenti enim non fit injuria, & quæ quoad substitutionem vicariam dicta sunt (§. 863.), quòd perfectionibus Dei non contrarietur, ea simùl de imputatione dicta sunt,

sunt : hæc enim ex illa immediatè ac per se fluit, ut facilè intelligitur è §. præs. (935.). Monemus tantùm, consensum Christi in hanc imputationem efficere *conjunctionem voluntariam* inter Eum & illos, pro quibus spospondit; dum verò Rex voluit fieri eorum, quos placamentò præstandò liberare voluit (sch. §. 454.), oritur inde conjunctio *mystica* inter Ipsum & eos, quorum peccata Ei imputata; & tandem dum homo est factus (§. 877. 878.), inde orta est conjunctio *naturalis;* uti has distinctiones benè suppeditat Grotius *de sacrif. Cap.* 4. §. 10.

Sacrificium suum Christus obtulit Patri suo.

936. Inde porro perspicitur, *Christum Sacrificium suum obtulisse Deo Patri suo :* cùm enim id obtulerit ad remissionem peccatorum impetrandam (§. 934.), peccata verò remittere sit Judicis (§. 933.), Dei solius Marc. 2:7. oportet Judici Deo obtulerit, at Judex in opere liberationis est Deus Pater (sch. 1. §. 861.), huic ideò se Christus obtulit, Heb. 9:14.

Sch. 1. Omnia etiam sacrificia circa Deum primò ac propriè non verò circa homines versabantur, vid. hoc probantem Outramum *de sacrif. Lib.* 1. *Cap.* 19. ostendebant id ritus, qui sacrificia comitabantur, locus, ubi, & personæ: à quibus immolabantur; etiam impiorum sacrificia circa Deum versata fuisse dici possunt, non minùs quàm hodiedum preces impiorum: quàmvis enim non rectè peragerentur, tamen suâ naturâ in hunc finem erant comparata. Judæi quoque & Gentiles ipsi ita existimabant, sacrificia sua nempè circa Deum versari, uti eruditè id utrorumque adductis testimoniis ostendit idem Vir laud. *Cap.* 20. inde & apud posteriores in usu erant *preces sacrificales* θυσίδες, λιται, αἱ διὰ τῶν θυσιῶν γινόμεναι λιταί; & credebant, sacrificia vim habere Deos placandi, unde locutiones de vi sacrificiorum ipsis adhibitæ θεὸς ἱλάσθαι & ἱλάσκεσθαι, item *supplicare, placare, propitiare, impetrare, litare, perlitare,* vid. Ipse, ubi modò §. 5. 6. Quoad Judæorum sacrificia probatur illud etiam inde, quia omnia ista eò erant comparata, ut ii, pro quibus offerebantur, gratiam Dei vel impetrarent, vel commemorarent,

morarent; uti duplicem hunc & generalem sacrificiorum finem quoque docet PHILO citatus OUTRAMO, ubi modò, §. 1. prioris generis sacrificia erant ἐυκτικὰ, inter quæ præcipuè piacularia & pro delicto, posterioris *eucharistica* (תודות) ut hinc omnia V. T. sacrificia circa Deum versata fuerint, atque adeò & Ipsi oblata, hinc & sacrificium Christi, illorum antitypus.

Sch. 2. Cùm Sacrificium Christi consistat in fusione sanguinis ac morte (§. 929.), quas subiit ut pœnas peccatorum nostrorum à Deo Judice Ipsi irrogatas (sch. 1. §. 928.), patet tantundem esse, sive dicatur, Jesum se pro nobis sacrificium Deo obtulisse, sive, Ipsum â Deo locô nostrô punitum esse. Quòd verò Deus Eum salvis suis perfectionibus & justè, cùm fuerit innocentissimus, locô nostrô punire & sacrificium piaculare facere potuerit, intelligitur è dictis (§. 863. & sch. ib.), quæ repetere opus non est; addimus hîc tantùm, quod ibi nondum commemoratum, id potuisse justè à Deo fieri ob triplicem illam conjunctionem Christi nobiscum (sch. 3. §. 935.), quarum fortissima *voluntaria*, in consensu consistens, vel sponsione, licèt nec cæteræ duæ conjunctiones prorsus sint excludendæ, verùm cùm accedant, eò minùs inde punitio Christi locô nostrô injusta relinquitur. Eruditè hac de re disputat GROTIUS *de satisfactione Capite* 4. contra SOCINUM, falsò provocantem ad populorum instituta, & tuentem, ea nunquam permisisse, corporalem pœnam ab altero seu vicario solvi; nonnisi de conjunctione voluntaria seu consensu paucula quædam ex eo audiamus, ita autem ille §. 14. »cæterum »ubi consensus aliquis antecederet, fermè ausim dice»re, omnium eorum, quos paganos dicimus, nemi»nem fuisse, qui alienum ob alterius delictum puniri »injustum duceret, ostendit hoc jus occidendorum ob»fidium, humanissimis etiam populis usitatum, Thes»sali olim ducentos quinquaginta obsides interfece»runt, ut narrat PLUTARCHUS; Romani Volscos tre»centos securi percussêre; Tarentinos dejecerunt de »saxo Tarpejo, ut est apud LIVIUM; Gothorum, »Dacorum, Anglorum similia exstant exempla, & ut »rectè notarunt Viri Doctissimi, ita jus esse creditum »est; sic & in capitalibus judiciis vades capite ple»cti solitos, si rei se non sisterent, unde græcis ἀντί-

ψυχοι

»ψυχοι *vicem animæ præstantes* appellantur, tum aliun»de, tùm ex nobili illa Damonis & Pythiæ historia satis »apparet;» exempla etiam è Sacris producit punitorum ob peccata aliena §. 3. adeòque quasi in sacrificia factorum, ex Gen. 9:25. Ex. 20:5. 34:7. Jos. 7:24. 2. Sam. 21:8. 9. 24:15. 17. 1. Reg. 14:10. Thren. 5:7.

Per id actu impetravit peccatorum remissionem.

937. *Etiam actu Jesus per sacrificium suum nobis comparavit remissionem peccatorum:* namque sacrificium Ipsius hanc virtutem & hunc valorem habuit, quià fuit Filii Dei (§. 858. 861. 880.). unde & repeti non opùs fuit Heb. 7:16. 17. 9:26. 28. Deinde cùm Deus promiserit in æterno Testamento gratiæ quibusdam liberationem à pœna impertiri ob placamentum Filii præstandum (§. 453. 454. 660.), non potest aliter quàm id actu implere, vi veracitatis suæ (§. 305.), & decreti immutabilis (§. 419. 445.); tandem si Christus non actu impetrasset remissionem peccatorum, Deus Judex vi justitiæ suæ (§. 316.) Eum ùt Sponsorem non dimisisset à pœna: siquidem Christus non præstitisset, quæ præstare in se suscepit (§. 454. 861.), at verò Deus Judex Sponsorem dimisit, Es. 53:8. resuscitando è mortuis (sch. 2. §. 901. 906.).

Remissio peccatorum ùt actu impetrata ideò sanguini Christi adscribitur Eph. 1:7. Col. 1:14. est adeò impunitas nostra id, quod per sacrificium Christi fuit impetratum, vid. Grotius *de satisfact. Cap.* 1. §. 25. 26. cujus impunitatis vel remissionis peccatorum sacrificium Christi est causa, non tantùm testimonium vel confirmatio, ut Socin. vellent: nam alioquin etiam martyres possent dici fudisse sanguinem in remissionem peccatorum, ùt rectè monet idem §. 27. ut alia prætermittamus; cæterùm Christum impetrasse remissionem peccatorum infra etiam ex aliis principiis ostendetur, ubi de pœna æquivalente.

Fuit propitiatorium. 938. Sacrificium, quod tendit ad pœnam Dei, quæ aliàs metuitur, avertendum, seu iram Ejus (§. 330.), dicitur *propitiatorium*, igitur *sacrificium Christi fuit propitiatorium* (§ 932. 934.).

Sanguine Christi dicimur servandi ab ira Rom. 5: 9. id est pœna, uti ira aliquoties in eadem Epist. pœnam designat, 3: 5. 4: 15. 13: 4. talia sacrificia gr. ἱλασικα, unde ἱλασμὸς 1. Joh. 2: 2. quo de mox; *propitiare* etiam vox in Sacris gentilium satis usitata.

Eô Deum nobis placatum reddidit. 939. Cùm Christus sacrificiô suô nobis impetraverit remissionem peccatorum (§. 937.), adeòque effecerit, ut Deus pœnam nobis aliàs debitam non infligeret (§. 932.), *sacrificiô suô Deum nobis placatum reddidit*, & *sacrificium Ipsius fuit placamentum* (per defin. §. 91.).

Sch. 1. Inde Christus dicitur ἱλασμὸς locô modô cit. 1. Joh. 2: 2. & 4: 10. *placamentum* vel *placamen*, ita nempe dicitur tum actus, tum id, quô is peragitur, Judice GROTIÔ *de satisf.* C. 7. §. 2. dicitur etiam ἱλαστήριον Christus per sanguinem suum Rom. 3: 24. adeòque sanguini Ipsius, hinc quâtenus sacrificium fuit, vis & actus Deum placandi adscribitur: ἱλάσκεσθαι namque apud omnes Scriptores græcos notat *placare*, quod est iram alicujus avertere; ut malè SOCINUS per id intelligat peccati destructionem, & ἱλαστήριον apud PAULUM exponat per id, quô Deus se placatum ostendit: cùm non possit esse aliud quid, quàm apud JOANNEM ἱλασμὸς, vid. GROTIUS ib. §. 3. 4. inde juxta SOCINUM Christus non Deum nobiscum placavit, seu Ejus iram erga nos avertit, sed nos cum Deo placavit, retrahendo nimirum à peccatis; & sacrificiô suô metaphoricô confirmavit, Deum esse jam ante & per se placatum, dum peccata nobis gratis remittere velit, cujus πρώτως ψεύδη indicata (sch. §. 927.).

Sch. 2. Christus dum iram hinc & odium Dei (§. 328. 330.) erga nos avertit, inimicitiam etiam Dei erga nos sustulit: ubi enim inimicitia & hostilitas, ibi odium (*Mor.* §. 788.), pacem etiam Dei erga nos restituit; pax namque est, ubi nulla hostilitas (*Mor.* §. 880.), inde

inde dicitur super Ipso vel in Ipso esse מוסר שלומנו *castigatio pacis nostræ*, Es. 53:5. dicitur per sanguinem suum esse ἡ εἰρήνη ἡμῶν Eph. 2:13. 14. per crucem occidisse inimicitiam v. 16. licèt enim Apostolus loquatur de unitis inter se Judæis ac gentibus, unitio tamen cum Deo præstruitur ut fundamentum; dicitur εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ Col. 1:20. Antequàm Christus Deum nobis placatum reddidit, Deus fuit *placabilis*, ut ineptè objiceretur, quod fecit Socinus, oportere Deum fuisse placatissimum jam antèa, quià aliàs Christum non misisset ad placationem faciendam, vid. Grotius, ubi modò §. 13. qui & benè §. 14. momenta placationis hujus ita distinguit, quòd primum fuerit in æterno pacis consilio (§. 460.), secundum in morte Christi (§. 898.), tertium, quando homo ad fidem sanctitatemque perducitur (§. 435. & sch. ib.).

Sch. 3. Gentiles etiam existimabant, Deos iratos placari posse victimis, audiamus paulisper Virum Ill. H. Grotium, lib. sæpius jam laud. *Cap.* 10. §. 14. »persuasissimum ergo habebant gentes istæ, delictis homi»num offendi & irasci Deos, —— iram tamen hanc »sperabant averti posse quibusdam victimis; his dicebatur *placari Numen*, reus ipse aut homo aut populus »*purgari*, sive antiquò verbò, *februari*, peccatum ipsum »*piari* atque *lustrari*, quare eadem sacrificia dicebantur »ἱλαστικὰ, ἁγνιστικὰ, καθαρτικὰ, latinè, *placamina*, »*februa*, *piamina*; vox ἱλάσκεσθαι *placare* ad victimas ab Homero aliisque sæpissimè aptatur; —— Plutarchus *in Romanis* καθάρσια interpretatur ἀποτρόπαια, hoc est, *averruncæ*, *iram Divinam avertentia*; »*placandi* voce apud Virgilium aliosque in Sacris nihil »frequentius, cujus vim Horatius ita expressit

mactatâ veniet mitior hostiâ,

»Livius sæpè, *pacem Deos exposcere*; Plinius *petere* »*gratiam esse* ait *in Deorum placamentis*; præcipuè verò victimis humanis Numina placari credebant: arbitrabantur enim, quod Cæsar dixit de Gallis loquens *B. G. L.* 6. *C.* 16. citatus Grotio ib. §. 17. & Outramo *sacrif. L.* 1. *C.* 20. §. 6. *pro vita hominum nisi vita hominum reddatur, non posse Deorum immortalium numen placari.*

Christus pœnam tulit æquivalentem.

940. *Pœna, quam Christus ob peccata nostra ferre debuit* (§. 924.), *& tulit* (§ 926.), *fuit iis æquivalens:* pœna nempe omnis sita est in sensu vividissimo absentiæ cujusdam boni, quod deberet adesse, vel dolore animi aut corporis, dolor autem in animo est repræsentatio imperfectionis ad repræsentantem spectantis, estque tantò gravior, quantò repræsentatio est distinctior, & imperfectio major (*Met.* §. 420.); jam cùm per peccata, quorum numerus iniri nequit, adeòque respectu nostri sunt infinita, etiam infinita Mundo inferatur imperfectio, illum, qui pœnam illorum fert, infinitam hancce imperfectionem causasque hujus scil. peccata sibi repræsentare oportet, quò in eo dolor immensus ac ægritudo oriatur; Christus jam, quià fuit simùl Deus (§. 880.), & hinc Intellectu gaudet omnia sibi repræsentare valente (§. 343.), etiam imperfectionem immensam Mundo illatam cum omnibus ejus causis seu peccatis sibi repræsentare potuit ac reipsà repræsentavit, unde dolor in Ipso exortus immensus, seu ægritudo, vel, ùt aliàs dicitur, angor, sensus iræ Divinæ, atque adeò pœnam tulit æquivalentem, ἰσόῤῥοπον.

Sch 1. Tali angore seu dolore vel ægritudine animi maximâ, oriente è repræsentatione distincta imperfectionis immensæ per peccata nostra Mundo illatæ, Christus fuit excruciatus in horto Gethsemane, Matth. 26: 37--43. Luc. 22: 44. atque ex his quodammodo intelligitur, quid sibi velit, quando de Christo dicitur, quòd iram Dei senserit, eâque fuerit pressus. Repræsentatio illa equidem à natura humana abstractè à Divina spectata fieri non potuit, [licèt longe plura sibi repræsentare valuerit quàm homo quiscunque, ob communicata ei charismata] (§. 896.), verùm à Divina fieri debuit, interim

interim in humana dolor immensus oriri potuit ob arctam utriusque unionem (§. 885. 886.); & hicce dolor, quamvis in natura Divina locum habere non potuerit, cum sit exemta ab omni ægritudine (§. 331-333.), tamen tanti fuit valoris, ac si in ipsa fuisset (§. 894.), adeòque valoris infiniti (sch. 2. ib.); humana natura nempe dolorem huncce immensum sensit, quià imperfectio repræsentata ad eam spectabat imputativè (§. 935.); ex his itaque perspicitur, quomodo & cur remissio peccatorum à Christo fuerit impetrata (§. 937. & sch.).

Sch. 2. Evolutionem hujus argumenti, quomodo pœna Christo imposita, etsi brevis durationis, tamen æquivalens & sufficiens fuerit pro tot multorum millium peccatis, debemus Cl. Canzio *us. Philos. &c. to.* 1. *Cap.* 8. §. 17--20. unde etiam stabilire vult dogma Ecclesiæ suæ de communicata naturæ humanæ in Christo omniscientia, de qua controversia conf. dicta (sch. §. 896.); addimus hic tantùm, quòd ipsa S. Scriptura haud obscurè innuat, naturam Servatoris humanam magnitudinem pœnæ ob peccata imputata ferendæ seu iræ Divinæ distinctè sibi repræsentare non valuisse, Ps. 40:13. 69:3. 15. 16. cæterùm valde placent ejusdem Viri D. verba, ib. §. 20, lin. 5--18. quæ verò hic adscribere nolumus.

941. Ubi pœna fertur æquivalens, ibi expletur justitia punitiva, consequenter ei satisfit (§. 856.), Christus igitur, quià pœnam tulit æquivalentem (§. 940.), etiam *satisfecit pro peccatis nostris* (§. 934. 937.). *Satisfecit pro peccatis.*

Sch. 1. Satisfactionem intendere finem pœnarum internum (sch. 2. §. 316.) quivis facilè perspicit: in illa quippe pœnæ suscipiuntur peccatorum præteritorum, quòd autem non pugnet satisfactio cum condonatione, quilibet facilè concipere potest: sonti namque condonatur, quià satisfit Judici à Sponsore, ut inutiliter argutetur Socinus, posse hæc non benè secum consistere, vid. Grotius *de satisf. C.* 6. §. 10. 11. cæterùm Ipsius hujus Viri Magni hìc notandum est παράδοξα, quod etiam notavit Ulr. Huberus *diss. Jurid. Theol. exerc.* 7. *sect.* 1. §. 8. & quod lector, nisi admodum sit cautus, non facilè animadvertit, satisfactionem nempe non intelligit rigidam, quæ in justitiæ ex-

pletione consistit, verùm talem, quæ aliqualem secum ferat relaxationem, in seq. porro quid hac de re dicetur.

Sch. 2. Quòd Christus Deo satisfecerit & non alii, peculiariter probare non necesse fuit, intelligitur id ex (§. 936.), & ipsa satisfactionis definitione (§. 856.); Socin. etsi rem ipsam satisfactionis prorsus negent, nec aliter possint (sch. §. 868. 927.), tamen sæpè vocem adhibent, & Christum satisfeciſſe dicunt, at sensu metaphoricô, ut incautis imponant, & qui satisfactionis notionem destruit: nempe non aliud volunt, nisi Christum impleſſe conditiones, quas Deus sive nobis sive Ipsi imposuerit, & quibus intervenientibus peccata nobis condonare voluerit, etiam impleſſe illas *pro nobis*, id est, bono nostro, neutiquàm autem Christum luisse pœnas nobis debitas, locô & vice nostrâ, minùs æquivalentes, vid. HOORNBECK *Socin. confut. to.* 2. p. 490. 491.

Sch. 3. Per hanc Christi satisfactionem fœdus operum ulteriùs, adeòque quoad tertium gradum (sch. 4. §. 872.) abrogatum fuit; usque hùc enim lex fœderis (§. 746.) gaudebat virtute homini peccata exprobrandi, & quasi chirographum ab eo petendi, eò quòd nondum satisfactio præstita esset, id autem Christus abolevit, Rom. 8: 1--3. Col. 2: 14. atque adeò, quod ICti dicunt, ubi unus pro altero satisfaciat solvendo, *obligationem perimi*, & *jus Creditoris extingui*, ut hic debitorem *excutere* non possit, idem &, si debitô applicetur modô, de satisfactione Christi dici potest.

Liberavit nos. 942. Ubi satisfit justitiæ punitivæ, ibi eô ipsô obligatio ad pœnam subeundam solvitur vel tollitur, adeòque fit liberatio (§. 844.), ergo Christus, quià satisfecit pro peccatis nostris (§. 941.), adeòque pro nobis, *nos quoque liberavit.*

Sch. 1. Liberatio equidem immediatè præsupponitur in condonatione vel remissione (§. 933.), interim non ὕστερον πρότερον committimus, quòd nunc demùm, postquàm commemoratum, condonationem à Christo esse comparatam (§. 937.), commemoremus, liberationem ab Eo partam: veritates enim ita sunt disponendæ, prout facilius una ex altera deduci ac probari potest

(Mos.

(*Met.* §. 137.), liberatio verò è satisfactione commodè & firmiter deducitur; etiam posset deduci è placatione Dei (§. 939.): ubi enim una, ibi & altera (§. 845.).

Sch. 2. Patet itaque, quòd & cur Christo competat nomen *Liberatoris*, licèt quâ Liberator plura adhuc erga nos agere debuerit (§. 854. 869.) de quibus suò locò; Socin. Christum etiam nos liberasse perhibent, verùm longè aliò sensu, & qui ipsam liberationis notionem destruxit, scil. quòd doctrinâ & exemplò Christi retrahamur à peccatis, hinc pœnam effugiamus, quam Deus è pura gratia sine intercedente satisfactione remittat, ut liberatio ipsis sit emendatio hominis.

Quid dicatur moraliter annihilari & expiari.

943. Quando facta pro non factis habentur, ut ei, qui illa commisit, non imputentur actualiter vel moraliter (§. 801.), dicuntur *moraliter annihilari* vel *destrui*, annihilatio verò vel destructio moralis peccatorum dicitur *expiatio*.

Terminus *expiationis* è schola sacrificiorum est petitus: per sacrificia enim peccata expiari dicebantur in V. T.; hebr. כפר, quod præter *redimere* etiam significat *expiare* in forma pihel Ex. 30:10. Lev. 16:16. græcè καθαρίζειν, ἁγνίζειν, cum quo convenit חטא in pihel Lev. 12:49. 14:52. Ps. 51:9. licèt etiam *luere* notet Gen. 31:39. latinè *lustrare*, *purgare*, *purificare* &c. fiebat id sanguine Heb. 9:22. nempè victimarum; apud Gentiles hùc pertinebant καθάρματα illa, quibus mala, quæ aliâs metuebant, imprecabantur, ut ita in eorum capita sola recíderent, qualia καθάρματα sæpè erant homines, uti apud Massilienses, etiam apud Græcos, cui & dicebant, sis περίψημα nostrum, id est salus ac redemtio, vid. Outramus *de sacrif. Lib.* 1. *Cap.* 22. §. 13 --- 16. quæ eò spectant, ut evincatur, in sacris expiatoriis unum reliquorum pœnam subiisse, adeòque fuisse substitutionem, inde & περιψήματα illa ab Hesychio dicuntur ἀντίψυχα, ib. §. 16. audiamus quædam, quæ ad præsentem materiam pertinent, è Grotio *de satisf. Cap.* 10. §. 14. »ἁγνίζειν τὴν πόλιν καθαρμοῖς »*purificare civitatem expiationibus* est apud Plutarchum in *Romulo*, hoc ἁγνίζειν *purificare*, ἁγίζειν »*sanctis*

» *sanctificare* quoque & ἁγιάζειν dicitur; apud HERO-
» DOTUM *Lib.* 1. Phryx Adrastus homicidiô pollutus
» καθαρσίᾳ ἐδέετο, *opus habebat sacrô expiatoriô*, Crœsus
» ipsum ἐκάθηρε *expiavit*, similem autem dicit esse
» κάθαρσιν expiandi rationem apud Lydos & Græcos —
» PLATO 2. *de Republ.* pro eodem ponit λύσεις *liberà-*
» *tiones* & καθαρμὸς ἀδικημάτων *expiationes scelerum*,
» — *purificandi* vox est apud SUETONIUM & PLINIUM; »
purgare mœnia lustrô dixit LUCANUS, sed receptius est *lustrare*; SERVIUS apud VIRGILIUM *lustramurque Jovi* 3. *Æn.* exponit, *purgamur, piamur.*

Ubi satisfactio, ibi expiatio.

944. Quare cùm in satisfactione talia præstentur, ob quæ alter facta tanquàm non facta considerare queat (§. 856.), *ubi satisfactio pro peccatis, ibi & eorum expiatio.*

Satisfactio hæc nempè respicit tantùm justitiam punitivam, quæ expletur; ita gentes olim suis καθάρμασι *sacrificiis expiatoriis*, quæ Diis suis tradebant, eorum vindictæ, justitiæ ultrici (δίκῃ) satisfieri existimabant.

Christus peccata expiavit.

945. Itaque cùm Christus pro peccatis nostris satisfecerit (§. 941.), sequitur, *Eum etiam expiasse peccata nostra* (§. 944.).

Sch. 1. Expiatio hæc habetur Heb. 1: 3. καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, & 1. Joh. 1: 7. ubi eadem occurrit vox καθαρίζειν, quod sanguini Christi adscribitur: porrò exprimitur voce ἁγιάζειν Heb. 13: 12. ἵνα ἁγιάσῃ διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος τὸν λαὸν, ubi Christi passio comparatur cum sacrificiis piacularibus v. 11. hæc verò pœnâ vicariâ expiabant peccata (sch. 2. §. 929.), ergo & Christus ita expiavit; eòdem pertinet illud λύσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν Apoc. 1: 5. λελαμένοι Heb. 10: 23. conf. Zach. 13: 1. item ἐῤῥαντισμένοι Heb. 10: 22. nec aliud quid sibi vult ἀθέτησις ἁμαρτίας 9: 26. quæ spectat ἄφεσιν v. 22. & τὸ καθαρίζεσθαι v. 23. reatus peccatorum nempè etiam ùt immunditiæ consideratur Ps. 15: 9. & eum tollere ideò exprimitur per *mundare, lavare.*

Sch. 2. Sacrificium, itaque, quod Christus obtulit,

fuit

fuit expiatorium, hæc verò expiabant substitutione, quod indicabat tùm formula illa וזה כפרתי *sitque id expiatio mea*, tùm quòd polluere censerentur eos, qui illa tractarent, nempe quòd ipsa polluta censerentur peccatis in ea translatis; ita se habebat scil. cum iis, quæ extra castra comburebantur, & quorum sanguis ædi S. inferatur, vid. Outramus *de sacrif. C.* 17. §. 1-3. quibuscum etiam ùt typis sacrificium Christi comparat Paulus Heb. 13: 11. 12. Quòd si jam insistamus tùm his, in quibus ratio erat posita sacri expiatorii apud Judæos, tùm significationi receptæ vocum καθαρίζειν, ἁγιάζειν apud Scriptores Græcos, Socin. circa expiationem à Christo factam strophis solidè occurri potest; vocem ipsam equidem etiam adhibent, at sicùt reliquas Sacerdotium Christi spectantes, ita ut incautis imponant: expiatio namque ipsis est liberatio à peccatis & eorum pœna, posterior juxta illos fit condonatione peccatorum ex pura Dei gratia sine ulla satisfactione, prior sanctificatione, vid. Hoornbeck *Socin. conf. to.* 2. *p.* 581. porrò expiationem volunt fieri à Christo demum in cœlo (§. 931.), cui errori præter alia obstat locus Heb. 1: 3. ibi enim demùm post expiationem factam Christus dicitur consedisse throno majestatis; reliquæ illorum circa h. locum exceptiones ita se habent, ut longa refutatione non indigeant, vid. interim Hoornbeck, ubi modò, p. 584. 585. uti & vel primâ fronte violentæ se prodant interpretationes ipsorum loci 1. Joh. 1: 7. & Apoc. 1: 5. quâ prior tantundem sibi velit, ac *mundos eos declarat*, posterior, ut *lotos nos declaravit*; præsertim cum in priore paulò post v. 9. memorentur ἀφιέναι. Juxta Socin. nempè expiatio primariò ac propriè versatur circa peccata futura, juxta Orthodoxos autem circa præterita, ut compensationem inferat (sch. 2. §. 316.), quô respectu ad præterita Christus etiam dicitur ἁμνὸς αἴρων τὴν ἁμαρτίαν Joh. 1: 29. ad cujus loci imitationem & simùl substitutionem indicare volentes è veteribus quidam Christum dixêre πρόβατον ἀντίψυχον, docente Outramo *L.* 1. *C.* 22. §. 2.

946. *Pertinebant autem ad satisfactionem Christi pro peccatis nostris omnes Ipsius passiones, quas tolera-* *Ad satisfactionem pertinent omnes*

Ipsius passiones.

verat per totum tempus, quò in terra versatus: etenim calamitates ac mala physica cujuscunque generis veniunt è peccato (§. 642. 835.), suntque pœnæ peccati (ib. §. 835.), cùm jam Christus à peccato prorsus fuerit immunis (§. 879. 918.), sequitur, passiones eas non fuisse pœnas peccati respectu Sui Ipsius, ergò respectu aliorum, pro quibus seu quorum peccatis satisfacere voluit (§. 941.), ergo etiam pertinebant ad satisfactionem hanc; præterea Christo passiones eæ supervenerunt, quià homo factus, scivitque eas sibi superventuras (§. 861. 880.), cùm jam homo fieri voluerit in nostrum bonum, etiam in nostrum bonum passiones, quas homo factus toleravit, tolerare voluit, quarum cùm ultimæ versus vitæ finem fuerint satisfactoriæ (§. 940. & sch. 1. ib.), & præcedentes tales fuerunt.

Ideò & passiones Christi reliquæ ac in genere haud obscurè proponuntur ùt ad Opus liberationis pertinentes 2. Cor. 8: 9. Phil. 2: 6. 7. licèt omninò sine illis ad vitæ finem toleratis præcedentes non fuissent sufficientes: aliâs enim Deus sine ratione & necessitate morali Filium in mortem ignominiosam tradidisset, quod vel cogitare nefas (§. 269. 314.); etiam [quod nemo negaverit] passiones ad vitæ finem fuerunt graviores reliquis: in iis enim angorem sensit ob peccata nostra, qualem non anteà (sch. 1. §. 940.), & Jesus demùm in fine vitæ exclamavit, τετέλεσται Joh. 19: 30. ut hinc passiones ad finem vitæ majus ad satisfactionem pondus attulerint, quàm præcedentes, unde & illis præcipuè virtus expiationis ac liberationis peractæ adscribitur Zach. 3: 9. Heb. 10: 10. licèt interim passiones reliquæ omnes satisfactoriæ fuerint. Jac. Altingio ea tribuitur sententia, nonnisi passionibus durante trihoriô obscurationis solaris à Christo toleratis satisfactionem fuisse peractam, quod si ita intellexit, ut sine his priores omnes non fuissent sufficientes,

ad

ac majus ad satisfactionem attulerint pondus quàm priores, facilè admittitur. Idem Altingius distinguit passiones Christi in *judiciarias* & *bellicas*, priores vocat eas, quæ Ipsi à Deo ùt justo Judice impositæ fuerint, posteriores verò, quas sustinuerit ab hostibus, ac cum electis communes habeat; equidem aliquò modò distinctio hæc potest admitti, dùm quasdam passiones Deus Judex immediatè imposuit vel inflixit Filio, sine interventu hostium, uti sensum iræ suæ, alias verò hostes Ipsi inflixerunt, uti flagellationem, crucifixionem, &c. interim & ipsæ hæ Christo supervenerunt à Deo Judice ob peccata nostra Ipsi imputata (§. 935.), verùm mediatè per hostes ùt instrumenta: uti enim alia quæcunque consiliò & decretò Dei sunt comprehensa (§. 410.), ita vel maximè, quæ ad Testamentum gratiæ pertinent (§. 448. 460.), Deusque uti quâ Judex sponsionem à Filio postulavit (§. 454. coll. 455. & sch. 1. §. 861.), ita sequitur, quòd & quâ Judex omnia illa Filio sponsori inflixerit in terris versato, quæ Ei supervenerunt, sive immediatè sive mediatè.

947. Omnes passiones à Christo toleratæ tàm ad vitæ finem quàm anteà, simùl consideratæ appellantur *obedientia passiva*. *Qua dicuntur obedientia passiva.*

Rectè etiam ita appellantur, nam quià Pater à Filio postulaverat, ut promitteret, se aliquando hominem factum tales passiones subiturum (§. 454.), hic autem eas in tempore quoque reapse subiit (§. 898.), inde Patri obedientiam præstitit Phil. 2: 8. eamque maximè ostendit mortem subeundo, ut Paulus l. cit. innuit, licèt & in cæteris omnibus; vanum autem est, quod Socin. obtendunt, si Christi passiones rationem obedientiæ habuerint, tùm rationem pœnæ eas habere non potusse, eò quòd pœna ob inobedientiam infligatur; nam pœna etiam infligitur ob inobedientiam alterius imputatam (§. 803. 808. 847.), deinde passiones Christi rationem pœnæ habuerunt, quatenus à Deo Ipsi impositæ & inflictæ, rationem obedientiæ autem, quâtenus à Christo latæ idque libenter (§. 930.); vid. Hoornbeck. *Socin. conf. to. 2. p. 692.*

948. Quandoquidem Christus *Christus idem* pœnam

fecit, quod fit in emtione ac solutione.

pœnam tulit æquivalentem (§. 940.), adeòque æquale pro æquali rependit, ac præstitit, quod debuit (§. 941.), *fecit id, quod in emtione obtinet & solutione:* in illa namque quis rem sibi in proprietatem acquirit, substituta in locum ejus aliâ ejusdem valoris, ùt plurimum pecuniâ, in hac verò præstatur, quod debetur.

Sch. 1. Objicitur autem contra id, quod hic dicimus, Christum æquale pro æquali rependisse, ab adversariis, Christum nec *intensivè* nec *extensivè* pœnas peccati & damnatorum tulisse: non illud, quià irâ Divinâ pressus non desperaverit, quæ desperatio vera sit damnatorum pœna, non hoc, quià pœna ab eo lata brevis fuerit durationis; at, quod ad prius attinet, respondetur, quòd desperatio per se ad summam pœnam doloremque non pertineat, sed non sit nisi consectarium amissæ spei liberationis, Christus dolorem sensit immensum (§. 940. & sch. 1. ib.), & quali major dari non potuisset, desperare non potuit, à λόγω quippè suffultus (sch. 3. §. 858.); vid. CANZIUS *us. to.* 1. p. 361. *not.* z. ad posterius respondetur, quòd brevitas sensûs doloris in Christo sit compensatus infinitâ personæ Ipsius dignitate (§. 880.), licèt natura humana fuerit principium *quô* in hoc doloris sensu (sch. 2. §. 894.); facit hùc, quod habet ULR. HUBERUS *diff. Jurid. Theol. exerc.* 7. *sect.* 1. §. 10. „ diversitas in ratione „ infiniti non sustulit *æqualitatem quantitatis*, quæ ad „ veram & propriè dictam solutionem sufficit, *l.* 1. *in „ pr.* π d. *contrah. emt. verb.* —— non est aliud in„ quàm pro alio, quando in alia forma solvitur, mo„ dò *in eadem quantitate* solvatur; pœna omnis æsti„ matio delicti est, *l.* 43. *de pœn.* diversitas personarum „ in generibus pœnæ multam inducit varietatem in „ iisdem delictis *l.* 2. π *D. term. mot.* —— quantitas „ tamen æstimationis semper tenet justam proportionem „ delicti & pœnæ, quod explet veram solutionem, *dd. ll.* „ Christus pœnam mortis eamque infinitam sustinuit, „ solvit, quam peccatores debebamus, ὁ Θεὸς κατέκρι„ νε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ἵνα τὸ δι„ καίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν, Rom. 8: 3. 4. non

potuit

»potuit efficacius exprimi, idem, quod nos debebamus, »esse solutum, quam quòd jus Legis per pœnam Filii »Dei nostro bono sit persolutum; hæc ille. Occurritur autem per dicta etiam alii argutæ objectioni, quâ obtenditur, cùm quilibet peccator pœnam promeritus sit infinitam, totidem pœnarum infinitates ferri debuisse à Christo, si locô eorum ita pati voluerit, ut æquale pro æquali rependeret: nam respondetur, pœnam promeritam esse infinitam, verùm non *intensivè* seu *gradu*: siquidem creatura ejus capax non esset (§. 940.), sed *extensivè*, seu *durazione* (§. 837.), Christus verò intensivè pœnam perpessus est infinitam, & hinc æquale pro æquali rependisse rectè dici potest, ut è modò dictis intelligitur; extensivè infinitam pœnam ferre non potuit, quià aliâs liberationem partam nobis conferre non potuisset (§. 870. & sch. ib.), nec id opùs fuit ob personæ dignitatem, conf. (§. 858. & sch. 2. ib.).

Sch. 2. Emtio in eo consistit, quòd res quædam in proprium alicui cedat datô pro ea seu substituto pretiô eminenti, quod quià apud homines est pecunia, emtio fit pecuniâ (*Mor.* §. 920.); adeòque si aliud ab hominibus pro pretio eminenti assumeretur, quod pro re daretur, non minùs esset emtio, licèt, ubi aliæ dantur res, quæ pro pretio eminenti non habentur, tùnc audiat *permutatio* (*Mor.* §. 913.); interim & in emtione propriè tali semper esse permutationem nemo non videt, adeòque & permutationem in se continere substantialia emtionis. In omni emtione requiritur merx, consensus & pretium, quæ & in permutatione requiruntur; requiritur autem, ut pretium merci sit æquivalens (*Mor.* §. 907. 908.), aliâs potiùs est donatio. Hæc verò duo ad institutum nostrum sufficiunt, nempe permutatio seu commutatio, ubi unum pro altero substituitur, & æqualitas pretii, seu quòd sit æquivalens.

Sch. 3. Quòd si in emtione pretium eminens, in permutatione autem merx alia actu contra detur pro re vel merce, quæ in proprium cessit, tùnc fit *solutio*, quæ ICtis definitur per *præstationem ejus, quod debetur*, etiam per præstationem *naturalem*, id est, veram ac propriam. Adhibetur *solutionis* & *solvendi* terminus etiam de pœnis corporalibus, quæ solvi dicuntur, gr. τίειν, delicta nempe, quæ tali pœnâ compensantur, considerantur

tùnc

tùnc ùt debita, uti etiam in Scriptura aliquando audiunt, Matth. 6: 12. & delinquentes ùt debitores, quibuscum & comparantur 18: 23. seq. Luc. 7: 41. 16: 5. 7. ac ita appellantur, Esr. 9: 15. unde in delictis obligatio ad pœnam ICtis dicitur constituere debitum, uti hæc docet HUBERUS *exerc.* 5. §. 6. *exerc.* 6. §. 7. Ubi ergo liberatio per Christum præstita ùt solutio consideratur, ibi Deus consideratur ùt Creditor, ùt jam monitum (sch. 1. §. 861.); ad solutionem etiam nil referre docent ICti, sive Ipse debitor sive alius pro eo solvat, HUBERUS ib. Atque hoc uti & illud, quòd omnis solutio secum ferat substitutionem, commutationem, compensationem, præcipuè ad scopum nostrum facit, quò nempe evincatur, Christum se pro nobis substituisse, pœnam tulisse seu solvisse æquivalentem, & loca Scripturæ, quæ pretii, emtionis mentionem faciunt, hinc & solutionem insinuant, id validè confirmare, quo de mox.

Ut rectè dicatur nos redemisse.

949. Rectè igitur dicitur, Christus nos *emisse*, idque *solutô pretiô*, vel *redemisse*, & jure audit *redemtor*.

Sch. 1. Scriptura ideò de liberatione à Christo procurata loquens adhibet verba & phrases, quæ emtionem, prætium, adeòque redemtionem notant [*redemtionis* nempe voce Latini utuntur, ubi de hominibus agitur, præcipuè captivis] ἀγοράζειν 1. Cor. 6: 20. 7: 23. ἐξαγοράζειν, Gal. 3: 13. περιποιεῖν, Act. 20: 28. λυτροῦν, Tit. 2: 14. 1. Pet. 1: 18. τιμὴν 1. Cor. 6: 20. 7: 23. λύτρον, Matth. 20: 28. ἀντίλυτρον, 1. Tim. 2: 6. ἀπολύτρωσιν, Rom. 3: 24. Eph. 1: 7. Col. 1: 14. hæcque adscribit sanguini Christi l. cit. Act. 20: 28. Eph. 1: 7. Col. 1: 14. 1. Pet. 1: 19. etiam animæ Ipsius, Matth. 20: 28. quod idem sibi vult: in Scriptura enim sanguis & anima ùt synonima aliquando adhibentur, Gen. 9: 4. & Judæis solenne est, ubi de sacrificiis loquuntur cum sanguinis effusione conjunctis, dicere animam bestiæ pro homine dari vel ejus anima, ùt videre est vel è testimoniis productis ab OUTRAMO *de sacrif. Lib.* 1. *Cap.* 22. §. 10. 11. conf. etiam Lev. 17: 11. Scriptura autem liberationem à Christo peractam sub similitudine emtionis & redemtionis proponit, quià substantialia hujus illi insunt: habetur merx, qui sunt homines, hi enim l. cit. dicuntur emti, habetur consensus, nempe æternum pacis consilium (§. 454. 460.), prætium, idque æqui-

æquivalens (§. 880.), nimirùm sanguis Christi 1. Pet. 1: 19. cum pretio quippe apertè comparatus, v. 19. Atque adeò negotium hocce totum rectè dicitur emtio & redemtio (sch. 2. §. 948.), generale scil. emtionis tenendum, cætera relinquenda (*Log. C.* 1. §. 8.): unde Socin. satis frigidè objiciunt, liberationem Christi non esse emtionem, eò quòd nulla sit numerata pecunia, ut taceamus, ad pretium non necessariò requiri pecuniam, & homines etiam posse esse mercem, monente Ulr. Hubero *exerc.* 7. *sect.* 7. §. 11.

Sch. 2. Redemtio hæc, quia itaque peracta sanguine Christi, & hôc expiatio peccatorum factæ (§. 945. & sch. 1. ib.), ideò non est nisi expiatio peccatorum, sub negotio emtionis proposita; inde & Hebræorum Magistri ἀπολύτρωσιν, quæ aliàs Hebr. פדיון, dicunt כפרה, & λύτρον כפר à כפר *expiavit*; כפר autem ita describunt, quòd in ea unus substituatur in locum alterius, ac alterius peccata in se suscipiat; victimas piaculares hinc כפר *appellant*, item כפר תחת החוטא *pretium locò peccatoris*, & in talibus fieri תמורה *permutationem*, vid. Outramus, ubi modò, & *Lib.* 2. C. 6. §. 2--4. etiam vox *lustrare*, quæ idem dicit ac *expiare* (sch. 3. §. 939. & sch. §. 943.), non est nisi græcum λυτρεῖν, & *lustrum* λύτρον docente Grotiô *de satisfact.* C. 8. §. 8. lustrare autem erat à pœna liberare per pœnam succedaneam, quæ *lustrum* dicebatur, quod idem erat ac *placamen*; λύτρωσις & καθαρισμὸς *expiatio* pro eodem ponuntur Heb. 9: 14. 15. 22. 23. ut hæc monet idem Vir Magnus ib. Atque hæc egregiè inserviunt confutandis Socin., qui redemtionem à Christo præstitam planè enervant, per eam liberationem à peccatorum sordibus, sed ut homo inposterum ab iis caveat, intelligentes; cùm è contrà redemtio hæc versetur circa peccata præterita, ea compensando pœnâ vicariâ, nec tantùm hominem sed & Deum respiciat; vid. quæ contra Socin. hac de re disputat idem Grotius ib. §. 10--12. qui & §. 9. urget vocem ἀντίλυτρον, quod quippe tale sit λύτρον, in quo liberator simile quiddam subeat ei malo, quod imminebat ei, qui liberatur; & λύτρον in pœnis omnino locum habere, §. 6. ita Zeleuci oculum fuisse λύτρον oculi filii, & in decimatione, qui puniuntur, esse

esse λύτρον totius legionis; respondet etiam ad objectionem Socini ex Act. 7: 35. §. 5. [ubi Moses dicitur λυτρωτὴς] quòd nempe duo possint dici Liberatores, licèt modus liberandi prorsus differat, præterea liberationi à Mose præstitæ nullibi adscribatur λύτρον, quale liberationi Christi, vid. Ipse pluribus.

Sch. 3. Cæterùm cùm redemtio non sit nisi expiatio (sch. 2.), adeòque nonnisi satisfactio (§. 944.), inde occurritur argutiis quibusdam, v. g. quòd Deus redemisse dicendus sit misericordiam suam: cùm enim per redemtionem compensatio facta sit boni publici Civitatis Divinæ (sch. §. 856.), sine qua bonum privatum promovere Deus non potuit, id est, liberationem peccatoris (sch. 1. §. 846.), id effectum est redemtione, ut Deus misericordiam suam exercere posset; Porrò, quòd pretium nec Deo nec diabolo solutum esse dici possit: cùm namque amor boni publici, quô Deus flagrat, satisfactionem postulaverit (sch. 2. §. 313. & §. 857.), Deo sanè pretium fuit solutum: Ipsi quippè & sacrificium suum Christus obtulit (§. 936.); nec repugnat, quod ipse simùl redemtionem procuravit (§. 454.): cum humana jura repugnent, quin Herus, qui servum iratus in pistrinum tradidit ad molam, ei tamen viam quærendi lytrum ultrò aperiat, imò & ab eo accipiat, etiam talis servus tùnc nummis suis redemtus dicitur, etsi cum rebus suis Domini sit totus, ut hinc Christus etsi totus fuisset Dei ut Domini omnium rerum (§. 576.), quod tamen dici prorsus nequit (§. 880.), tamen pretium Deo solvere potuisset, uti hæc docet Huberus *exerc.* 7. *sect.* 7. §. 4-6. Doctrinam autem de redemtione post Socin. nemo magis pervertit Dippelio, contra quem ex instituto disputat Joach. Lingius in *idea system. Apost. de salut. Oecon.* & *system. Dippel anatome &c.* subjuncta H. Grotii præstantissimo *de satisfactione tract.* à se edito.

Acceptilatio quid.

950. *Acceptilatio* dicitur, ubi creditor parte solutionis acquiescit, & tantundem habet, ac si ad ultimum usque quadrantem solutum esset.

Acceptilatio ideò in jure dicitur *imaginaria*, scil. *solutio* respectu debitoris, & acceptio respectu Creditoris, εἰκονικὴ λῆψις, *imaginaria* contradistinctè ad solutionem, quæ

quæ naturalis, vera ac propria (sch. 3. §. 948.); interim per eam obligatio tollitur, ut ex definitione ejus patet, ac liberatio contingit: imaginarium nempe hic tantundem dicit ac simile, repræsentativum, unde & inter tres modos liberationis unus est *acceptilatio*, reliqui nimirum duo sunt *solutio* & *novatio*, vid. Huberus *exerc.* 5. §. 5. 7.

951. *In redemtione Christi locum non habuit acceptilatio:* Christus namque solutionem præstitit (§. 948.), & æquale pro æquali rependit (ib.), at in acceptilatione solutio non præstatur, eò ipsò quòd parte acquiescatur (§. 950.), & hinc nec id, quod rependitur, æquale est debito. *Ea in redemtione non fuit.*

Etiam cum satisfactione acceptilatio non consistit, ut quilibet facilè videt (§. 856. 941.); si Deus acceptilatione usus fuisset respectu obedientiæ Christi passivæ (§. 947.), convenientias non observasset (§. 84. & sch. ib.), quod tamen non potest non facere (§. 269.). Acceptilationem in redemtione Christi statuit Vorstius; imò & Ill. Grotius, etsi doctrinam de satisfactione Christi contra Socinum eruditissimè & masculè defendisset in celebratissimo de ea conscripto *tractatu*: tamen cùm per eam non plenariam justitiæ Divinæ expletionem factam esse statuat (sch. 1. §. 941.), acceptilationem quandam reipsâ admittit; dico *reipsâ*, nam acceptilationis vocem de redemtione nostra non vult adhibere, quià non quadret, ubi de pœnis agitur, cùm tamen etiam possit adhiberi: siquidem creditoris & debiti appellationes in pœnis quoque usurpantur (sch. §. 844. sch. 3. §. 849.); nec obstat, quòd Grotius redemtionem adstruat (sch. 2. §. 949.), adeòque solutionem, eamque vicariam: nam acceptilatio non repudiat omnem planè solutionem, sed æquivalentem, perfectam, plenariam, ut è definitione ejus perspicitur; id verò Viri Ill. πρόχειρα inde venire, quòd Deum in hoc negotio ferè nonnisi ut Rectorem consideret, judicat Huberus *exerc.* 7. *sect.* 4. §. 11. 12.

952. *Christus obedientiâ suâ passivâ nobis meritus est remissionem pec-* *Christus peccatorum re-*

missionem meritus est. *catorum:* cùm enim illâ hanc nobis commeritus paraverit (§. 937.), & verò illa fuerit Opus non perfectè debitum, siquidem è puro gratioso affectu eam in se suscepit (§. 454. 460.), meritus est illâ (§. 734.), quoniam & secundùm illam Deo non fuit obnoxius (§. 880.), quod itidem ad meritum requiritur (§. 735.).

Sch. 1. Christus quoque operam illam præstitit propriis viribus, [sicuti & reliqua] (sch. 2. §. 901. §. 906.), quià Filius Dei (§. 861. 880.), etiam voluntariò (§. 862.), quæ duo merito semper inesse debent: siquidem præstatio operæ (§. 734.) innuit, quòd propriis viribus & voluntariò præstetur; meritum hoc inde etiam probatur, quòd Christo fuerit promissa merces (sch. §. 454.): ubi enim hæc, ibi & meritum (§. 734.), merces hæc pactô Ipsi addicta (§. 455.) erat tantundem ac lex superioris Ei adjudicans remunerationem; unde, quòd meritum Christi fuerit tale sensu rigidô, patet (sch. §. 734.). Etsi hinc terminus *meriti* in Scriptura non reperiatur, tamen rectè adhibetur; cùm res per eum denotata claro ibi indigitetur; memoratur verò ibi etiam labor Messiæ Es. 53: 11. at ubi labor, ibi merces (*Mor.* §. 911.), hinc & meritum, uti modò dictum.

Sch. 2. Dixerit autem quis, obedientiam Christi passivam fuisse Opus perfectè debitum: eò quòd per eam gloria Dei etiam manifestata fuerit (§. 862.), & bonum privatum cum bono publico conciliatum (sch. 1. §. 846.); at etsi gloria Dei sit promovenda (§. 52. coll. 674.), tamen ut quis eam in gratiam aliorum idque cum impendio propriæ vitæ &c. promoveat, ut Opus perfectè debitum postulari nequit; gloriam Sapientiæ bonitatisque Deus habuisset, si vel maximè Christus obedientiam illam in se suscipere noluisset: Deus namque nihilominùs ostendisset, se scire ac velle bonum publicum & privatum simùl promovere; illud etiam, ubi Christus dicitur non potuisse non præstationem obedientiæ in se suscipere (§. 454.), nullum adhùc constituit obligationem perfectam; idemque neutiquam imminuit meritum Ipsius, quod Armin. putant: cùm nil dicat nisi motivorum inclinationem, ob quæ quis *non aliter posse agere* dicitur (*Met.* §. 521.): semper enim

enim potuisset Christus vires suas aliorsum vertere, [quod ad meritum requiritur] si voluisset, si motiva pro altera parte fortiora fuissent; impingunt autem hìc Armin. ob falsam libertatis notionem, conf. (sch. §. 276. & sch. 1. §. 523.).

Sch. 3. Argutantur verò Socin., si Christi obedientia fuerit nostra obedientia, & ejus afflictio pœna nostra, tùnc per obedientiam ab Eo præstitam præmium, quod post Ei collatum (sch. 2. §. 908.), Ipsi conciliari non potuisse, & si pro afflictione detur præmium, tùnc omnem tolli pœnæ rationem, ut ideò Christi passiones non fuerint pœnæ peccatorum nostrorum, verùm labores præmia antecedentes; at vanæ sunt subtilitates: nam Christi passiones fuerunt pœnæ respectu nostri ac Legis transgressoribus tales pœnas imponentis, labores autem fuère præmium antecedentes respectu Christi & promissionis Ipsi factæ (§. 454.), fuerunt pœnæ nostræ tantùm *imputatione*, quâtenus locò nostrò susceptæ, *personaliter* autem fuerunt Christi ac afflictiones; unde ratio pœnalitatis ex iis non sublata: siquidem locò nostrò eas subiit, ac propterea quoque præmiò potuerunt honorari; etiam non insoliti quid est, ut obedientia unius possit censeri alterius, & hinc unus alteri mereri, imputatione nimirum & ex pacto cum altero in vade & cum vade inito, vid. Hoornbeck *Socin. conf. to.* 2. p. 624. 625.

953. *Christus legem Dei perfectè servavit pro nobis vel locò nostrò:* non potuit enim non ea omnia pro nobis facere, quæ ex sponsione Ipsius æterna fluunt (§. 456.), ex sponsione verò hac fluebat etiam perfecta Legis servatio: sponsio namque requirebatur, quò Deus non solùm nobis pœnam posset remittere sed & præterea vitam æternam conferre (§. 453. 456. 458.), ac hùc tendebat; jam autem ad vitam æternam consequendam prærequiritur perfecta Legis Divinæ servatio (§. 729.), ergo dum Christus eam præstitit (§. 879.), pro nobis illam præstitit. *Legem Dei pro nobis servavit.*

Sch. 1. Quare Liberator adhùc præter susceptionem pœnarum vicariam etiam servationem perfectam Legis vicariam præstare debuerit, jam dictum (sch. 2. §. 854.); addimus hìc, etsi pœna pro peccatore fuisset lata, tamen nondùm futuram fuisse convenientiam inter eum & vitæ cœlestis collationem: nemo, v. gr. si intercederet apud Regem pro subdito rebelli, petere auderet, ut præter pœnæ remissionem adhùc præmium ei conferat maximum, & si Rex nihilominus tale conferret, convenientias Eum hac in re violare nemo non diceret. Ita & per obedientiam Christi passivam dissensus equidem Mundo illatus per peccatum sublatus est, nondum autem convenientia stabilita inter collationem vitæ & eum, cui conferenda, hinc alia adhùc obedientia præter passivam nempe perfecta Legis servatio requiritur, conf. quæ hanc in rem habet CANZIUS *us. to.* 1. *Cap.* 8. §. 20.

Sch. 2. Quòd Christus legem Dei pro nobis servaverit, satis clare docetur Rom. 5: 19. 20. Gal. 4: 4. 5. siquidem hìc γενόμενος ὑπὸ νόμον dicitur, ut redimeret, qui sub ea, ibi autem unius obedientiâ justi dicuntur constitui multi; equidem posset objici, lex Dei quoniam sit immutabilis, æterna (§. 75.), ideò quamlibet creaturam & semper ad eam servandam obligari, hinc & Christum hominem, consequenter non posse dici, quòd legem eam pro nobis servarit, cùm eò pro se opus habuerit; at cùm Christus pro nobis homo sit factus (§. 849. 878.), sequitur, quòd & pro nobis legem Dei servaverit: cujus gratiâ namque voluit facere antecedens, ejus gratiâ & consequens facere voluisse dicendum est; etiam opus non habuit, legem Dei per longum temporis spatium in his terris servando jus ad vitam cœlestem humanæ suæ naturæ acquirere: nam quià immunis erat à peccato originali & actuali (sch. 4. §. 878. & §. 879.), naturam suam humanam mox ad vitæ cœlestis possessionem transferre potuisset, cum autem id non fecerit, sed in perfecta Legis servatione per longum temporis spatium perrexerit, sequitur, quòd eam pro aliis servarit, pro aliis etiam servàre potuit ob excellentiam personæ. Atque ita occurritur sententiæ JOH. PISCATORIS, qui existimavit, Christum non pro nobis legem servasse, seu hanc servationem non pertinere ad satisfactionem Ipsius vicariam; quæ sententia & obelo transfigitur in *Formula consensus Helv.* §. 15.

prævit

præivit Piscatori in ea Georg. Kargius vel Parsimonius Concionator Aulicus Onoldinus pòst medium seculi 16. vid. contra eam pluribus Turretinus *Theol. Elench. Loc.* 14. Q. 13.

Sch. 3. Etsi verò Christus pro nobis legem Dei servarit, tamen si quis inde vellet concludere, nos ideò ad servationem ejus non amplius esse obstrictos, falsam & pessimam necteret consequentiam: lex enim Dei semper manet immutabilis (§. 75.), Deusque observationem ejus non potest non exigere (§. 78.), & Christus minimè eum in finem Legem perfectè servavit, ut nobis licentiam conciliaret eam impunè violandi, absit! Rom. 3:31. 6:1.2. unde & quâ Prophera illam explicavit ac inculcavit (§. 914. 915.), voluit perfectâ ejus servatione vim, quâ lex gaudebat, nos condemnandi ob peccata anteacta, à nobis avertere, 1. Cor. 15:56. 57. obligationem eam observandi in posterum adstruxit propriâ servatione, dum nisi hæc fuisset, æternùm felices esse non potuissemus.

Hinc obedientiam activam præstitit.

954. Perfecta hæc Legis servatio dicitur *obedientia activa*, item *justitia*, igitur & *hanc Christus pro nobis præstitit* (§. 953.).

Duplex adeò habetur Christi obedientia scil. activa & passiva (§. 947.), cujus differentia facilè perspicitur: prior nempe consistebat in perfecta officiorum expletione (§. 287. 315.), posterior verò in perpessione pœnarum vicaria seu sensu doloris (§. 940.), adeòque expletione justitiæ punientis (§. 315.), ut hinc utraque fuerit pro nobis necessaria (§. 856.), contra Piscatorem (sch. 2. §. 953.).

Acquisivit nobis jus vitæ æternæ.

955. Cùm itaque Christus legem Dei pro nobis perfectè servarit (§. 954.), hæc autem servatio ob personæ dignitatem (§. 880.) non possit non esse æquivalens servationi plurimorum, & hæc cuivis compareat vitæ cœlestis possessionem (§. 720. 729.), Deus, quià Filius Ipsius legem servavit, rationem habet fuff., ob quam nobis vitam illam conferre possit, convenienter u-

stitiæ suæ remuneratoriæ (§. 315.), & nos rationem habemus, ob quam illam ab Ipso petere possimus, *Christus* proinde *perfectâ Legis servatione nobis jus ad vitam æternam acquisivit.*

Conf. (sch. §. 853.); ita etiam Deus jus vitæ æternæ conferendo homini, qui legem non perfectè servavit, tamen convenientias rerum observat (§. 84.), nec adeò contra Sapientiam suam agit (§. 269.), licèt convenientia non arcessatur ab eo, cui confertur, sed ab Eo, qui jus ad vitam peperit; hinc & illum remunerari potest ultra meritum, quià ratio præstò est, quod aliàs non posset: quoniam cùm Sapientia convenientias observare debeat (§. 269.), sic & justitia (§. 314. 315.); ubi verò non ratio, ibi nec convenientia (§. 84.), etsi adeò ratio sit extra eum, cui remuneratio confertur, nempe in Christo, tamen quià hic eandem cum illo societatem vel personam moralem constituit (§. 863.), convenientia locum habet; facit autem hùc, quòd Christus jus ad vitam cœlestem nobis acquisiverit perfectâ Legis servatione, locus Rom. 8: 3. 4.

Quid sit reconciliari alicui.

956. *Reconciliari* alicui est tùm inimicitiâ ejus liberari, tùm adhuc amorem favoremque ejus recuperare, adeò ut non solùm vindictam intermittat, verùm adhuc benefacere studeat.

Ita nempe discrimen constituimus inter *placari* & *reconciliari*, quorum illô nonnisi indigitatur, quòd inimicitia vel hostilitas tollatur (sch. §. 91.), adeò ut alter alteri non amplius studeat nocere, vel ab eo vindictam sumere, licèt nondum adsit studium bonum ejus promovendi vel benefaciendi; sanè hæc duo esse diversa nemo non perspicit: cùm prius possit esse sine posteriori, posterius autem prius includat, eique addat adhuc bonum oppositum; quare notiones utriusque sunt diversæ, & distinctè possunt tradi (*Log. C.* 1. §. 13. 14.), diversis ideò quoque designandæ sunt terminis, & cùm priori commodè competat terminus *placari*, *placatio*, posteriori relinquitur terminus, *reconciliari*, *reconciliatio*; patet etiam, quòd illa possit esse sine hac, non autem hæc sine illa, cùm illam includat; supra (§. 91. 939.) de placatione nonnisi egimus, cùm de bono oppositô

oppoſito, quod reconciliàtio addit, & medio ad id nondum fuerit agendi locus.

957. *Per Chriſtum Deus nobis fuit reconciliatus:* etenim dùm non ſolùm pœnam à Deo nobis metuendam vel iram & vindictam Ejus à nobis avertit (§. 938. 942.), adeòque non ſolùm inimicitiam Dei erga nos ſuſtulit, ſeu Deum placavit (§. 939.), obedientiâ paſſivâ (§. 947.), ſed præterea Dei favorem recuperavit, ut nobis benefacere velit: ſiquidem jus vitæ æternæ acquiſivit (§. 955.), [quam conferendo Deus benefacit,] obedientiâ activâ (§. 954.), Deum nobis reconciliatum reddidit (§. 956.). *Chriſtus Deum nobis reconciliatum reddidit.*

Sch. 1. Reconciliatio iſta habetur Rom. 5: 10. 11. 2. Cor. 5: 18. 19. ubi verba καταλλάσσειν, καταλλαγή; Eph. 2: 16. Col. 1: 20. ubi ἀποκαταλλάσσειν; vox autem hæc promiſcuè tum de parte, quæ infenſa fuit, tum & de altera tam in dativo quàm accuſativo adhibetur, quod GROTIUS obſervat & probat ex Auctoribus græcis *de ſatisfact. C.* 7. §. 5. ut idem ſit, *Deum nobis reconciliari*, & *nos Deo reconciliari*, ac ideò in fumum abeat objectio SOCINI contendentis ex eo, quòd non dicatur l. cit. Deum nobis eſſe reconciliatum, ſed nos Deo, Apoſtolum ſibi velle, Chriſti reconciliationem in eo conſtitiſſe, quod nos Deo morem gerentes ſeu Deum per peccata non amplius offendentes reddiderit; locis autem cit. indigitari reconciliationem Dei irati, quacum interim reconciliatio noſtri cum Eo ſeu τὸ non amplius Eum peccatis offendere conjunctum eſt, non pauca clarè ſuadent: Rom. 5: 10. 11. reconciliatio illa adſcribitur ſanguini & morti Chriſti v. 9. 10. & ſanguini huic ut effectum alias adſcribit Scriptura remiſſionem peccatorum v. g. Rom. 3: 25. Eph. 1: 7. Col. 1: 14. [quæ eſt irati Dei placatio] quam accipere homines dicuntur Act. 10: 43. 26: 18. ut *reconciliationem accipere* Rom. 5: 11. eandem denotare debeat: nam *converſionem accipere* [quod denotaretur juxta SOCIN.] locutio eſſet incommoda & inepta; 2. Cor. 5: 18. 20. de duplici ſermo fit reconciliatione, nempe de reconci-

liatione à Christo peracta v. 18. 19. & peragenda à Ministris Evangelii v. 20. quæ posteriòr cùm sit conversio, prior debet esse irati Dei nobiscum conciliatio, tantò magis quòd hæc explicetur per τὸ μὴ λογίζεσθαι τὰ παραπτώματα v. 19. Eph. 2: 16. & Col. 1: 20. quià de sanguine Christi sermo est, ideò [ut modò dictum] etiam placatio & reconciliatio Dei nobiscum est intelligenda, è qua Apostolus ut effectum ac consequens deducit conciliationem Gentium ac Judæorum inter se: dùm enim utrique Deo, etiam inter se reconciliati sunt; prolixius hæcce vindicant GROTIUS, ubi modò §. 5---12. & HORNBECKIUS *Socin. conf. to.* 2. p. 610.---615.

Sch. 2. Etsi autem, ut è loc. cit. patet, reconciliatio Dei adscribatur sanguini Christi, quô placatio Dei comparata (§. 939. & sch. 1. ib.), adeòque liberatio à pœna (§. 91. 845.), tamen inde non sequitur, quòd non possit ac debet discrimen constitui inter placari & reconciliari, & quòd ἀποκαταλλάττειν non debeat ac possit distingui ab ἱλάσκεσθαι: nam Scriptura solet totum liberationis Opus omniaque Christi beneficia adscribere sanguini Ipsius fuso tanquam præcipuo satisfactionis Ejus articulo, & maximè illustri amoris erga nos documento, ut etiam monetur in *Formula consensus* §. 15. ut hinc minimè concludi possit, ipsam sub reconciliatione non etiam acquisitionem juris vitæ indigitasse: aliàs enim & per identitatem rationis obedientia Christi activa excludenda esset à satisfactione vicaria: cùm hæc ferè nonnisi obedientiæ passivæ in Sacris adscribatur. Inde & nos supra (§. 453.), electionem ad vitam æternam ad solum Christi placamentum retulimus: cùm de eo, quod præterea requirebatur ad jus vitæ acquirendum, nondum ibi fuerit agendi locus. Cæterum quod suprà (sch. 2. §. 939.) de momentis placationis monitum, idem & quoad reconciliationem animò repetendum, nec minùs quoad redemtionem (§. 949.), cujus plena fruitio demum in futura vita locum habebit; inde & frustraneæ ac ineptæ objectioni, cur redemtio jam diu præstita nunc demum obtingat, facilè occurritur, vid. CANZIUS *Jurispr. &c.* §. 1078. b---h.

Meritus nobis est vitam æternam.

958. *Christus perfectâ Legis servatione jus ad vitam æternam nobis est meritus*: cùm enim eâ jus ad hanc

hanc nobis acquisiverit (§. 955.), Ipse verò servatione Legis per longum tempus, qualem præstitit, opùs non habuerit (sch. 2. §. 953.), adeòque ad eam non fuerit obligatus, præstitit Opus indebitum, consequenter meritus est (§. 734.).

Nempe dum vitam æternam vel jus ad eam Christus nobis dicitur meritus, innuitur, quòd eam postulandi pro nobis à Patre, jus habeat, & Pater vi pacti æterni (§. 455.) obligatus sit ad illam conferendam iis, quibus Christus meritus, vel pro quibus spospondit; unde huc benè quadraret definitio *meriti*, ubi dicitur esse *jus ad id, ad quod alius ob actiones bonas Ipsi obligatur*. Probatur autem meritum hoc Christi ex Rom. 5: 18. 19. ibi namque opponuntur invicem injustitia primi Adami & justitia secundi, uti jam ex illa demeritum venit in omnes (§. 784. 805.), ita ex hac meritum in omnes debet redundare.

Plenè pro nobis satisfecit.

959. Quum Christus non solùm pœnas nobis debitas vel peccatorum æquivalentes tulerit (§. 940. & sch. 1. §. 948.), verùm præterea legem Dei pro nobis perfectè servaverit (§. 953.), explevit pro nobis justitiam Dei tam punientem quàm præcipientem, vel *plenè pro nobis satisfecit* (§. 856.).

Supra nempe (§. 941.) de satisfactione nonnisi quoad justitiam punitivam locuti sumus. Etsi verò Christus plenè satisfecerit, tamen iis, pro quibus satisfecit, aliquid præstandum incumbit, non equidem ad satisfactionem, verùm ut gratiam Ejus impetrent [quo de suo locò] est enim hæc satisfactionis vicariæ natura, conf. Outramus *de sacrific. Lib.* 2. *C.* 6. §. 13.

Non autem pro omnibus & singulis.

960. *Non autem satisfecit Christus pro omnibus & singulis hominibus*: etenim satisfactio non fuit nisi actualis præstatio sponsionis Ipsius (§. 456.), ac ideò latius quàm hæc se non extendit, jam verò non pro omnibus spospondit (§. 454. 463.);

porro Filius tanquam Deus æternus (§. 341. 349.) Ipse quoque decretum electionis condidit (§. 427. & sch. 2. §. 453.), in eo verò comprehensa sunt ipsa etiam salutis media (§. 427.), pro personis designatis (§. 439.), ergo & satisfactionem nonnisi pro personis hisce præstare voluit; vel ponatur, quòd pro omnibus satisfecerit, tùnc aut scivit, quinam satisfactionem accepturi essent, nec ne, utique scivit ùt Deus omniscius (§. 343.), jam in scientia simpl. intellig. (§. 248.), magis adhuc in scientia visionis (§. 249.), vi decreti (§. 410. 419. & sch. ib.), quòd si jam etiam pro iis satisfecit, quos scivit satisfactionem repudiaturos, frustranei quid fecit, id verò dici nequit (§. 269), ergo nec, quòd pro omnibus satisfecerit.

Sch. 1. Ideò Ipse dicit, quòd nonnisi pro ovibus vitam ponat, quas noscat, Joh. 10: 14. 15. Paulus dicit Rom. 8: 32. 33. quòd, quià Deus Filium suum tradiderit, electi accusari non possint, adeòque bonum, quod è traditione Christi in mortem redundat, ad electos restringit; Christum nominat Mediatorem Testamenti Heb. 9: 15. ad Testamenti notio involvi particularitatem, excluditque universalitatem (§. 462.), tacemus alia; è dictis id saltem patet, si veritates Theologicæ in nexu perspiciantur, non posse assumi sententiam de satisfactione Christi pro omnibus & singulis seu redemtione universali: consideretur vel solùm præscientia Dei infallibilis (§. 257.), decretum æternum (§. 394.), super omnia se extendens (§. 416.), immutabile (§. 419.), ex ipsis Rationis principiis adstructum (ib. & *Met.* §. 997. 999.), &, quæ ei innititur, electio ad salutem, dubium supererit nullum.

Sch. 2. Ex his etiam quivis videt, rationem, cur Christus non pro omnibus satisfecerit, neutiquàm inde arcessi, quòd satisfactio Ipsius non sufficisset omnibus redimendis: fuit infiniti pretii (§. 880. 894. & sch. 2. ib.), ut sat valoris habuisset, si Pater eam pro omnibus postulasset, & Filius pro omnibus spospondisset (§. 463.); quare autem Filius non pro omnibus voluerit satisfacere, & quòd propterea

propterea misanthropiæ argui nequeat, jam dictum (§. 464.); nec etiam, ubi dicitur, satisfactionem illam sat habituram fuisse valoris omnibus redimendis, inferri potest, quòd ergo Christus nimis solverit: nam ad unum peccatorem redimendum infiniti valoris λύτρον opus fuit, in infinito autem non datur plus vel minus.

Sch. 3. Cùm dogma, quòd Christus non pro omnibus satisfecerit, connexum sit cum veritatibus aliis tàm per Rationem quàm Revelationem immotis (sch. 1.), adeòque per eas determinetur, sequitur, analogiæ fidei esse conforme (§. 192.), imò per analogiam fidei postulari; quare cùm Scriptura juxta analogiam fidei nunquàm non intelligenda & explicanda sit (§. 194.), sequitur, loca Scripturæ, quæ pro redemtione universali afferuntur, eam stabilire tantùm videri, non autem reapse stabilire: aliâs Revelatio & sibi ipsi & Rationi contradiceret, quod autem fieri nequit (§. 108: sch. 1. §. 107. 170.), hinc in genere perspici potest, quid ad loca illa respondendum, specialiter verò ea hìc discutere ob instituti brevitatem supersedemus, vid. præter alios Cl. Gürtlerus *inst. Th. Cap.* 31. §. 124. seq. aliquid etiam hùc pertinens jam dictum supra (sch. 2. §. 440.).

961. Non rectè itaque Remonstr. satisfactionem redemtionemque Christi faciunt universalem, & volunt, Christum id hominibus esse meritum, ut Deus cum iis reconciliari velit, si fidei sanctitatique studeant. *Ut Remonst. volunt.*

Sch. 1. Pro designatis nempe personis & nullis aliis Christum satisfeciisse nolunt Remonstr., sed pro omnibus ac singulis sub conditione fidei sanctitatisque, unde quænam ipsorum quoad redemtionem universalem sint πρῶτα ψεύδη, facilè perspicitur, repetantur animò dicta (§. 426. 439. 440. 458. 472.). Sententiam Reform. autem Remonstrantes aut non perspiciunt aut datâ operâ in sensum trahunt invidiosum, quando è dogmate electionis hanc nectunt consequentiam, quòd redemtione per Christum non fuerit opus, cùm electi jam per se apud Deum in gratia sint, ut non opus habeant reconciliatione per Christum; quasi verò Reform. vellent, media à fine esse separanda (§. 446, 448.), & quasi reconciliatio per Christum non etiam decretô electionis esset comprehensa (§. 453.).

Sch. 2.

Sch. 2. Fratres August. Confess. etiam redemtionem statuunt universalem, cùm statuant voluntatem omnes salvandi (sch. 2. §. 440.), & in ordine decretorum Divinorum, quem tenent, placationem per Christum præponant prævisioni & electioni eorum, qui placationem illam per gratiam Sp. S. accepturi essent (§. 477.); unde patet dissensum inter Ipsos ac Reform. quoad universalitatem redemtionis non esse in re ipsa: cùm enim ordo ille decretorum non sit in reipsa (§. 481.), & quoad hæc Protestantes in re consentiant (§. 482.), etiam quoad universalitatem redemtionis id aliter se habere nequit, ut perspicatoribus Theologis jam observatum, ex. gr. Cl. RINGIERO *diss. de cons. protest.* &c. §. 23.

Scire quis potest, num Christus pro se satisfecerit.

962. Cùm Christus pro iis tantùm satisfecerit, qui electi sunt (§. 960. & sch. 1. ib.), ille, qui scit, num electus sit, etiam scit, num Christus pro se satisfecerit, cùm jam prius sciri possit è fide sanctitateque, quam quis in se deprehendit (§. 466.), aut non, *etiam inde scire potest, num Christus pro se satisfecerit, nec ne.*

Datur ideò certitudo quoad hoc subjectiva (sch. 2. §. 466.); fides inde ac sanctitas sunt id, quô gratia ejus, qui satisfecit, impetratur (sch. §. 959.); plura de hisce Locô IX.

Christus eorum, pro quibus satisfecit, fuit Caput repræsentativum.

963. *Christus fuit Caput repræsentativum eorum, pro quibus satisfecit:* etenim satisfactione Christus hunc intendit finem; ut liberentur à pœna, ac jus vitæ æternæ consequantur (§. 454. 934. 942. 955.), ii autem, pro quibus satisfecit, per fidem sanctitatemque eòdem tendunt, ac solliciti sunt de eo (§. 842.), qui verò ad eundem tendunt finem, societatem inter se constituunt (§. 760.), jam dum Christus pro illis satisfecit, eo ipsô egit nomine eorum, at qui nomine societatis agit, est Caput repræsentativum (§. 762.).

Sch. 1.

Sch. 1. Quòd ii, qui fide sanctitateque gaudent, eò tendant, ut liberentur à pœna & jus vitæ æternæ consequantur, hîc assumi potest, suô autem locô probabitur.

Sch. 2. Sic ergo Deus aliud introduxit Caput repræsentativum locô prioris Adami (§. 763.), ita nempe, ut, quemadmodum ex hujus inobedientia demeritum in omnes venerat (§. 805. 807. 808.), è contrà ex Illius obedientia meritum in omnes perveniret (§. 952. 958.); legatur Rom. 5: 15 -- 19. ubi Paulus egregiè hac de re loquitur.

964. Cùm Deus Pater sacrificium à Christo petierit (§. 454.), & Hic id Ipsi obtulerit ùt Judici (§. 936.), maximam ideò Is habet rationem petendi à Patre, ut iis, pro quibus satisfecit, pœnam remittat, vitamque conferat æternam, ac inde id non potest non facere: quippe eum in finem tot tantasque exantlavit passiones (§. 847. 861. 898.), ac legem Dei servavit (§. 854. 859.), & si amore ductus dirissima pro suis subiit, Rom. 5: 7. 8. Eph. 3: 19. oportet tantò magis ac libentius pro iis præstet, quod multò minus nec durum est, scil. ut à Patre petat pro suis pœnæ condonationem & jus vitæ æternæ, atque id dicitur *repræsentatio sacrificii Christi* vel *satisfactionis in cœlis*, item *intercessio* Ejus, proinde *Christus pro suis apud Patrem intercedit*, Rom. 8: 34. Heb. 9: 24. 1. Joh. 2: 2. *Pro iis etiam intercedit.*

Sch. 1. Intercessio hæc Christi in cœlis adumbrata fuit per ea, quæ Pontifex in V. T. agebat die expiationis S. Sanctorum ingressus, sicut & ipse ingressus Christi in cœlum per ingressum illum Pontificis Heb. 9: 7. 8. 11. 12. 23 --- 25. legatur hanc in rem Rhenferdii *comparatio expiat. anniversi. Pontif. M. in V. T. cum unica atque aterna exp. J. C. subjuncta Cod. Joma* à Sheringhamio illustrato; Pontifex nempe sanguinem inferens in adytum eumque ibi spargens, præterea suffitum faciens de quibus ritibus vid., quæ breviter interim accuratè Eruditiss. Relandus *Antiq. S. P.* 4. *C.* 6. eô ipsô, pro populo apud Deum intercedere, imò pre-

ces

ces populi Deo commendare censebatur, quò peccata ipsi condonare vellet; quæ intercessio vel suffitu illô indigitabatur precum symbolô Ps. 141: 2. Apoc. 5: 8. 8: 3. exertis autem verbis intercedebat pro populo impositione manuum in hirco emissario factâ ac confessione editâ, ut habetur *Joma* VI. 2. nempe egressus è S. Sanctorum; S. Sacerdos ideò ob ea, quæ tunc nomine populi cum Deo agebat, existimabatur ac erat Legatus populi ad Deum, Legatus confessionis peccatorum illius, quam ob rem, allusione ad id habitâ, Christum Paulo dici ἀπόστολον καὶ ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας (ודוי) ἡμῶν Heb. 3: 1. omnino cum ratione tenetur, vid. egregia in h. l. *diss.* Rev. ac Eruditiss. J. Rod. SALCHLINI, Bernæ, 1722. S. Sacerdos adeò ut in reliquis ita & in illa confessione patrocinium populi apud Deum agebat (sch. 2. §. 930.), ut dici potuerit Patronus populi apud Deum, gr. παράκλητος, vox, quæ de Christo adhibetur, 1. Joh. 2: 1. & ipsis Talmudistis usitata פרקליט [cui opponunt קטיגור κατήγορος] qui, cùm Paracleti sit gratiam alterius alicui conciliare, inde & quasvis res, quæ ad gratiam Dei conciliandam tendebant, פרקליטין appellabant, vid. OUTRAMUS *de Sacrif. Lib.* 2. *C.* 7. §. 6. qui idem etiam conf. quoad intercessionem illam Christi in cœlis totô *Cap. cit.*

Sch. 2. E dictis facilè etiam perspicitur, quomodo ἐμφανισμὸς & ἔντευξις illa Christi ὑπὲρ ἡμῶν concipienda sit, nimirum non per modum humilis alicujus intercessionis vel supplicationis, uti in statu exinanitionis orabat Joh. 17. id enim non conveniret statui glorioso Ipsius (§. 908.), sed per modum repræsentationis satisfactionis suæ, vi cujus à Patre jure petere potest, imò postulare, quod petit.

Sch. 3. Quòd si, quæ ad sacrificium Christi pertinent, animô recolantur, patebit tribus ea absolvi articulis; 1. voluntariâ sui ad mortem oblatione (§. 862. 930.), ei etiam sponte obviam eundo; quò pertinet illud ἁγιάζω ἐμαυτὸν Joh. 17: 19. conveniens cum hebr. קדש in pihel, & הקדיש de rebus Deo devotis & oblatis sæpissimè adhibito; 2. morte ipsâ sanguinisque fusione (§§. 898. 928. 929.); 3. intercessione; ut Christus considerari possit tum ut offerens (§. 862.), tum ut victima (§. 929.),

929.), tùm ut Sacerdos (§. 930.); observante hæc Outramo *Lib.* 2. *C.* 3.

965. Ratio, cur Christus intercedat, desumta est à sacrificio Ipsius (§. 964.), intercessio proinde latius se extendere nequit quàm sacrificium Ejus, cùm jam hoc non pro omnibus obtulerit (§. 960.), sequitur, *quòd nec pro omnibus intercedat*, Joh. 17: 8. 9. consequenter *pro solis electis* (§. 440. 543. 463.) *Adeòque non pro omnibus.*

Ita autem etiam per regressum demonstrativum (sch. §. 130.) probari potest, Christum non pro omnibus satisfacere voluisse: intercessio enim est affectus, sacrificium autem causa, cùm jam Christus l. cit. ipse dicat, se effectum non pro omnibus præstare, oportet etiam causam ejus non pro omnibus præstiterit.

966. *Intercessio hæc inde & semper effectum sortitur*: cùm enim fiat pro electis (§. 965.), quos Pater Ipse elegit (§. 453. & sch. 2. ib.), non potest non Filium semper exaudire; etiam eandem habent voluntatem (§. 359.), ut, quæ Filius vult, etiam velit Pater, Joh. 5: 19. 20. tandem intercessio hæc nititur pacto inter Patrem & Filium (§. 455. 964.), cùm jam Filius præstiterit (§. 959.), quod promisit (§. 454. & sch. 3. §. 861.), Pater è contra etiam Ipsi promissa sua (ib.) certò servabit, ùt Deus verax (§. 304. 305.) *Semper autem cum effectu.*

Hùc pertinent etiam dicta (sch. 3. §. 930.). Intercessione Sanctorum ideò planè non est opùs: cùm intercessio Christi efficaciâ nunquam destituatur; præterea intercessio illa à parte Sanctorum locum habere nequit: quòd si enim Angeli non possunt haberi pro Mediatoribus intercessionis, nec sunt invocandi (§. 556. 557. & sch. ib.), multò minùs Sanctis id debetur, recurrunt hic dicta (ibid. & §. 546. & sch.); ut frustrà Cultui Sanctorum venustos colores veritatis, utilitatis, pietatis &c. dare allaboret, qui acutè decreta Tridentina

dentina explicare scivit, Bossuetus in notissima illa *doctr. Cathol. exposit. Cap.* 4. ad specialia autem descendere non fert instituti ratio, monemus saltem, quod & ipse Bossuetus haud obscurè concedere videbatur, in prima eaque suppressa editione [vid. nota ad §. 16. *exposition.* illius edit. M. Crusii 1736. p. 116.] Cultum Sanctorum in tribus primis Seculis nullum agnoscere fundamentum, vid., qui eruditè id ostendit ac prolixè contra Cultum illum disputat J. Dallæus *adversus Latin. tradit. de Relig. Cult. obj. Lib. III. Cap.* 3 — 28.

Fructus satisfactionis illius.

967. *Fructus* sunt res ex aliis quôcunque modò pervenientes, quare *liberatio à pœna & jus vitæ æternæ sunt fructus satisfactionis Christi* (§. 941. 942. 955. 959.).

Per intercessionem conferuntur.

968. Per intercessionem Christi itaque fructus satisfactionis Ipsius quibusdam conferuntur (§ 964. 966. 967.).

Quare etiam quibusdam Theologis uti Cl. Gürtlero *instit. Theol. Cap.* 31. §. 233. intercessio Christi dicitur collatio fructuum victimæ Ipsius in eos, pro quibus offerebatur. Huc & facit, quod Hebræi tenent, per confessionem peccatorum, quam S. Sacerdos faciebat pro populo, [adeòque erat intercessio pro hoc] factam fuisse expiationem, ut hinc illam dicant expiationem, & וידוי ac כפרה pro iisdem habeant, vid. erudita Rerver. Salchlini *dissert. in Heb.* 3: 1. §. 17. ita & in antitypo Christo per intercessionem Ipsius respicientem sacrificium Ejusdem prævium impetratur expiatio.

Jam ante satisfactionem præstitam intercessio cum effectu locum habuit.

969. Interim *potuit Christus jam intercedere ante satisfactionem actu præstitam, & jam tunc intercessio effectum est sortita:* quoniam enim satisfactionem promiserat (§. 454. 456.), ab æterno (§. 429.), quæ hinc certò futura erat (§. 300. 305.), Deo autem ob omniscientiam (§. 262.), futurum non aliter potuit obversari quàm ut præsens, adeòque & satisfactio

factio Filii futura ùt jam præsens ac præstita, potuit Filius jam tùnc ob illam præstandam petere à Patre condonationem pœnæ ac jus vitæ pro suis, & Pater hæc concedere (§. 966.), consequenter intercedere cum effectu.

Ideò & jam tum actu intercessit Job. 33: 24. satisfactio Ipsius hinc retro est operata, & effectum in antecessum habuit, ob actum solutioni æquipollentem scil. expromissionem (sch. 2. §. 861.), vid. Huberus *diss. Jur. Th. exerc. 6. §. 5. 6. 8. 10. 11.* conf. etiam dicta supra (sch. 2. §. 872.), plura de hisce autem dicenta erunt Locò XI.

970. *E satisfactione illa elucet Dei justitia, Sapientia & gratia, Christique amor ineffabilis:* etenim dum per satisfactionem justitia expletur (§. 856.), eò Ipsò ostendit se in illa justitia Ejus, qui illam postulat, & dum Deus maluit peccata punire in Filio dilectissimo, quàm impunita dimittere, ostendit se summus justitiæ punitivæ rigor (§. 315.), nec minùs justitia remuneratoria, dum jus ad vitam homini dare noluit, nisi Christus perfectâ Legis servatione id esset meritus (§. 854. 955. 958.); unde simùl, quòd Deus hominem hòcce modò è miseria sua voluerit liberare (§. 841. 846.), ostendit bonitatem suam, ac eò ipsò gratiam: dum homo beneficio illo est indignus (§. 312. & sch. ib. §. 837. 846.); Sapientiam: dum medium adinvenit justitiam cum bonitate conciliandi, homini imperscrutabile (§. 90. & sch. 1. ib. §. 859. 861.); Christus tandem cùm fuerit Filius Dei æternus, unigenitus (§. 378. & sch. 1. ib. §. 371.), & per liberationem hominis non potuerit majorem acquirere beatitudinem (§. 335. coll. 349.), interim tamen voluerit in bonum hominis statum subire humilem (§. 900.)

E satisfactione elucent virtutes Dei amorque Christi maximus.

mortem ignominiosam ac atrocem (§. 898.), doloribus corporis animique gravissimis excruciari (ib. & sch. 1. & §. 940. & sch. 1. ib.), erga hominem sanè ineffabilis amoris documentum exhibuit illustrissimum.

Vid. Joh. 3: 16. 10: 11. 15: 14. Rom. 3: 21 --- 26. 5: 7. 8. 8: 32. Eph. 3: 10. 19. 5: 2. 1. Joh. 4: 9. 10. ita ergo satisfactio Christi pro nobis non tantùm non repugnat perfectionibus Dei (§. 863. & sch. ib.), verùm præterea eas in aprico ponit; quoad Sapientiam addimus, eam elucere è satisfactione Filii, dum per hanc bonum privatum cum bono publico fuit conciliatum (sch. 1. §. 846.).

Christus est Rex noster. 971. Quum Christus nos redemerit (§. 949.), eò nos Sibi acquisivit in proprietatem ac peculium (*Mor.* §. 920.), cujus verò res est propria, is est Dominus ejus (ib. §. 891.), Christo proinde ob satisfactionem, quam præstitit, competit dominium in nos, quod dicitur imperium (§. 576.), tale verò exercent Reges, igitur *Christus est Dominus ac Rex noster*, Luc. 1: 36. 37. Joh. 1: 50. 18: 36. 37. 1. Cor. 8: 8. Eph. 4: 4.

Sch. 1. Quòd Christus sit Rex, etiam patet è sessione Ipsius ad dextram Patris (§. 908. & sch. 1. 3. ib.), unde sponte suâ liquet, nos de Christo hîc loqui ut θεανθρώπῳ (ib. sch. 2.): quâ naturam Divinam enim semper & ab æterno Dominus ac Rex fuit, non solùm noster, sed omnium rerum, vi creationis conservationisque omnium (§. 576. & sch. 2. ib.).

Sch. 2. Reges se gerunt vicarios Dei in terris, unde Rex potest dici vicarius Dei, nempe in terra, hinc & præter alia patet discrimen inter talem, ac inter Prophetam, Sacerdotemque (sch. 2. §. 930.).

Regnum quomodo acquisiverit. 972. Christus itaque possidet Regnum, idque redemtione, quam præstitit, consequenter passionibus suis Sibi acquisivit (§. 946. 948. 949. 971.).

Cùm

Cùm de Christo Rege ùt θεανθρώπῳ hic loquamur (sch. §. 971.), patet de Regno Ipsius nos loqui, non quod ab æterno cum Patre Ipsi fuit commune vi imperii ac dominii universalis & illimitati (§. 576.), & quod dicitur *Regnum potentiæ*, atque idem est cum Regno naturæ (§. 667.), verùm de Regno Ipsi competente quâ θεανθρώπῳ, Redemtori, & quod idem est cum Regno gratiæ (ib.).

973. Inde sequitur, *Christum Regnum esse meritum:* acquisivit namque redemtione vel passionibus (§. 972.), hæ verò secum vehunt meritum (§. 952. & sch. 1. ib.). *Id meritus est.*

Pater quippè etiam Ipsi imperium in redemtos promisit ùt compensationem laboris præstandi Es. 53: 11. 12. מעמל נפשו *ob laborem animæ suæ*, ubi particula מן, [de qua] (sch. 1. §. 926.), לכן *propterea*, ib. v. 12. διὸ καὶ, *& ea propter* Phil. 2: 9. ubi autem compensatio operis, quod indebitum, uti id fuit (§. 952. 970.), ibi meritum (§. 734.), quod etiam vox *laboris* indicat (sch. 1. §. 952.).

974. Christus ergo passionibus suis vel obedientiâ & Sibi quid est meritus. *Adeòque & Sibi meruit.*

Id namque perspicitur etiam è mercede Ipsi promissa à Patre in pacto illo æterno (§. 454. & sch. ib. §. 455.): ubi enim merces ibi meritum (§. 734.), & quià merces cedit ei, qui meretur, eô ipsô sibi meretur. Licèt autem meritum, quod Christus comparavit, & unde Regnum Ejus exurgit (§. 972.), spectet alios (952. 958.), vi satisfactionis vicariæ, tamen inde non excluditur meritum respectu sui ipsius, seu quô sibi & pro se merere potuit: eô ipsô namque quòd iis meruerit reconciliationem Dei (§. 957.), quam Deus respexit in electione æterna (§. 453.), perducuntur ad fidem sanctitatemque (§. 437.), & impetrant gratiam Sponsoris (sch. §. 962.), ubi verò hæc, ibi imperium exercet in eos, eos gubernat, [ùt in seq. videbimus], adeòque ad Regnum ejus pertinent; ut hinc & fides ac sanctitas è merito satisfactionis Christi vicariæ exurgant, consequenter dum aliis meruit, etiam sibi meruerit,

nec inde merito pro nobis vel minimum detrahatur, vid. GÜRTLERUS *inst. Th. C.* 31. §. 63. *seq.* Merito Christi autem, quô sibi meruit, non obest illud ἐχαρίσατο Phil. 2: 9. gratia namque fuit Dei respectu nostri, dum Deus Christum in bonum nostrum exaltavit (sch. 4. §. 908.), meritum autem respectu Christi, vi pacti (§. 455. & sch. 2. §. 908.).

Rex factus est, quia fuit Sacerdos.

975. Porro sequitur, *Christum Regem esse, quià fuerit Sacerdos:* quippe quâ Sacerdos passiones subiit (§. 926. 930.), at Regnum Ipsius exurgit è passionibus hisce (§. 972.).

Nisi enim Christus priùs quâ Sacerdos lytron solvisset sufficiens, justitia Dei non habuisset rationem humanæ Ejus naturæ, quâtenus sociata est Divinæ, Regnum tale adjudicandi, conf. (§. 955.), ut fundamentum Regni hujus Christi sit Sacerdotium Ipsius.

Hinc non omnium est Rex.

976. Quare cùm Sacerdotium Christi seu satisfactio Ipsius non ad omnes pertineat (§. 960.), verùm nonnisi ad electos (ib.), adeòque Christus non omnium fuerit Sacerdos, sequitur, *quòd nec omnium Rex sit*, seu *quòd non omnes ad Regnum ipsius pertineant, sed nonnisi electi.*

Sch. 1. Id etiam patebit è seq., ubi de obedientia, quam per Verbum ac Spiritum suum efficit, quæ cùm non in omnibus deprehendatur, nec omnes Regno Christi subsunt; ideò præter id adhùc datur regnum tenebrarum, regnum diaboli (§. 561.), directè adversum huic regno gratiæ (sch. 1. §. 563.) licèt comprehensum ac subjectum Regno potentiæ (§. 576. & sch. §. 972.).

Sch. 2. Ii, quorum Christus Rex est [nempe semper quâ θεάνθρωπος] vocantur Sion, mons Dei sanctus Ps. 2: 6. ἐκκλησία *cœtus* è Mundo *evocatus* Eph. 1: 22. dati Ipsi à Patre Joh. 17: 6.

Gaudet munere Regiô.

977. Quoniam Christus Regnum sibi est meritus (§. 973.), inde potestate vel jure gaudet Sese Regem gerendi, jus verò sese gerendi pro persona publica est id,

id, quod dicitur *munus*, igitur *Christus gaudet munere Regiô.*

Inde etiam, quid sibi velit *munus Propheticum & Sacerdotale*, patet, nempe jus se Prophetam ac Sacerdotem gerendi, quod publicè sit; jus verò se pro tali gerendi Ipsi oritur, tùm quòd à Patre ut talis fuerit missus, designatus, tùm quòd donis, quæ requirebantur, fuerit gavisus, hominibusque, ut se talem gereret, summoperè fuerit necessarium, ac etiam consenserit, seu voluntariò munera hæcce susceperit; revolvantur animô, quæ suprà hinc inde de hisce dicta. Quod hîc dicimus munus Christi, aliô nomine dicitur *officium*, quô nomine hinc longè aliud quid notatur quàm id, quod aliâs Philosophi eô notare solent, intelligentes per illud actionem, ad quam quis obligatus (*Mor.* §. 221.).

978. Christus quià est Rex (§. 971.), *Gubernat populum suum.* Regis autem uti cujuslibet Magistratûs (*Pol.* §. 229. 453.) est, eique competit subditos gubernare, Leges præscribendo, faciendoque, ùt hisce conformiter actiones instituant (ib. §. 433. 435.), ideò & Christus Leges præscribit (§. 914.), emendationem vitæ ac fidem postulat Marc. 1:15. fortissimis Leges munit motivis (§. 917.), facitque, ut redemti iis conformiter agant, per Spiritum suum, Rom. 8:9. 11. quem mittit, Joh. 16:7. & per quem convenienter æterno electionis decreto ad fidem ac sanctitatem perducuntur (§. 437. & sch. 3. §. 453.), *Christus* igitur *populum suum gubernat.*

Sch. 1. Notio *gubernationis* (§. 649. 656.) adeò hîc etiam locum invenit, ut attentus facilè perspiciet. Gubernatio interim hæc Christi consistit reapse in operationibus Sp. S. in cordibus electorum, de quibus demum Locô seq.

Sch. 2. Præcepta Christi, quæ tanquàm Propheta præscribit (§. 914.), licèt hâc consideratione ut à Doctore venientia sint adhortationes, tamen simùl sunt Leges, non aliter ac lex naturæ simul est consilium & lex

(sch. §. 77.); præterea fuerunt præcepta illa [quô modô & ea, quæ Magister discipulis injungit, *præcepta* audiunt] adhortationes Christi Doctoris, in his terris in statu humili versati (§. 900. & sch. 1. ib.), Leges verò, Christi in statum glorioſum traducti (§. 908. 909.)

Quod Ipsum præsupponit Prophetam.

979. Patet exinde, Christum se Regem gerere non potuisse, nisi priùs Prophetam se gessisset.

Intellectus etiam semper prius est collustrandus, antequàm voluntas possit flecti (*Mor.* §. 373.), jam verò illud pertinet ad Doctorem vel Prophetam, hoc verò, seu ut voluntas submittatur, postulant Reges.

Christus populum defendit.

980. Regis est subditos defendere contra hostes: quippe debet eos felices reddere (*Pol.* §. 245.), cùm jam populus Christi habeat hostes, diabolum nempe, peccatum & mundum seu reprobos, ideò & *Rex Christus eum adversus illos defendit*, Ps. 2: 9. Joh. 8: 34. 36. Heb. 2: 14. 1. Joh. 3: 8.

Sch. 1. In gubernatione populi & defensione ejus contra hostes consistit exercitium muneris Regii Christi.

Sch. 2. Perspicitur autem facilè è dictis differentia muneris Regii à Prophetico & Sacerdotali: nempe quâ Propheta præcepta & motiva simpliciter proponit (§. 914. 917.), quâ Rex autem ea per Spiritum suum efficacia reddit; quâ Sacerdos se ipsum obtulit in sacrificium in his terris (§. 930.), idque in cœlo patri suo repræsentat (§. 964.), at quâ Rex fidem sanctitatemque in suis operatur, quibus mediantibus sacrificium illud acceptant, suumque faciunt, seu gratiam Sponsoris impetrant (sch. §. 962.); præterea quâ Rex suos contra hostes defendit per potentiam suam; in genere à Sacerdotali differt munus Regium in eo, quòd hoc, uti è dictis patet, circa homines versetur, illud autem circa Deum (sch. 1. §. 930.), qua in re quoque convenit cum Prophetico Regium.

Populus ab Ipso accipit. sed nil rependit.

981. Quandoquidem Christus quâ Rex suos per Spiritum suum ad fidem sanctitatemque perducit (§. 978.), mediantibus quibus satisfactionem Ipsius

Ipsius sibi in bonum cedere certi redduntur (§. 962.), præterea illos contrà hostes defendit (§. 980.), beneficia in illos confert, pro quibus hi, ùt corrupti (§. 812. 816.), miserique (§. 841.) Christo planè nil rependere possunt, *accipiunt tantùm à suo Rege, nil autem Ipsi dant.*

Quòd si quis teneat beneficii notionem (*Mor.* §. 834.), quæ Christus Rex in suos confert, esse beneficia, facilè perspiciet.

Regnum Ejus à terrestribus longè differt.

982. Quum Christus Regnum suum acquisiverit passionibus suis (§. 972.), præterea suos regat per Spiritum suum (§. 978.), tandem ab Ipsis nil accipiat (§. 981.), patet, *maximoperè illud differre à Regnis terrestribus.*

Sch. 1. Ideò est ac rectè dicitur Regnum *spirituale*, & ipse Christus dixit, Regnum suum non esse de hoc Mundo, Joh. 18: 36. aliter ac Judæi tùnc Regnum Messiæ concipiebant, scil. mundanum.

Sch. 2. Alia adhùc quoad Regnum Christi monenda, ex. gr. quomodo diversis temporibus fuerit administratum &c. suò quæque convenienti locò commemorabuntur.

Christus Mediatorem se exhibuit.

983. Christus quoniam Deum homini reconciliavit (§. 957.), hominem autem Deo: siquidem eum ad fidem sanctitatemque perducit (§. 978.), quam reconciliationem reciprocam ejusque necessitatem priùs hominem docuit (§. 910. 914. 917.), ideò Deum homini hominemque Deo ex inimico reddidit amicum, adeòque *Se plenè exhibuit Mediatorem* (§. 866. 867.).

Sch. 1. Uti ergò reliquos omnes ita & huncce Veri Liberatoris Characterem implevit.

Sch. 2. Quòd homo, ubi ad fidem sanctitatemque perducitur, tunc non amplius se gerat inimicum Dei, hic, uti deberet, nondum ostendi potest, in seq. autem Locò IX. ostendetur, interim quâdantenus id intelligitur ex (sch. §. 435., §. 684. coll. 685.).

Ad quod munus Ipsius triplex requirebatur.

984. Patet autem, *ad id, ut Christus potuerit talem se exhibere Mediatorem, necesse fuisse munus Ipsius triplex:* etenim Deum homini reconciliavit quâ Sacerdos (§. 930. 957.), hominem Deo quà Rex (§. 978. coll. 983.), & dum utramque reconciliationem homini notam fecit (§. 983.), egit se Prophetam (§. 920.), quod munus etiam à Regio præsupponitur (§. 979.).

Præsupponitur ideò illa, quæ Mediatori agenda, officium Sacerdotis, Prophetæ & Regis, hinc & supra (§. 865.) inter Requisita Liberatoris commemoravimus officia ea ante Mediatoris commemorationem.

Quòd rectè dicitur munus Mediatorium.

985. Munus hinc Christi Sacerdotale, Propheticum & Regium rectè dicitur *triplex* Ipsius *munus* vel *officium Mediatorium*.

Indigitatur triplex hocce munus Matth. 11: 28. 29. Joh. 14: 6. 1. Cor. 1: 30.

Ad quod se obtulit in consilio pacis, & designatus fuit.

986. *Ad munus hocce Mediatorium Filius Dei jam in æterno pacis consilio se obtulit, ac fuit ad id in eo designatus:* etenim in eo consilio (§. 460.) promisit se placamentum pro electis facturum, qui deinde fieri deberent peculium Ipsius (§. 454. & sch. ib.), obtulit ergo, quòd velit esse Sacerdos & constitui in Regem, Rex autem esse non potuit, nisi priùs fuisset Propheta (§. 979.), in quæ omnia Pater consensit eô ipsô, quià ab Illo petiit (§. 454. 455.), ergo constitutus fuit Filius in Sacerdotem, Prophetam & Regem; vel aliter: Filius Dei dum promisit ab æterno, se placamentum facturum (§. 454.), placamentum autem hoc [quod per se patet] eò tendere debebat, ut homines è miseria liberarentur, & verò ad id necesse fuit, ut Liberator esset Sacerdos

cerdos, Propheta & Rex (§. 964. 865.), eò ipsò promisit, se triplex hocce officium in se susceperturum, atque adeò &, dum Pater placamentum ab Eo petiit, ad id officium fuit designatus.

Quando in V. T. aliquis ad munus vel Sacerdotale vel Regium deligebatur, id non fiebat sine externa ceremonia, talis autem erat unctio, ut hinc aliquem in Regem *ungere* tantundem dicat ac Regem constituere; unctio in Regem memoratur 1. Sam. 10: 1. 1. Reg. 1: 18. 39. in Sacerdotem [summum, qualis & Christus audit] Ex. 30: 30. Lev. 8: 12. in Prophetam 1. Reg. 19: 15. 16. quamvis sint, qui ultimò locò nonnisi nudam indigitari velint designationem, sine unctione propriè tali. Notabat autem unctio talium personarum non tantùm, quòd ita constituantur ad munus suum, ac consecrentur, verùm & quòd donis ad id obeundum necessàriis quasi perfundantur, seu hæc iis largiter à Deo communicentur; ita ergò & Liberator noster unctus rectè dicitur, dùm constitutus fuit ad munus suum triplex, atque perfusus donis ad id obeundum superabundantibus Ps. 45: 8. de unctione in Prophetam agitur Es. 61: 1. coll. Luc. 4: 18. in Sacerdotem Ps. 110: 4. coll. Heb. 5: 4. 5. 6. Dan. 9: 24. Zach. 6: 13. de ea in Regem Ps. 2: 2. 6. 45: 8. ideò competit Ipsi appellatio *Messiæ* משיח gr. Χριστὸς, istô designatur 1. Sam. 2: 10. Ps. 2: 2. Dan. 9: 25. hôc verò sexcentis N. T. locis; videri autem de hisce potest eruditus Clasingii tractatus *de unctione S.* Lemgov. 1717. 4. ubi doctè, quæ ad unctionem S. spectant, tam illam sub V. T. quàm Christi, elucidavit è sacris & profanis. Gentiles locô nominis Christus adulteratè dixerunt *Chrestus*, & inde quoque *Chrestianus*; loca Suetonii, Just. Martyris, Tertulliani, Lactantii, hanc in rem ab Eruditis allegantur, inter alios à Mich. Rossal in *observat. de Christo per errorem in Chrestum commutato*, *Cap.* 2. qui ex instituto rationem commutationis illius hôcce tractatu elucidat è Literatura græca.

987. Status, in quem homo à Christo Mediatore perducitur (§. *Et per quod homo venit*

in ſtatum reſtitutum.

937. 955. 978.), dicitur *ſtatus reſtitutus*, item *gratiæ*.

Appellatur ſtatus *reſtitutus* oppoſitè ad deſtitutum (§. 791. 841.), è quo homo per illum eripitur, etiam comparativè ad ſtatum inſtitutum (700.), cujus præcipua in illo recuperantur: ſiquidem obtinetur à Chriſto Propheta cognitio (§. 910. ſeq.), ab Eo ut Rege ſanctitas (§. 978.), ùt Sacerdote jus vitæ æternæ (§. 955.); bona, quibus homo in ſtatu inſtituto gaudebat (§. 681. 685. 720.), in ſtatu deſtituto autem caret ac privatus eſt (ſch. 1. 811. §. 820. 837.); ùt ideò electi à Chriſto in primum illum ſtatum poſſint dici reduci ac reſtitui, & rectè ſtatus hicce dicatur *reſtitutus*, uti & rectè ſtatus *gratiæ*: obtinet enim homo in eo gratiam Dei, dum Deus ipſi placatur (§. 939.), pœnam condonat (§. 932.), adeòque iram demittit (§. 330.), hinc homo in gratiam redit cum Deo, gratiam Chriſti obtinet per fidem ac ſanctitatem (ſch. §. 962. & §. 978.); etiam ita dicitur, quià hæc bona proveniunt è pura Dei gratia (§. 970.).

LO-

LOCUS IX.

DE BENEFICIIS FOEDERIS GRATIÆ.

988. QUandoquidem Deus ob satisfactionem Filii (§. 959.), ac intercessionem Ipsius (§. 964.), pœnam condonat, & è contrà vitam vult conferre æternam (§. 937. 955. 966.) iis, qui fide gaudent, sanctitatique student (§. 962. & sch. ib.), idque declarat vel promittit in verbo suo Act. 10: 43. Rom. 10: 11. non potest non homo, quò è miseria sua evadat (§. 841. 852.), promissionem eam vel declarationem libenter acceptare, adeòque contrà promittere fidem sanctitatemque, ubi verò promissum & repromissum, ibi pactum ac fœdus (§. 739. 740.), nec non, ubi promissum ab altera parte acceptatur (sch. 1. ib.), igitur *è satisfactione Christi oritur fœdus inter Deum & hominem.* *E satisfactione Christi oritur inter Deum & hominem fœdus.*

Quòd id sit fœdus, in seq. ulterius patebit: siquidem in eo deprehendi videbimus, quæ ad fœdus requiri diximus suprà (§. 741. 743-745.).

989. Fœdus hoc quoniam itaque innititur satisfactione Christi (§. 988.), in qua Deus gratiam suam ostendit (§. 970.), Christusque amorem summum (ib.), consequenter *Quod dicitur gratiæ.*

quenter itidem gratiam (sch. §. 312.) erga hominem miserum (§. 841. 846.), ideò *est ac rectè dicitur fœdus gratiæ.*

In eo quippe homo in gratiam cum Deo redit. Successit fœdus id in locum fœderis operum (§. 749.), abrogati per peccatum (§. 794.).

In eo quomodo Deus & homo exhibeantur.

990. Perspicitur è dictis, in hocce fœdere Deum exhiberi vel proponi ùt reconciliatum (§. 956. 957.), & hominem, dum sanctitati studet, ùt non ampliùs inimicitiam adversus Deum gerentem (§. 867.).

In seq. videbimus, quomodo præterea adhuc homo in hocce fœdere consideretur: doctrina ideò de isto fœdere est λόγος τῆς καταλλαγῆς 2. Cor. 5: 19. qui non est nisi Evangelium: siquidem in eo liberatio homini proponitur (sch. 1. §. 872.).

Christus est Mediator hujus fœderis.

991. Quare cùm Christus reconciliationem huncce efficiendo Mediatorem se exhibuerit (§. 983.), *est ac rectè dicitur Mediator fœderis gratiæ.*

Cùm Christus Mediator fuerit etiam præcipuè quâ Sacerdos (§. 957. 984.), adeòque sanguinis fusione voluntariâ (§. 928. 930.), ideò fœdus hocce potest dici erectum in sanguine Christi, per hunc nempe fusum primariò meritus est remissionem peccatorum (§. 952.), dein & promissionem Patris de peccatis remittendis confirmavit; ut in hocce fœdere obtinuerit, quod communiter in aliis, nempe quòd non sine mactatione victimæ sanguinisque fusione erigerentur & rata haberentur, vid. Gen. 15: 9. 10. 17. 18. Ex. 14: 3--9. Heb. 9: 15. 21. 23. unde & Gentilibus idem fuit mos, vid. Cel. BOCHARTUS *Hieroz. P. 1. Lib. 2. C. 33. p. 325. 326.* patet inde, Christum Mediatorem fœderis gratiæ esse ac dici non solum nec præcipuè, quia fœdus hoc hominibus indicavit, ac ejus fuit internuncius quâ Propheta istud hominibus proponens (§. 910. 915.) [unde המלאך הברית audit Mal. 3: 1.] & quia morte cruentâ illud confirmavit, uti Socin. ob hæc duo solum Christum volunt dici Mediatorem fœderis, verum præcipuè

quia

quià pœnâ vicariâ impetravit, quod in eo fœdere continetur, scil. remissionem peccatorum.

992. *Remissio peccatorum & collatio vitæ æternæ sunt promissa fœderis gratiæ, item bona vel beneficia ejus:* cùm enim Deus peccata remittere ac vitam æternam conferre velit ob satisfactionem Filii (§. 988.), unde fœdus exurgit gratiæ (ib. & §. 989.), prætereà illud se facere velle in Verbo suo declaret, Joh. 3: 16. 36. Act. 2: 38. Rom. 8: 32. est promissio (*Mor.* §. 1003.), consequenter remissio peccatorum & collatio vitæ æternæ sunt promissa, & quidem fœderis gratiæ; cùm etiam statum hominis perfectum reddant, [ùt per se manifestum] sunt bona (*Met.* §. 422.), tandem cùm è bonitate ac amore Dei proficiscantur (§. 970.), sunt beneficia (*Mor.* 834.). *Promissa vel bona ac beneficia ejus quanam.*

Sch. 1. Alia prætereà etiam sunt ac dicuntur bona fœderis gratiæ, de quibus verò hic nondum agi potest. Non refert autem, sive dicatur, promitti in fœdere gratiæ vitam æternam, aut vitæ æternæ collationem, aut etiam jus vitæ æternæ: quodlibet enim horum per alterum determinatur, ùt attentus facilè perspicit, hinc ulteriori elucidatione opùs non est.

Sch. 2. Ea, quæ per Christum fidelibus conferuntur, adeòque & in fœdere gratiæ promittuntur, eleganter ab Ipso exprimuntur per ζωὴν καὶ περισσὸν Joh. 10: 10. appellantur etiam חסדי דוד הנאמנים Es. 55: 3. τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιστὰ, Act. 13: 34. & verbum, in quo promittuntur, καλὸν ῥῆμα, Heb. 6: 5.

Sch. 3. Cùm in fœdere operum vita æterna homini etiam fuerit promissa (§. 747.), fœdus gratiæ ac operum quoad hoc inter se conveniunt, dico, *quoad hoc:* nam aliàs maximoperè discrepant: quippe jus vitæ æternæ in fœdere operum oriebatur è servatione Legis propria (§. 748. 749.), uti è contrà in fœdere gratiæ è servatione vicaria (§. 955.); in fœdere operum etiam ideò nulla fuit opùs remissione peccatorum (§. 685. 691.); hinc fœdus gratiæ & operum ubi invicem sunt opposita.

993. Dùm

Conditiones & postulata ejus quanam.

993. Dum autem Deus pœnam condonare vitamque æternam conferre vult iis, qui fide gaudent, sanctitatique studeant (§. 988.), fides ac sanctitas hinc præcedere debent, *sunt conditiones fœderis gratiæ, quin & postulata Ipsius:* Marc. 1: 15. Act. 16: 31. Heb. 12: 14. siquidem quod Deus homini suadet, & ei proponit ùt conditionem, ab eo postulare censeri potest ac debet, conf. (sch. §. 77.).

Sch. 1. Non refert autem, utrùm dicatur, fidem ac resipiscentiam esse conditiones fœderis gratiæ, an verò fidem ac sanctitatem: nam sanctitas includit ac præsupponit resipiscentiam, siquidem [ùt in seq. videbimus,] hujus est continuatio, adeòque proponitur ut conditio fœderis gratiæ; in Evangelio resipiscentia postulatur ut conditio fœderis gratiæ Matth. 3: 2, Act. 2: 38. 17: 30. quià res erat cum hominibus anteà criminibus aut idololatriæ deditis.

Sch. 2. Quare fides requiratur ùt conditio necessaria, intelligitur quodammodo è (sch. §. 959. 962.); præprimis autem requiritur propterea, [quod infrà ostendetur, hic verò in antecessum moneri potest,] ut satisfactio vicaria possit reputari propria peccatoris: factum nempe alienum ob consensum solùm potest reputari ùt alterius (§. 802.), & nonnisi per fidem consensus hicce præbetur.

Quatuor ei insunt actus.

994. Cùm itaque Deus aliquid postulet in hocce fœdere (§. 993.), habetur stipulatio (§. 744.), & cùm velit peccata remittere vitamque æternam conferre homini, qui fide gaudet sanctitatique studet (§. 988.), habetur promissio (§. 744.), quâ fide sanctitateque ubi homo actu gaudet, tùnc adstipulatur, inde autem potest petere, quod promissum (§. 739.), unde restipulatio (§. 744.), adeòque *fœderi gratiæ insunt actus quatuor uti fœderi operum* (§. 743. 745.).

995. Quo-

995. Quoniam is, qui aliquid postulat ac promittit, est Deus (§. 994.), & is, qui adstipulatur ac restipulatur, homo (ib.), patet, *partes, contrahentes in fœdere gratiæ esse Deum ac hominem* (§. 742.). *Ejus partes contrahentes.*

996. *Fœdus gratiæ non est nisi executio Testamenti æterni gratiæ:* etenim in Testamento æterno Pater à Filio petiit, ut placamentum in tempore faceret (§. 454.), quò posset nonnullis pœnam condonare, & promisit Filio contrà aliquid (ib.), quando jam Deus in verbo suo promittit remissionem peccatorum [consequenter condonationem pœnæ] (§. 932.) ac vitam æternam (§. 992.), è contrà postulat fidem sanctitatemque (§. 993.), per quas Christus recipitur ùt Rex (§. 978.), hi, qui Eum ita recipiunt, Ejus fiunt Regnum (§. 976.), peculium (§. 971.), & hæreditas, quod cùm Christo promissum fuerit in Testamento æterno (§. 454. & sch. ib.), & intereà per hæcce fiat stipulatio ac adstipulatio fœderis (§. 994.), patet per fœdus gratiæ executioni dari Testamentum gratiæ æternum. *Fœdus id est executio Testamenti gratiæ.*

Ideò, quia Testamentum æternum eò tendebat, ut pax fieret inter Deum ac hominem (§. 460.), etiam fœdus gratiæ non potest non eò tendere, inde & vocatur fœdus pacis Es. 54: 10.

997. Sequitur inde, *fœdus istud in se esse Testamentum, & nonnisi in executione esse fœdus:* id quod inde etiam probatur, quià ad illud adstipulatio fit fide sanctitateque (§. 994.), hæ autem ipsò Dei Testamento huic vel illi sunt destinatæ (§. 437.). *Ut in se sit Testamentum.*

Sch. 1. Præterea quoque id patet inde, quòd fœdus hocce nitatur satisfactione Christi ac intercessione Ipsius (§. 988.), Ipse verò non pro omnibus satisfecerit (§. 960. & sch. 1. ib.), nec pro omnibus intercedat (§. 965.), verùm nonnisi pro electis (ib.), adeòque Testamentô Dei designatis (§. 458.).

Sch. 2. Ideò Christus Mediator (§. 983.) fœderis (§. 991.) dicitur quoque Mediator Testamenti Heb. 9: 15. & sanguis Ipsius, quô fœdus id fuit erectum (sch. §. 991.), sanguis Testamenti Matth. 26: 28. facilè concipiet rem attentè considerans; id, quod intentione decernentis sit Testamentum, executione esse, ac se exhibere ut fœdus, conf. interim ULR. HUBERUS *differt. Jurid. Theol. exerc.* 4. §. 4. 5. 7. 8.

Et fides sanctitasque bona ejus.

998. Unde ulterius sequitur, ipsam fidem sanctitatemque, etsi sint conditiones ac postulata fœderis (§. 993.), tamen in se esse bona ac beneficia ejus.

Sch. 1. Tantò magis sunt bona ac beneficia fœderis adeòque & Testamenti, quòd homo ob corruptionem (§. 816.), ac arbitrium servum (§. 827.), fidem sanctitatemque ipse in se operari nequeat, hinc Deus utramque debeat in homine efficere, Phil. 2: 13. ut in seq. specialius ostendetur, inde & à Deo ut Testamenti bona promittuntur Heb. 8: 10. quià verò semper debent præcedere reportationem promissi in fœdere, ideò & semper ut conditiones respectu nostri se sistunt, ut quodammodo monitum (§. 993.).

Sch. 2. Fœdus gratiæ itaque est ac dici debet Testamentum non tantùm eam ob rationem, quòd mors Testatoris nempe Christi (sch. §. 458.), accedere debuerit, uti & in Testamento humano mors Testatoris præcedat oportet, si dominii translatio debet fieri, [quam ob rationem vel solam vel præcipuam illud Testamenti nomine venire vult Cl. BUDDEUS *Theol. dogm.* p. 712.] sed vel maximè & præcipuè, quòd bona sint legata æternâ Testatoris Voluntate, & quòd ipsa illa quoque, quæ Testator postulat, scil. fides sanctitasque ex eodem Testamento fluant (§. 431. 458.). Interim cùm Fratres Aug. Confess. fidem sanctitatemque è decreto Dei tandem ac ultimò derivare necesse habeant (sch. 3. §. 452.), etiam necesse habebunt, fœdus gratiæ si id in se spectent, seu respectu Dei non autem in administratione, vel executione, agnoscere pro Testamento.

999. Cùm

999. Cùm fœdus gratiæ sit executio Testamenti gratiæ (§. 996.), Testamentum autem hocce idem sit cum decreto electionis (§. 458.), patet *electionem Dei æternam esse fundamentum fœderis gratiæ.* *Nititur electione æternâ*

Innititur electione hâc fœdus gratiæ, quià ipsæ personæ fœdus id per fidem sanctitatemque acceptaturæ seu ei adstipulaturæ sunt electæ à Deo (§. 439.); unde, cùm in anteced. (§. 995.) dictum sit, Deum esse partium contrahentium unam in fœdere isto, patet Ipsum esse [quod & Theologi monent, vid. Cl. Lampius Geheimn. des Gnaden-Bunds, to. 2. C. 2. §. 24 --- 29.] partem *primam* ac *præcipuam*; primam: dum Ipse fœdus inchoavit, id designando in Testamento gratiæ, & inchoat in tempore, dum hominem ad id amplectendum idoneum reddit (sch. 1. §. 998.), ut ipse hominem quoad omnia præveniat, 1. Joh. 4: 10. præcipuam: dum Ipse personas ad illud seu fœderatos eligit (§. 997.), unde & appellat *fœdus suum*, Gen. 17: 7. præterea nullam exinde capere potest utilitatem (§. 334.), Job. 22: 2. 3.

1000. Cùm interim & è satisfactione Christi oriatur fœdus istud (§ 988.), & sine ea hoc locum habere planè non potuisset (§ 847. 857.), patet *etiam satisfactionem Christi esse fundamentum fœderis gratiæ.* *Et satisfactione Christi*

Duplici ideò est superstructum fundamento, & fulcrum hujus fœderis est duplex: unum, tempora omnia antegressum, ab æterno factum (§. 999.), alterum autem, in tempore factum, vid. prolixè de utroque agens Cl. Lampius, ubi modò, *Cap.* 4. 5.

1001. Quare cùm Opus liberationis præsupponat plures in essentia Divina personas (§. 860.), & liberatio ista peracta fuerit satisfactone Christi (§. 857. 942.), hæc verò sit fundamentum fœderis gratiæ (§. 1000.), etiam *fœdus gratiæ pluves præsupponit in essentia Divina personas*, ac *Deus in eo consideratur ut Triunus* (§. 364.). *In eo Deus consideratur ut Triunus.*

Vid. Cl. LAMPIUS ubi modò *Cap.* 2. §. 15 --- 21. etiam ideò homo cum omnibus S. S. Trinit. personis potest dici fœdus id inire; unde & in nomine omnium in fœdus illud recipitur, Matth. 28: 19. interim tamen præcipuè est Pater, cum quo fœdus contrahitur: cum eo enim peccator reconciliatur (§. 957.); conf. dicta (sch. 1. §. 861.), & LAMPIUS, ubi modò §. 22. 23.

Quomodo homo considerandus veniat.

1002. Ex hactenus dictis etiam perspicitur, quomodo homo in isto fœdere considerandus veniat, nimirùm cùm in eo Deus velit pœnas peccatis promeritas condonare (§. 988. 992.), ob satisfactionem Filii sui (§. 988. 1000.), homini, quem Ipse ad id elegit (§. 997.), eique vires largiatur, ut conditiones fœderis præstare possit (§. 998. & sch. ib.), patet, *hominem hîc venire ùt miserum, peccatorem, viribus ad bonum destitutum* Ez. 16: 6. 8. *interim pro quo Christus satisfacere voluerit convenienter æterno electionis decreto, adeòque & ùt electum.*

Sch. 1. Non repugnat hisce, quod suprà (§. 990.) diximus, hominem in fœdere gratiæ proponi ùt sanctitati studentem & talem, qui non amplius inimicitiam adversus Deum gerat: ibi enim hominem consideravimus ùt actu fœdus istud acceptantem, & adstipulatione jam factâ; præterquàm quòd & hîc homo, dum ùt electus consideratur, simùl ùt sanctitati operam dans, saltem certò operam daturus non possit non considerari.

Sch. 2. Lutheri discipuli equidem agnoscunt, hominem in fœdere gratiæ considerari ùt peccatorem, viribus ad omne bonum destitutum, & pro quo Christus satisfecerit, quòd verò etiam considerandus sit ùt electus ab æterno à Deo, id est, quod nolunt, vid. BUDDEUS *Theol. dogm.* p. 710. at omnis hæc lis oritur ex ordine decretorum Divinorum: decretum enim de dandis mediis sufficientibus Fratres ponunt ante decretum electionis (§. 477.), hinc & decretum de invitando & perducendo ad fœdus gratiæ: siquidem id etiam inter illa media pertinet; adeòque ubi homo fœdus gratiæ debet amplecti, eum nondum possunt considerare ùt electum, cùm decretum

tum electionis posteà ponant ; at cùm ordo hicce decretorum sit tantùm in nostro concipiendi modo (§. 481.), & dissensus circa illum minimè sit in re ipsa (§. 482.), etiam dissensus præsens, quòd nempe homo in fœdere gratiæ considerari non debeat ùt electus , non potest esse in reipsa : Lutheri discipuli enim sicùt in decreto electionis res considerant juxta ordinem executionis (sch. 1. §. 477.), ita & in fœdere gratiæ ; quô modô si res considerentur , Deus hominem , quem decrevit ad fœdus gratiæ eligere , demum posteà decrevit eligere ad salutem : in executione namque est fœdus (§. 997.), juxta hoc autem boni promissi reportatio sequitur conditionis præstationem ; & si fœdus gratiæ consideretur, prout se habet respectu Dei omnia præscientis (§. 257.), decernentis (§. 410.), decretum non potest non præcedere [quô quippe comprehenduntur & media & fines] (§. 415.), hinc homo ùt electus considerari.

Per fœdus gratiæ quid applicetur.

1003. *Per fœdus gratiæ Deus homini vult applicare satisfactionem Filii & meritum Ipsius :* per satisfactionem suam namque Christus homini comparavit remissionem peccatorum (§. 937. 941.), ac jus vitæ æternæ (§. 955. 959.), & utrumque est meritus (§. 952. 958.), jam verò in fœdere gratiæ Deus homini vult tùm peccata remittere, tùm vitam æternam conferre (§. 988. 992.), ob satisfactionem Filii (§. 988. 1000.), adeòque & ob meritum Ejus, ergò tùm illam tùm hoc homini vult applicare.

Sch. 1. *Applicare alicui aliquid* , est eum participem reddere sive rei sive fructuum ejus sive utriusque ; *sibi quid applicare* est rem suam facere, vel & fructus ejus : jam in fœdere gratiæ homo [ubi nempe ei adstipulatur] particeps fit remissionis peccatorum & juris vitæ æternæ, quæ sunt fructus satisfactionis & meriti Christi : cùm ex hisce proveniant (§. 967.) ; ut ita & illa & hoc homini applicentur.

Sch. 2. Per fœdus gratiæ & beneficia Ejus liberatio Christi parta homini applicatur, ut adeò Locus hicce IX. versetur nonnisi circa *applicationem salutis* , quemadmodum

modum Locus VIII. ferè nonnisi circa *impetrationem* ejus versabatur.

Sch. 3. Per fidem aliâs dicitur applicari meritum Christi, ac hoc neutiquam repugnat ei, quod hîc stabilitum ivimus, nempe per fœdus gratiæ illud applicari: nam in fœdere gratiæ postulatur fides (§. 993.), per quam fit adstipulatio (§. 994.), & sine qua boni promissi (§. 992.) vel fructuum satisfactionis ac meriti Christi quis non potest fieri particeps, consequenter dum illa & hoc per fœdus gratiæ applicantur, eò ipsô quoque applicantur per fidem.

Sch. 4. Potest etiam dici, per fœdus gratiæ homini applicari liberationem à Christo præstitam ac redemtionem, interim cùm hæ propriè tantùm versentur circa condonationem pœnæ (§. 942. 948. 949.), convenientius dicitur, satisfactionem & meritum Christi applicari.

Ex eo elucent virtutes Divinæ.

1004. Quare cum è satisfactione Christi eluceant Virtutes Divinæ (§. 970.), oportet & eædem è fœdere gratiæ eluceant.

Ideò non opùs est, ut specialius hoc ostendatur, transferantur hùc dicta (§. 970. & sch. ib.), vid. interim etiam Cl. LAMPIUS *to.* 1. *Cap.* 2. §. 4--12.

Ex illo comminationes non oriuntur.

1005. Ad fœdus gratiæ & in eo homines veniunt ùt peccatores (§. 1002.), & in eo Deus offert remissionem peccatorum cum jure vitæ æternæ (§. 992.), adeòque in illo offert liberationem à pœna, quâ per violatum fœdus operum se dignos reddiderunt (§. 785. 789.), hinc ne comminatio fœderis operum (§. 728. 750.) in ipsis executioni detur, quæ comminatio omnibus incumbit (§. 837.), quòd si ergo fœdus gratiæ non acceptant, manent sub comminatione fœderis operum, seu morte æterna (§. 728.), igitur *comminatio mortis æternæ non oritur à fœdere gratiæ sed à fœdere operum, fœdusque gratiæ nonnisi repetit comminationes fœderis operum.*

Sch. 1.

Sch. 1. Ideò dicitur, quòd Christum non recipiens jam sit condemnatus, Joh. 3: 18. & contra legem peccans secundùm legem judicandus sit, Rom. 2: 12. vid. Buddeus *Theol. dogm.* p. 712. etiam aliâs ostendi potest, fœdus gratiæ nullas habere comminationes sibi peculiares: quòd si enim tales haberet, haberet vel alias vel majores quàm fœdus operum: alias habere nequit: siquidem nulla potest esse comminatio pœnæ cujusdam nisi vel temporalis vel æternæ, at utraque jam annexa fuit fœderi operum (§. 750.), inde & majorem habere nequit: siquidem & æterna, quâ major non datur, ei fuit annexa. Nonnisi id admitti potest, nempe comminationem pœnæ æternæ, etsi non extensivè, tamen intensivè posse esse majorem: cùm dentur gradus, Matth. 11: 23. 24. unde hoc dici potest, nimirùm loca, quæ innuere videantur, peculiares fœderi gratiæ annexas esse comminationes, ex. gr. Marc. 16: 16. Heb. 2: 3. 10: 29. comminationem fœdere operum jam comprehensam tùm repetere seu de novo inculcare, tùm etiam aggravare, scil. ratione intensionis pœnæ, dum gratiam Dei oblatam respuunt, quo de in seq.

Sch. 2. Fœdus gratiæ cùm propriè sit Testamentum (§. 997.), ideò comminationes, quas repetit, benè possunt dici exhæredationes, ut eleganter observat Ulr. Huberus *diss. Jur.-Theol. exerc.* 4. §. 6.

Sch. 3. Comminationes fœderis operum cùm omnibus incumbant hominibus, inde quodammodo perspicitur, quid respondendum sit, ubi quæritur, sub quonam fœdere homines nascantur: nimirùm ob peccatum omnibus naturâ inhærens (§. 812.), & imputatum (§. 808.), fœdus operum amplius locum habere nequit (§. 794.), adeòque sub hoc non nascuntur, interim cùm comminatio hujus fœderis sit relicta (§. 796.), hôc sensu sub eo possunt dici nasci; infantes autem progeniti parentibus, qui in fœdus gratiæ consenserunt sive ore sive corde, eâtenus, quâtenus à parentibus repræsentantur, possunt dici nasci sub fœdere gratiæ, conf. (sch. 2. §. 837.).

1006. *Fœdus gratiæ tandem est invariabile:* dum enim nititur satisfactione Christi (§. 1000.), præsupponit justi- *Est immutabile.*

tiam Dei (§. 856.), hæc verò est immutabilis (§. 300. 316. 323.), ergo &, quod inde resultat, fœdus gratiæ; prætereà ex eo elucet Sapientia Divina (§. 970. 1004.): dum medium invenit justitiam cum bonitate conciliandi (ib.), jam medium hoc oportet sit optimum ac convenientissimum, quià Deus nonnisi tale eligit (§. 269. 275.), tale verò etiam nonnisi unum esse potest (§. 634.), ergo & medium Virtutes illas inter se conciliandi, consequenter &, quod ei superstructum, fœdus gratiæ.

Dicitur nempe invariabile, non, quòd non circumstantiæ quædam aliquando possint adesse, aliquando verò abesse: hæ enim essentialia eadem relinquunt, & possunt comparari cum modis rerum, qui variant ac mutantur, essentiâ interim ac attributis iisdem manentibus [per princ. Ontol.]; hinc quoque fœdus gratiæ diversimodè fuit administratum, unde & de veteri ac novo sermo fit, Heb. 8: 13. de quibus demum Locô XI.; fœdus gratiæ ideò invariabile & omnibus temporibus idem est *quoad substantiam*, ùt dicitur.

Vocare & vocatio quid. 1007. Quando Deus in verbo suo homini offert promissa fœderis gratiæ (§. 992.), sub conditionibus ejus (§. 993.), & ad hasce conditiones præstandas hortatur, dicitur eum *vocare*, ut *vocatio* sit oblatio fœderis gratiæ & adhortatio ad præstandas conditiones ejus.

Sch. 1. Quare hæc Dei actio erga hominem vocatio appelletur, obscurum esse nequit: analogia nempe est inter id, quod homines dicunt *vocare*, aliquem *ad se vocare*, & inter illam Dei actionem: is quippè vocatur ab altero, qui ab hoc separatus & aliquô intervallô sejunctus, ac ut appropinquet, vox sonora tanquàm medium adhibetur, quâ non vi trahitur vel pellitur, sed permovetur, ut sponte, lubenter propiorem se exhibeat; jam homo in statu peccati à Deo est sejunctus (sch. 2. §. 821.), adhortatio Dei in verbo suo analogum quid est voci sonoræ: siquidem uti hæc fit verbis, ita & illa, & tandem homo illâ adhortatione lubenter, spontanee permovetur, non autem vi pellitur, ùt in seq. videbimus.

Terminus

Terminus vocationis inde & in Scriptura adhibetur, memoratus enim κλῆσις τῦ Θεῦ Rom. 11: 29. ἡ ἄνω κλήσις Phil. 3: 14. κλήσις ἐπερανίος Heb. 3: 1. κλητοὶ Matth. 20: 16. 1. Cor. 1: 2. κεκλημένοι, καλέσαι Matth. 22: 3.

Sch. 2. Fit autem vocatio hæc non solùm adhortando, uti ex. gr. Es. 55: 6. 7. Matth. 11: 28. sed & præcipiendo Ps. 27: 8. Es. 1: 16. 1. Pet. 1: 16. & alibi; quin etiam flagitando Jer. 3: 22, Ez. 33: 11. 2. Cor. 5: 20. suntque adhortationes illæ, præcepta ac flagitationes Dei Ipsius, etsi homines ea proponant: siquidem Dei nomine & non suô id faciunt, vid. Luc. 10: 16. 2. Cor. 5: 20. 1. Thess. 2: 13. ut Deus ipse ideò fœdus gratiæ offerre rectè dicatur; cæterùm adhortationes, præcepta ac flagitationes apud Deum propriè unum idemque esse intelligi potest è dictis (sch. §. 77.).

Ad eam requiritur verbum Dei.

1008. *Verbum Dei scriptum adeò est medium vocationis, estque necessarium*: etenim homo naturâ nescit modum placationis cum Deo (§. 92.), adeòque fœdus gratiæ (§. 939. 992. 1000.), hinc revelatio ipsi est necessaria (§. 92.), seu Verbum Dei scriptum (§. 125 - 127.), cùm jam in oblatione fœderis hujus & adhortatione ad conditiones præstandas consistat vocatio (§. 1007.), oportet & ad hanc Verbum Dei scriptum sit necessarium.

Est necessarium, quià omnis emendatio hominis ab Intellectu debet incipere (*Mor.* §. 373.), quod de etiam deinceps; interim Deum ei non semper & præcisè esse alligatum, quoque dein audiemus.

Quod legendum vel audiendum.

1009. Oportet ideò Verbum hoc vel legatur vel audiatur vel utrumque simùl.

Conf. de lectione Scripturæ (§. 149.), unde simùl & necessitas Verbum audiendi adstruitur; alterutrius necessitas absoluta [nisi nempe Deus miraculum & in Regno gratiæ extraordinarium facere velit] patet etiam è princip. psychol., juxta quæ omnis cogitatio à sensatione quadam initium semper sumit (*Met.* §. 846.), sensationes eæ, quæ cogitationes de fœdere gratiæ

excitare debent, non possunt esse nisi vel visus vel auditus; ad priorem pertinet lectio Verbi Divini; posterior est ipsa auditio, de qua PAULUS Rom. 10: 14. πῶς δὲ πιςύσωσιν, ᾧ ὐκ ἤκυσαν; πῶς δὲ ἀκύσωσι χωρὶς κηρύσσοντος; Usus Verbi homini incumbit ac necessarius est etiam quàm maximè, ut vocatio Divina ab illusione discernatur: per verbum enim spiritus probantur, 1. Joh. 4: 1. seq.

Vocatio quomodo distinguatur.

1010. Quòd si homo mediante Verbò Dei reapse perducatur ad præstandas conditiones fœderis, seu perducatur ad fidem sanctitatemque (§. 993.), vocatio hæc dicitur *efficax*, item *interna*, uti è contrà, ubi hæ non sequuntur, & fœdus gratiæ simpliciter proponitur (§. 1007.), dicitur *externa*, item *communis*.

Sch. 1. Interim num propterea duplex statui debuit vocatio deinceps dicetur; de posteriori vocatione seu communi vel externa loquitur Servator Matth. 20: 16. 22: 14. efficaciter vel internè vocari dicitur quoque *audire auribus mentis*, item *cordis*, id est, voluntate flecti, uti è contrà nonnisi externè vocari dicitur *audire auribus corporis*; Scriptura prius exprimit simpliciter per *audire*, vid. ex. gr. Act. 28: 28. 1. Joh. 4: 6. item per *aures inclinare* Prov. 4: 20. Jer. 7: 26. 11: 8. licèt & τὸ auribus solùm corporis audire exprimat voce audire, vid. loca, ubi utrumque audire conjungitur, Jer. 5: 21. Ez. 12: 2. Matth. 11: 15. 13: 13. posterius audire terminatur nonnisi in Intellectu, & idem est ac percipere, cognoscere; utrique opponitur τὸ aures obturare Ps. 58: 5. avertere Prov. 28: 9. 2. Tim. 4: 4. aggravare Es. 6: 10. Zach. 7: 11. claudere Act. 7: 57.

Sch. 2. Monendum autem, vocationis efficacis terminum designare tùm actum, tùm statum; res, quæ bene sunt distinguendæ: actus est, ubi talis in homine fit mutatio, status vero, ubi dein ea mutatio pergit, vel actus continuatur, quod tum constituit fidem ac sanctitatem; nos hic, quod facilè quivis perspicit, non de statu verùm de actu loquimur, & semper nonnisi actum intellectum volumus, quamdiu de vocatione agemus, quod hic monuisse sufficiat.

1011. Eô

1011. Eô ipso igitur, dum homo efficaciter vel internè vocatur, acceptat fœdus gratiæ oblatum, seu incipit adstipulatio ad id (§. 994.). *Per internam incipit adstipulatio.*

Per vocationem internam fœdus gratiæ fit διπλευρον, cùm per externam adhùc tantùm fit μονόπλευρον (sch. §. 745.), seu à parte Dei.

1012. *Ad vocationem internam requiritur, ut homo miseriam suam vividè sentiat, peccata detestetur, eorum remissionem ob Christum anhelet, ea vitet, è contrà tendat ad actiones bonas* (§. 598.): etenim in illa homo perducitur ad fidem Sanctitatemque (§. 1010.), jam verò fides præsupponit talem sensum miseriæ (sch. §. 435.), ac refugium ad Christum (ib.), & sanctitas, cùm sit studium actiones determinandi ad gloriam Dei ac Christi (ib.), si locum habere debeat, oportet homo tales actiones amet, oppositas verò, seu malas, quæ peccata (§. 598. 620.), vitet: homo enim nec vult, nisi quod pro bono habet, nec aversatur, nisi quod pro malo (*Met.* §. 506. 507.), hinc nec amat, nec vitat, & si aliquid sit vitandum, unde priùs longô usu voluptatem quis percepit, uti peccator è peccato (§. 816.), detestatio præcedat oportet. *Quid requiratur ad illam.*

Sch. 1. Probatio hujus iis, qui vocationis internæ participes sunt facti, etiam à propria suppeditatur experientia, si aliquantum distinctè eam considerare potes sint, adeòque à Theologia experimentali (prol. §. 15.).

Sch. 2. Perspicitur inde, Verbum tam Legis quàm Evangelii requiri ad vocationem efficacem: lex namque ea est revelationis doctrina, quæ homini officia præscribit, promissis ac minis sancita (sch. 3. §. 740. 746. 748. 750.), uti Evangelium doctrina de Liberatore (sch. 1. §. 872.); lex ergo homini ostendere potest, ubinam deliquerit, Rom. 3: 20. & cujus pœnæ sè fecerit reum, adeòque ostendit homini miseriam suam (§. 841.), Evan-

gelium autem, quomodo per Liberatorem inde possit evadere (§. 842. 848.); cùm jam ad vocationem efficacem requiratur, ut homo miseriam sentiat, & in illa ad fidem perducatur (§. 1010.), quæ est refugium ad Christum (sch. §. 435.) Liberatorem, requiritur tam lex quàm Evangelium, id est, ut utramque vel legat, vel audiat (§. 1009.). Atque hoc est, quod aliàs dicitur, concionem tam Legis quàm Evangelii requiri, vel esse medium vocationis; de Lege potest dici illud Jud. v. 23. quòd quidam cum tremore sint salvandi, & ex igne eripiendi; de Evangelio, tanquam medio vocationis, illud Rom. 1: 16. 2. Thess. 2: 14. ac alia.

Sch. 3. Patet exinde &, quomodo Verbum Dei sit legendum: nempe dum inde homo ad sensum miseriæ, peccatorum detestationem &c. perducendus sit, hæc autem locum non habeant sine convictione, comparatione & examine statûs sui ad legem, convictio verò postulet attentionem (*Log. C.* 13. §. 11.), examen statûs sui autem secum ferat, ut cogitationes dirigantur post unum versus aliud, id est, ut reflectatur (*Met.* §. 272.), & effata Legis considerentur ut ad se pertinentia, id est, ut sibi applicentur (sch. 1. §. 1003.), patet, Verbum Dei legendum ac audiendum esse attentè, seriò, seu cum proposito inde fructum debitum reportandi, reflectendo super statum suum & Verbum, idque sibi applicando; conf. etiam (sch. §. 842.), facere hùc quoque possunt (*Mor.* §. 168 -- 173.).

Sch. 4. Miseriam suam equidem homo etiam è Ratione potest cognoscere (sch. 2. §. 841.), at minimè sufficienter, minùs, quomodo inde possit evadere (§. 861.); interim tamen anhelat liberationem Ratio, dum anixa est de ejus revelatione (§. 101.); in quo consistit usus ejus *pædagogicus* præstantissimus: dum suô modô hominem præparat, ac disponit ad altiora, quo de infra.

Fit successivè. 1013. Patet inde, cùm plura se invicem subsequantur in vocatione efficaci, eam fieri successivè.

Sanè cogitationes mentis successivè fiunt, seu tempus requirunt (*Met.* 736.); huc etiam, quòd vocatio successivè fiat, faciunt, quæ Theologi tradunt de convictionibus Sp. S., & circumstantiis, in quibus & per quas eæ fiunt efficaces, nec non, quæ in genere de gradibus

gradibus in vocatione obviis docent, vid. Cl. Lampius Gnaden-Bund *to.* 1. *Cap.* 7. §. 14--19. in quibus omnibus tamen multum occurrere diversitatis in diversis objectis rectè monet §. 23. interim quod ad culmen seu complementum vocationis, hoc sine successione fieri rectè tenetur, & in seq. patebit è notione miraculi.

1014. *Sunt hæ tales in anima mutationes, quæ ex vi ejus non sequuntur:* etenim vis animæ tendit ad mala (§. 812. 813. & sch.), seu vires concupiscendi versùs ea diriguntur (§. 814.), adeòque versùs peccata, ut ea committendi conatus adsit continuus: talem enim vis involvit (*Met.* §. 117.), jam ut conatus hicce inhibeatur, & vires versùs contrarium seu bonum dirigantur, quod requiritur (§. 1012.), ex ipsa vi animæ sequi nequit: cùm nulla hujus directionis ratio sit nec in anima, ob conatum continuum versùs mala, nec extra ipsam, quoniam mala ùt bona deamat (§. 816.), & respectu veri boni vis hæc est serva (§. 825.), nulla: eò quòd homo sit mortuus (§. 821.), seu viribus ad bonum destitutus (§. 780.); mutationes igitur hæ, quas vocatio efficax involvit, ex ipsâ vi animæ non sequuntur. *Non procedit ex anima vi.*

In subsidium quoque advocari posset Theologia experimentalis (prol. §. 15.), quæ satis ostenderet difficultatem harum mutationum homini insuperabilem. Interim tamen mutationes eæ non repugnant essentiæ animæ: quod enim essentiæ repugnat, impossibile est in se [per princ. Ontol.]; ut, quando dicitur, eas ex animæ vi non sequi, tantundem sit, ac si dicatur, rationem sufficientem actualitatis suæ illas non habere in vi animæ, qualis se habet in statu destituto, in quo omnes naturâ versamur (§. 791. 841.), adeòque juxta illam vim hinc hypothetice esse impossibiles. Cæterùm quando dicimus, rationem directionis virium versùs bonum non esse extra animam, nemo non videt, nos

non

non loqui de Deo, verum nonnisi de cæteris rebus.

Ut sit miraculum in ea.

1015. Mutatio, quæ ex animæ vi non sequitur, seu in ea rationem [scil. actualitatis] non habet, pertinet ad Regnum gratiæ (§. 667.), & est miraculum in anima (*Met.* §. 759.), igitur *vocatio efficax pertinet ad Regnum gratiæ, estque miraculum in anima.*

In seq. id [nempe quòd vocatio efficax ad regnum gratiæ pertineat] aliunde adhuc intelligetur. Vocatio etiam, cùm plures involvat mutationes (§. 1012.), ideò potest dici miraculum compositum è pluribus mutationibus miraculosis, quæ requiruntur, antequàm effectus exurgat plenus, & quarum quælibet fit momentò, convenienter ei, quod in Cosmolog. stabilitur (*Met.* §. 688.); ut hac in re Theologia non pugnet cum Philosophia, conf. Cel. BÜLFINGERUS *dilucid.* §. 229.).

Tantùm quoad Regnum naturæ.

1016. Interim cùm fiat modò ordinariò per Verbum Dei (§. 1008.), sive lectum sive auditum (§. 1009.), *non est miraculum quoad Regnum gratiæ, sed quoad Regnum naturæ.*

Inde & occurrit potest dubio, quod quis movere posset, nimirum miracula minuere perfectionem Universi (*Met.* §. 712. coll. 726.), nec manifestare Sapientiam Divinam (ib. §. 1039.), hinc & de vocatione efficaci id esse dicendum; nempe cùm vocatio efficax fiat viâ ordinariâ in Regno gratiæ, desinit ibi esse miraculum, & cùm regnum gratiæ consentiat cum Regno naturæ (§. 670.), præterea vocatio illa requiratur ob rationes gravissimas, scil. liberationem hominis è miseria (§. 841.), Sapientia Dei tot edendo miracula non solùm nil detrimenti patitur, verùm adhùc illustrior redditur (*Met.* §. 1042.); porrò cùm per vocationem efficacem homini perfectio originalis restituatur (§. 692.), & adeò per illam plures creaturæ fiant perfectæ, perfectio Mundi inde minui nequit: quippè tollitur dissensus & imperfectio per peccatum Mundo illata (sch. 2. §. 85.); observandum etiam, quæ sequuntur è primo miraculo, seu motus orientes è vocatione Dei homini impressa, desinere esse miracula: siquidem rationem suam habent in statu præcedenti, quamvis vim animæ transcendant, vid.

vid. Clariſſ. Bülffingerus *dilucid.* §. 230. 231.

1017. Quòd ſi verò vocatio efficax procedat ſine Verbo Dei lecto aut ex aliis audito, adeòque recedat à via ordinaria in Regno gratiæ, eſt ac dicitur *miraculum* etiam *quoad Regnum gratiæ.* *Quandonam etiam quoad Regnum gratiæ.*

Sch. 1. Talia miracula in regno gratiæ etiam fuerunt revelationes & inſpirationes Prophetis ac Apoſtolis factæ (ſch. 1. §. 120. & §. 141.).

Sch. 2. Talis vocatio ideò, cùm recedat à via ordinaria, rectè poteſt dici *extraordinaria*, quô nomine & illa appellanda eſſet, quæ, etſi fieret per Verbum, tamen fieret per Verbum modô extraordinariô propoſitum, uti illa Pauli Act. 9: 4. ſeq.

1018. *Tali modô Deus nonniſi variſſimè hominem vocat, & eum nonniſi ob rationes graviſſimas adhibet:* etenim à via ordinaria recedit etiam quoad Regnum gratiæ (§. 1017.), ac & ibi eſt miraculum (ib.), at verò Deus viam ordinariam in genere nonniſi rariſſimè deſerit, & miracula talia nonniſi graviſſimas ob rationes admittit (*Met.* §. 1041.). *Talis vocatio rara eſt.*

Inde talis vocatio poſſet appellari miraculum duplicatum, quod ſi factum eſt, à Sapientia Divina ſimùl provenit, ut è dictis intelligitur, conf. etiam (ſch. §. 597.); exempla talis vocationis hiſtoriæ præbere debent, quamvis circumſpectio requiratur ad vera diſcernenda ab illuſionibus, ex hiſtoria S. exemplum forſan eſt Cornelius Act. 10: 1. ſeq.

1019. Errant igitur, qui verbum Dei ſeu lectum ſeu auditum ad vocationem efficacem non requiri volunt; nec minùs, qui id per ſe ſufficere ſtatuunt, adeòque vocationem efficacem è vi animæ vel hominis procedere contendunt (§. 1014.), quorum illud tenent Fanatici, hoc verò Pelagiani. *Error Fanaticorum & Pelagianorum.*

Dux

Duæ hæ sententiæ itaque directè sibi invicem sunt oppositæ, orthodoxa inter eas medium tenet, & addit, quod utrique deest, contra Fanaticos faciunt dicta (sch. §. 1009.); cum Pelagianis faciunt Socin. & Socino-Remonstr., statuentes, cum vocatione externa internam semper conjungi, & utramque nonnisi gradu differre, cujus sententiæ falsitatem hinc inde in seq. videbimus, objectiones etiam & difficultates, quas movent, suô quæque locô levabuntur, ubi commodissimè fieri poterit.

Efficitur operatione Dei immediatâ.

1020. Cùm vocatio efficax sit miraculum in anima (§. 1015.), quoad statum, in quo nùnc est (§. 841.), seu quoad regnum naturæ (§. 1016.), miraculum autem à solo Deo provenire possit (*Met.* §. 640.), hinc nonnisi operatione Ejus immediatâ fieri, *oportet & vocatio efficax à solo Deo per operationem immediatam efficiatur.*

Sch. 1. Quòd à solo Deo proveniat vocatio efficax, etiam simùl indicatum fuit, dùm ad Regnum gratiæ relata est (§. 1015.), vid. (§. 667.); licèt autem etiam Regnum naturæ Deo prorsùs subsit (§. 669.), tamen magna semper manet differentia: siquidem hujus regni operationes procedunt è vi rerum (§. 667.), non autem eæ regni gratiæ (ib.), & hujus operationes Deus producit permotus ob Christum, quo de in seq.

Sch. 2. Cogitabit haud dubie quis, quomodo dici possit, vocationem hancce effici à Deo *immediatè*, cùm tamen dictum fuerit, verbum Dei requiri (§. 1008.), adeòque eô mediante, hinc *mediatè* fieri; at respondetur, etsi Verbum Dei prærequiratur, & hinc etiam medium vocationis efficacis appellari queat, tamen minimè esse medium propriè tale, quod definitur *aliquid, quod rationem in se continet* (*Met.* §. 912.), hinc è quo effectus per se sequitur, & non potest non sequi, conf. (sch. §. 43. & *Met.* §. 1028.), non est quippe nisi *conditio sine qua non:* cùm per illud vocatio possit manere inefficax, ùt intelligitur è (§. 1014.), & quoque sine illo aliquando quàmvis rarò fiat (§. 1018.). Potest res hæc illustrari, si ponatur homo cœcus locô tenebricosô detentus; ut hic videre possit, non sufficit accensio lucernæ, verùm quàm maximè restitutio visûs, & accessio

accensio lucernæ minimè efficere potest, ut videat; interim tamen accensio hæc etiam requiritur: absque hac namque, si vel maximè visus esset restitutus, tamen videre non posset: cùm sit in loco tenebricoso, adeòque est conditio sine qua non; nihilominùs visus ipsi diceretur immediatè restitutus; substituatur jam in locum lucernæ Verbum Dei, in locum restitutionis visûs, operatio Dei, res clara erit, & patebit, vocationem efficacem rectè dici fieri operatione Dei immediatâ, simùl quoque patebit, quomodo & Verbum & operatio Dei requiratur (§. 1018.).

1021. Operatio hæc Dei dicitur *gratia*, item *gratia efficax*, etiam *operatio*, vel *operationes Spiritûs S.*, igitur *sine gratia Dei* vel *operationibus Spiritûs S. vocatio non fit efficax* (§. 1019.). *Hæc quomodo aliàs dicatur.*

Sch. 1. Voce *gratiæ* in Scriptura indigitatur aliquando benignitas Dei, quâ inducitur ad homini licèt indigno bona conferenda (sch. §. 312.), eumque è miseria eripiendum, Rom. 3: 24. Eph. 1: 6. 7. ut pro misericordiæ etiam sumatur (sch. 312.); aliquando supernaturalis Dei in anima hominis operatio, quâ efficaciter reducitur, ut sectetur actiones bonas sensu Christianô (§. 598.), seu bonum spirituale (ib.); ita sumitur ex. gr. 1. Cor. 3: 10. 15: 10. aliquando etiam indigitantur per illam effectus benignitatis Divinæ seu dona gratiæ, vid. 1. Cor. 1: 4. Eph. 4: 7. Jac. 1: 17. hîc præcipuè spectamus significatum secundum; in omnibus autem hisce præsupponitur, quòd meritô Christi provocentur, adeòque & nomine & re pertineant ad regnum gratiæ (sch. §. 668.).

Sch. 2. Operatio hæc Sp. S. quiâ non fit sine Verbo præcedente (§. 1008. & sch. §. 1009.), nisi rarissimè (§. 1018.), ideò Verbum ac Spiritus etiam conjunguntur in Scriptura, vid. Es. 59: 21. Hagg. 2: 5. atque Spiritus vel gratia per Verbum operari rectè dicitur; unde & licèt vocatio distinguatur in externam ac internam (§. 1010.), tamen rectè potest dici, non esse nisi unicam: siquidem non solùm unicus inde exurgit effectus, verùm etiam idem est Auctor, qui simùl Verbum proponit, vel proponi curat, & dein efficaciter operatur; uti &, si ponatur in exemplo allato (sch. 2. §. 1020.), quod idem ille, qui lucernam accendit

cendit, simùl quoque restituat visum, unica potest dici actio, quâ facit, ut cœcus videre possit, quamvis interim duo diversa occurrant; ut hinc quis possit sive unicam tantùm dicere vocationem, sive eam distinguere in externam ac internam, & hac super re litigare inutile sit, modò neutrum ab altero sejungatur, sed Verbum ac operatio Spiritûs semper conjungantur.

Per gratiam vires animæ in contrarium vertuntur.

1022. Vires animæ, quoniam in statu, quô omnes homines sunt, versus mala tendunt (§. 816. & sch. 2. ib.), per vocationem efficacem autem ad sanctitatem perducuntur (§. 1010.), consequenter ad bonum sensu Christianò tale (§. 598. & sch. ib.), hinc in contrarium vertuntur seu diriguntur (§. 1014.), operatio verò hæc dicitur gratia & operatio Spiritûs S. (§. 1021.), *per gratiam & operationem Spiritus S. vires animæ vel hominis in contrarium vertuntur.*

Sch. 1. Dicitur etiam, quòd Deus vim novam conferat animæ, uti & locuti sumus (§. 667.), vis nempè tunc sumitur tantùm pro directione virium & tendentia, non verò pro re ipsa per se subsistenti & durabili, qualis vis est (*Met.* §. 660.); ideò commodior est locutio, qua dicitur, vires hominis in contrarium verti; priori enim locutione indigitari quis forsan crederet, vim homini priùs auferri à Deo, ac annihilari, & locô ejus dein aliam de novo reddi; quod argueret mutationem essentialem, qualem tamen homini neutiquàm induci infra videbimus & res aliâs ipsa satis indicat.

Sch. 2. Inde & cùm per vocationem efficacem homo ad bonum reducatur, & operatio hæc dicatur operatio Sp. S. (§. 1021.), adeòque Sp. S. adscribatur, ideò bonum id dicitur etiam *spirituale*, vel *spiritualiter bonum* (§. 598.).

Ut duplex tollatur defectus.

1023. Patet inde, per operationes Spiritûs S. tolli duplicem defectum, quem peccatum originale homini induxit (§. 813.).

Non tantùm quippe est retractio à malo, sed præterea reductio ad bonum; uti viator in devia inductus non solùm, ubi meliora edoctus fuerit, vitat ulteriora devia, adeòque

adeòque unum defectum, verùm præterea viam ad me tam ducentem ingreditur strenuè, adeòque & alterum defectum tollit, sic & peccator; prius est peccata detestari, vitare (§. 1012.), posterius versus bonum tendere (ib.).

1024. Patet porrò, *hominem in vocatione efficaci passivè se habere*: cum enim vocatio in eo fiat per operationem Dei immediatam (§. 1020.), & mutationes, in quibus vocatio illa consistit, non procedant à vi animæ (§. 1014.), ratio vocationis efficacis & mutationum harum non est in homine, ubi verò hæc, ibi passio (*Met.* §. 104.). *Homo in vocatione efficaci se habet passivè.*

Sch. 1. Nempe in ipso vocationis efficacis actu seu primo gratiæ supervenientis momento homo se habet passivè, vid. Turretinus *Theol. Elenc. Loc.* 15. Q. 5. in secundo autem voluntas & ipsa agere incipit, uti Theologi se explicant, vid. ex. gr. Cel. Bürmannus *Syn. Th.* L. 6. C. §. 12. quod etiam benè convenit cum iis, quæ hac de re diximus: ubi enim vis in contrarium vertitur seu dirigitur, ibi ea non potest non passivè se habere; ubi verò semel in contrarium directa est, ibi & ipsa vis agere dein incipit: eò ipsò quià est vis (*Met.* §. 115.); unde sequentia momenta seu mutationes sequentes, quæ constituerent statum vocationis & sanctitatem (sch. 2. §. 1010.), miracula esse desinunt (sch. 2. §. 1016.); ita namque & Sapientiæ Dei est conveniens (§. 592.), licèt omnino vis hæc semper dein à Deo sit conservanda & excitanda, ùt suò locò videbimus.

Sch. 2. Difficultates, quas inde nectunt Adversarii, suò quamque locò tangemus, ubi responsio ad eas commodissimè se præbebit.

1025. Patet ulterius, *gratiam hominem prævenire* [quæ ideò rectè dicitur *præveniens*] ubi namque quid in contrarium vertitur ab altero & ab eo patitur, uti vis hominis à gratia (§. 1022. 1024.), eò ipsò prævenitur ab illo. *Gratia eum prævenit.*

Contradistingitur gratiæ prævenienti *cooperans*, etiam *subsequens* dicta, quæ ad sequentia vocationis efficacis momenta, seu statum ejus vel sanctitatem (sch. 1. §. 1024.), pertinet; Pelagiani tam prævenientem quàm subsequentem sustulerunt, semi-Pelagiani autem posteriorem admiserunt, vid. qui Historiam Pelagianam illustrarunt, VOSSIUS, NORISIUS &c. Qui hodiedum cum semi-Pelagianis vel faciunt, vel ad eos accedunt, *Pelagianizantes* dicuntur, in quo dijudicando, & num aliquis eò sit referendus, circumspectum esse oportet: cum doctrina de gratia, quæ in se deberet esse ac etiam est materia solatii, incitamenti ad sanctitatem &c. hominum vitiò perplexa sit reddita, si quæ ulla alia in Theologia, unde cum Ratione Rev. MOSHEMIUS *hist. Christ. antiq. ad Secul.* V. P. 2. C. 5. §. 22. vocat *lites spinosissimas*, „quæ omnem consequentem ætatem miserè lacerarint, & ad nostram, bonis omnibus & piis lugentibus protractæ sint; causæ nempe hujus rei fuêre tum altercandi studium, tum studium partium, & quàm maximè definitionum accuratarum neglectus.

Reddit arbitrium liberum. 1026. Cùm per operationem Sp. S. tollatur duplex defectus, qui homini per peccatum originale fuit inductus (§. 1023.), sequitur, *per gratiam homini liberum arbitrium restitui, & è servo fieri liberum arbitrium* (§. 825--827.).

Hìc valet illud Servatoris Joh. 8: 36. *si Filius vos liberos reddiderit, verè liberi eritis.*

Unde vocatio efficax ultimò veniat. 1027. *Venit vocatio efficax è decreto Dei & quidem prædestinationis, seu Testamento gratiæ:* etenim decretum Dei super omnia se extendit (§. 410.), vel omnia, quæ actualia sunt, ab ipso veniunt (§. 277. coll. 390. 399.), ergo & vocatio efficax; per quam cùm homo perducatur ad fidem sanctitatemque (§. 1010.), hæ verò è prædestinatione veniant (§. 437.), quæ aliàs dicitur Testamentum gratiæ (§. 458. 460.), oportet & inde

inde veniat vocatio efficax, Rom. 8: 30. 2. Tim. 1: 9.

Quòd vocatio hæc è decreto Dei veniat, & ad rationem actualitatis illius ultimam assignandam assurgendum sit ad decretum Divinum, nemini obscurum erit nec scrupulum movebit, qui tenet præscientiam Dei infallibilem (§. 257.), determinatam futurorum contingentium veritatem (§. 251. 252.), per nexum, qui in utroque occurrit regno (§. 667.), vi Sapientiæ Dei (§. 267.); quòd è prædestinatione veniat, etiam ita ostenditur, quià auxilia gratiæ externa (§. 447.), quæ sunt conditiones sine qua non vocationis efficacis (sch. 2. §. 1020.), è prædestinatione veniunt (§. 448.); vocatio idcò & electio quoque junguntur, 1. Cor. 1: 26. 2. Pet. 1: 10.

1028. *Venit è bonitate Dei ob Christum:* nam cùm in illa vires hominis in contrarium vertantur, nempe versus bonum (§. 1022.), ad sanctitatem (§. 1010.), quæ est perfectio, bonum & perfectio in illa homini à Deo communicatur, ubi verò id, ibi bonitas se exerit (§. 308.); & cùm veniat è Testamento gratiæ (§. 1027.), id autem sine Christo & Ejus placamento locum habere non potuerit (§. 453. 459. 469.), præterea fiat ad fœdus gratiæ (§. 1007. 1010.), quod nititur satisfactione Christi (§. 1000.), sequitur, quòd obtingat ob Christum. *Unde præterea, & ob quem.*

Ita ergo cùm vocatio obtingat ob Christum ulteriùs [præter id, quod dictum] (§. 1015.), patet, eam pertinere ad regnum gratiæ (sch. §. 668.). Bonitas etiam hæc Dei, ad quam ostendendam ob Christum vel Ejus meritum permovetur, cùm dicatur gratia (sch. 1. §. 1021.), & ipsa Dei operatio, quâ homo efficaciter vocatur, ita audiat (§. 1021. & sch. 1. ib.), gratia ideò è gratia venire rectè dici potest.

1029. *Est ideò vocatio efficax beneficium Dei:* nam cùm è bonitate Dei veniat (§. 1028.), venit eò ipsò quoque ex *Est beneficium Dei.*

amore Ipsius (§. 308. coll. 328.), quod verò inde in alterum proficiscitur, est beneficium (*Mor.* §. 834.).

Etiam inde id liquet, quià beneficium, cùm ex amore proficiscatur, secum fert, quòd ad perfectionem alterius quid contribuat, jam verò vocatio efficax facit ad perfectionem hominis (§. 1028.); nec non quia beneficii notione involvitur, quòd is, in quem redundat, passivè se habeat: namque accipit, jam autem in vocatione illa homo passivè se habet (§. 1024.).

Efficax unde fiat. 1030. Quum in vocatione efficaci homo se habeat passivè (§. 1024.), & gratia hominem præveniat (§. 1025.), sequitur, *utramque fieri efficacem non per & ob voluntatis consensum, verùm ipsam voluntatis consensum efficere*, Jer. 31: 18. Phil. 2: 13.

Sch. 1. Id amplius liquet, si attendatur, quinam is sit, qui vocat, & quinam ii, qui vocantur, ille est Deus omniscius (§. 262.) adeòque, qui præscit infallibiliter (§. 257.), vocationem effectum sortituram, & etiam decrevit (§. 410. 1024.), jam verò ubi vocans ita se habet, vocatio Ipsius [quæ adeò hìc est activa] minimè potest esse suspensa à determinatione voluntatis, hujus quippe determinatione jam priùs [ut ita dicam] determinata; qui vocantur, sunt corrupti (§. 816. & sch. 2. ib.), voluntate in contrarium nitentes (sch. §. 813.), ut adeò voluntas Ipsorum priùs sit reducenda seu flectenda.

Sch. 2. Voluntatis consensus adeò est consequens, quod sequitur vocationem Dei, & quidem certò, vel vi præscientiæ Divinæ, vocatio verò Dei est antecedens, quod rationem in se continet consensûs voluntatis, & à qua vocatione consensus hicce suspensus est infallibiliter, adeòque cum ea conjunctus; quòd si quis ideò diceret, gratiam fieri efficacem per voluntatis consensum, id autem ita intelligeret, quòd ipse voluntatis consensus per gratiam [ex intentione ac præscientia Dei efficacem] determinatus sit, is non diceret, quod reprehendi mereretur.

Sch. 3. Ideò & dici rectè potest, vocationem efficacem non procedere è spontaneitate hominis, interim tamen nunquam

nunquam esse absque spontaneitate, quin & hominem in ea esse spontaneum: nimirum ubi vocatio efficax dicitur non procedere è spontaneitate, innuitur, rationem ejus non esse in homine: spontaneum enim est, cujus principium est in agente, in anima (*Met.* §. 518.), jam verò principium vocationis hujus non est in anima, eò ipsò, quià vis animæ ab alio extra eam aliter dirigitur (§. 1022.), ac in ea homo se habet passivè (§. 1024.): dum nempe Intellectûs convictio supernaturalis [qua de mox] requiritur; respectu hujus homo non est spontaneus: principium enim aliunde vel ab extra in ea positum est, ubi verò principium mutationum semel positum est, ibi spontaneitas incipit, voluntatis consensus sequitur. Non tantùm nulla ideò locum habet coactio, sed & principium mutationis illius jam est in anima: quià scil. supernaturaliter convicta, dum homo lubens redditur, sciens ac volens [per verbum quippe Dei ad cognitionem perductus] (§. 1008.), vocatur; unde vocatio efficax non solùm non est absque spontaneitate, sed & in ea homo est spontaneus, respectu nempe voluntatis, ad quam præcipuè vocatio restringitur. Interim tamen non obstante spontaneitate hâcce vocatio manet miraculum, licèt aliàs notio miraculi spontaneitatem excludat [ùt attentus facilè perspicit] (conf. *Met.* §. 758.759.), quià Intellectûs emendatio est miraculosa, quam Deus juxta regnum gratiæ vel gratiâ suâ efficit; ubi verò unum sufficit miraculum, ibi Sapientia Dei plura non admittit, ut mutatio voluntatis, seu vocatio quâtenus consideratur respectu voluntatis, sit primi miraculi consequens (conf. sch. §. 1016. & sch. 1. §. 1024.). Hinc & patet, quòd spontaneitas hæcce non considerari debeat nec possit ùt vocatione Dei vel operatione Spiritus S. prior, & ùt efficaciam gratiæ determinans, verùm è contrà ùt posterior, & ùt per efficaciam gratiæ determinata, licèt tempore sæpè ferè simùl sint; atque eò pertinet illud Jer. 20: 7. *pellexisti me, & pellici me passus sum.* Ita ergò & operatio gratiæ in salvo manet, & libertas hominis; quin etsi spontaneitas locum non haberet in vocatione efficaci, tamen nondum sequeretur, adesse coactionem: quià quis se persuadere potest spontaneum, dum experitur, se lubenter ferri versùs quid, etsi vis, per quam fertur, ab extra veniat, ac id nesciat,

ut intelligitur è (sch. 2. §. 523.), lubentiâ hâc ratione remanente.

Gratia sufficiens num differat ab efficienti.

1031. Inde & cùm voluntatis consensus efficiatur per gratiam (§. 1030.), *gratia propriè distingui nequit in sufficientem volenti, & efficientem:* quod inde etiam liquet, quià ubi quid sufficit effectui producendo, eò ipsò efficiens est: siquidem ubi ratio est sufficiens, ibi cùm plura non requirantur, effectus eô ipsò & per se sequitur (§. 5.), & ubi non sequitur, ibi nondum adest ratio sufficiens.

Sch. 1. Nemo hac de re ambiget, qui, quid sibi velit ratio sufficiens, perspectum habet, imò solùm, quid sit ratio, vid. (sch. 1. §. 5.): per rationem enim & rationem sufficientem effectus certò determinatur, ut non possit non sequi, unde etiam dicitur, positâ ratione sufficiente poni & id, quod per eam potius est, quàm non est; ideò sanè etiam gratia sufficiens ac efficiens in se, & si ad notiones genuinas juxta principia Ontolog. revocetur, oportet sit unum idemque sub diversis nominibus, præsertim apud Deum omnia præscientem (§. 257.), hinc loca Scripturæ, quæ pro gratia sufficienti & tamen non efficienti allegantur, Es. 5: 4. Jer. 5: 21. Ez. 12: 2. nonnisi de mediis externis, seu conditionibus sine qua non (sch. 2. §. 1020.) intelligenda, vid. præter alios GÜRTLERUS *inst. Th. C.* 15. §. 189.--196. id est, ut homines, qui nonnisi de externis judicant, gratiam illam sufficientem judicassent: nam profectò si respectu Dei intelligantur, non congruet cum perfectionibus Ipsius; ut natura rei ac analogia fidei (§. 171. 192.) ea respectu Dei sumere non permittant.

Sch. 2. Cæterum de gratia sufficienti & efficienti cum Fratribus Aug. Confess. lis ferè logomachia est: siquidem per *sufficientem volenti* nonnisi gratiam externam & actus pædagogicos (sch. 4. §. 1012.), de quibus plenius in seq., intelligere omninò videntur: dùm distinguunt ab ea gratia, quâ efficitur voluntatis consensus; at ita nec Reform. abnuunt, gratiam sæpissimè esse non-efficientem, interim sufficientem futuram volenti.

volenti, seu ubi voluntas per eam determinaretur, quòd verò voluntas ipsa propriis viribus se determinet, utraque pars negat; deinde considerant gratiam non respectu Dei omnia prævidentis, verùm respectu nostri, & quidem apud diversa subjecta [quod probè notandum], quorum corruptio à nativitate licèt sit æqualis, tamen per circumstantiarum, in quibus versantur, varietatem diversimodè modificetur (sch. 2. §. 821.), ut, licèt *æqualiter*, tamen *non similiter* homines sint pravi, quod dixit Ill. Leibnitius *caus. Dei* §. 138. hinc, quod uni è corruptionis statu educendo sufficisset, alteri non sufficisset; uti sanè & nostrates Theologi varios admittunt indurationis gradus, ob quos ideò potest dici requiri media externa plura vel pauciora, magis & minùs diuturna, antequàm Deus cum iis gratiam internam juxta consuetum in Regno gratiæ ordinem velit conjungere.

1032. Gratia, quâtenus consensum voluntatis efficit, & hic ex ea non potest non sequi, dum est sufficiens, appellatur *per se victrix*, proinde *gratia per se est ac evadit victrix*. *Est per se victrix.*

Sch. 1. Huc pertinet illud Jer. 20: 7. *nimis fortis mihi fuisti, & prævaluisti*; ex iis autem, quæ in anteced. dicta, patet, quomodo intelligenda sint loca Scripturæ, quæ gratiam non victricem verùm è contrà victam innuere videntur, Es. 63: 10. Matth. 11: 21. Act. 7: 51. nimirùm si intelligantur respectu Dei, Ejus omniscientiæ (§. 262.), dependentiæ omnium ab Ipso (§. 280.), repugnabunt analogiæ Fidei (§. 192.); quâpropter respectu hominum intelligi debent, id est, quòd ii, qui l. cit. gratiæ Dei non cessisse dicuntur, non cesserint adhortationibus, obtestationibus, hominum eorum, qui illis gratiam nomine Dei proponebant, ac vim Prophetarum [etiam Christi ut Prophetæ] Apostolorumque eluserint, non autem Dei.

Sch. 2. Gratia ideò cùm per se & ex intentione Dei sit efficiens (§. 1031.), ac victrix, non opus habet novâ gratiâ, per quam prior quædam, quæ sufficiens à Deo omnibus concedatur, fiat efficax, uti novi Thomistæ in Gallia eò se recipiebant, verbis aliis idem dicentes, quod Jansenistæ, quos tamen cum Jesuitis, à quibus revera dis-

sentiebant, interim cum iis sentire sibi persuadebant, aut videri volebant, oppugnabant ac persequebantur, uti lepidè rem narrat *literarum provincialium* sub nomine Montaltii Scriptor *Epist.* 2. ac ab Werenfelsio inter logomachias & pessimos earum effectus inter alia exempla rectè refertur, *diss. de Logom. erudit. Cap.* 4.

Operatur consensum voluntatis per lucem Intellectûs.

1033. *Operatur autem gratia voluntatis consensum præcedente luce Intellectûs*: namque ad vocationem prærequiritur Verbum Dei (§. 1008.), unde cognitio (§. 115.), seu lux (*Met.* §. 203.); porro ad vocationem efficacem requiritur, ut homo miseriam sentiat &c. (§. 1012.), quod cognitionem secum fert; tandem ubi voluntas est emendanda, ibi priùs Intellectus est emendandus (*Mor.* §. 373. 374.).

Deus namque inter Leges psycholog. hanc è primis posuit, ut voluntas ex Intellectu sequatur (*Met.* §. 878. 879.), quam sanè Eum contra naturam rerum immutare nemo dixerit, etsi de regno gratiæ agatur, tantò minùs, quòd eô opùs non sit: cùm gratiam consensum voluntatis ita operari posse res ipsa indicet, & actu operari experientia interna eos, qui ejus participes facti, edocere possit.

Quæ est cognitio supernaturalis.

1034. Quum verò, ubi voluntas ad bonum flectenda, eô ipsô cognitione opùs sit vivâ (*Mor.* §. 169.), & hæc sine convictione aut persuasione locum non habeat (ib.), convictio autem & persuasio, qualis requiritur ad voluntatem retrahendam à bonis apparentibus, quæ tantoperè deamavit (§. 816.), è contrà ad perducendam, ut quærat, quæ anteà aversabatur (ib. & sch. 2.), vires hominis in statu peccati transcendat, ob ipsam hanc voluntatis depravationem (§. 811.), ùt & Intellectûs (ib. & sch. 1.), sequitur, *convictionem & persuasionem, quæ ad vocationem efficacem requiritur, esse supernaturalem.*

Per-

Persuasionem hîc dicimus, ac neutiquàm vanam, de qua (*Log. C.* 13. §. 13.), absit! dicimus nempe persuasionem, ubi quis, qui certus & immotus est quoad veritates salutares, tamen rationes, ob quas certus sit, distinctè sibi non repræsentat, conf. etiam (*Mor.* §. 681.).

1035. Convictio hæc aut persuasio supernaturalis dicitur *illuminatio*. Vis adeò animæ interna (sch. 3. §. 523.), quæ est vis repræsentandi (ib.), ita supernaturaliter efficitur per illuminationem. *Ac illuminatio audit.*

Sch. 1. De hac illuminatione sermo fit 2. Cor. 4: 6. Eph. 1: 17. 18. 5: 14. exprimitur etiam per operationem oculorum Ps. 119: 18. gignitur illuminatio, si, tanquam conditio sine qua non, Verbum Dei tractetur, ut debet (sch. 3. §. 1012.); & vicissim ubi jam adest, ibi Verbum Dei modò dictò melius ac rectius tractabitur.

Sch. 2. Per hancce illuminationem naturam à gratia disterminari rectè perhibetur, vid. Lampius Gnaden-Bund to. 1. C. 7. §. 18. qui & articulos præcipuos, circa quos illuminatio versatur, indicat ex Joh. 16: 8--11. peccatum, justitiam & judicium.

Sch. 3. Ex iis etiam, quæ nonnisi indicata (sch. §. 1034.), patet, eos, qui profundâ rerum cognitione pollent, ideò non magis esse illuminatos iis, qui minùs profundâ pollent, & plebejis: illuminatio namque non determinatur per cognitionem distinctam, ut satis intelligitur è (§. 1034.), & experientia quoque comprobat: cùm doctissimi & profundissimi haud semper sint illuminatissimi, è contrà sæpissimè cognitione vivâ careant, cujus causas commemorare non est hujus loci, conf. autem (*Mor.* §. 681. 682.). Cavendum interim, ne propterea concludatur, cognitionem solidam esse inutilem ac spernendam, cùm ob rationes alias multas sit commendanda, ac etiam sit officium hominis, conf. (*Mor.* 683.).

1036. Gratia igitur voluntatis consensum operatur per illuminationem (§. 1033. 1035.), & mediante hac vocatio fit efficax. *Per quam vocatio fit efficax.*

Sch. 1. Illuminatio hæc, cùm in ea adeò homo vel vis animæ à Sp. S. ad bonum vertatur (§. 1022.), quod est bonum spirituale (§. 598.), ideò parit experientiam spiritualem, de qua (sch. 3. §. 193.), & hæc sine illa

non habetur: ubi namque experientia spiritualis esse debet, ibi mutationes, quæ experiundo animadvertuntur, quis subierit oportet, adeòque vocationis efficacis particeps sit factus, jam verò ad vocationem efficacem prærequiritur illuminatio. Illuminatio versatur circa veritates universales, quæ liberationem è miseria concernunt, experientia spiritualis verò circa singularia (*Log. C. 5. §. 2.*); patet autem, vi hujus experientiæ existere Theologiam experimentalem (prol. §. 15.): quæ quippe est experientiæ spiritualis plenior deductio, ut ordine proponeretur, & in systema redigeretur.

Sch. 2. Uti autem experientiæ non solùm sunt propriæ sed & alienæ, & per utrasque confirmantur veritates seu theoriæ, hinc &, sicut illuminatio experientiam spiritualem parit, sic vice versâ hæc illam auget, corroborat, conf. (*Mor. §. 684.*), ita ut una per alteram crescat, ideò utile admodum & necessarium est, ut quis consideret exempla ad casus ad hæc pertinentes, quot potest, seu experientias alienas cum circumstantiis animô revolvat: in casibus singularibus namque latent semper veritates universales, unde experientiæ subministrant judicia universalia, si conditiones determinantes & circumstantiæ animadvertantur (*Log. C. 5. §. 15.*); historiæ ideò hominum efficaciter vocatorum seu regenitorum sunt perutiles, quò diversitas modi, quô Deus utitur, ac dissimilitudo casuum inde perdiscatur, tùm ad sui ipsius, tùm ad aliorum statum dijudicandum, incrementum in bono promovendum, impedimenta autem felicius removenda; essent tales historiæ uti observationes Medicorum, ubi casus plurimorum ægrotorum cum circumstantiis accurate narrantur. Oporteret autem, qui talem historiam conscribere aggrederetur, observationes colligere suppeditatas à Viris prudentibus, acumine pollentibus, experientiâ spirituali instructis, ipsas præterea hasce observationes seu exempla accuratè discutere, instructum ideò esse cognitione præcipuè doctrinæ de anima, Theologiæ naturalis ac Revelatæ, Philosophiæ item moralis & Theologiæ, ut facilè perspicitur; inserviret autem ejusmodi Opus admodum Theologiæ experimentali conficiendæ.

Sch. 3. Quòd si ea, quæ in anteced. hinc inde dicta sunt, animo revolvantur, deprehendentur gradus, quos vocant

cant Theologi, vocationis, & quorum 5. constituuntur, nimirùm 1. copia Verbi Divini (§. 1008.), seu ut id haberi possit: 2. attentio ad illud, quò pertinet (sch. 3. §. 1012.); 3. ut pro vero habeatur, homo de eo convincatur etiam ùt ad se pertinenti, quò facit (ib. & sch. 4.); convictio hæc interim nondum est viva, ac multùm differt ab illuminatione, eò pertinent loca Scripturæ, quæ innuere videntur, gratiam Dei effectum non sortiri ob resistentiam hominis (sch. 1. §. 1031. & sch. 1. §. 1032.); 4. illuminatio (§. 1035.), Opus Sp. S., & operatio regni gratiæ, per quam vocatio fit efficax; 5. ipsa vocatio efficax (§. 1010.), seu complementum vocationis, ubi voluntas flectitur, seu consensus ejus (§. 1030.), vid. de hisce gradibns vocationis Lampius *to.* 1. *C.* 7. §. 15--20.

Ut libertas non tollatur.

1037. Patet exinde, *per vocationem efficacem libertatem non tolli:* namque in ea voluntatis consensus elicitur mediante luce Intellectûs (§. 1033.), seu per illuminationem (§. 1036.), adeòque voluntas determinatur per repræsentationem motivorum, ubi verò hoc, ibi libertas (*Met.* §. 514. 516. 519.).

Nec obstat, quòd homo in ea passivè se habeat (§. 1024.): nam ibi de vocatione, ùt dicit & determinationem voluntatis & illuminationem Intellectûs, locuti sumus; deinde tenendum, vocationem efficacem equidem non procedere è libertate hominis (conf. sch. 3. §. 1030.), eô ipsô, quià hæc ipsi per vocationem redditur (§. 1026.), & ante eam seu in statu peccati arbitrium est servum (§. 827.), interim benè hæc secum invicem consistere, ut quid non procedat è libertate hominis, & tamen hæc minimè tollatur: nam dum alia & perfectior homini datur libertas (§. 1026. & sch. ib.), hæc neutiquàm tollitur, è contrà stabilitur per vocationem efficacem; eô ipsô quoque vocatio non procedit è libertate, quâ homo in statu peccati pollet.

Interim non potest non efficax fieri.

1038. Cùm interim motiva determinationem voluntatis certam reddant (*Met.* §. 517.), ut non pos-

sit

sit non sequi (ib. §. 521.), ita & *positâ illuminatione vocatio non potest non effitax fieri.*

Sch. 1. Quòd si quis inferat, vocationem efficacem igitur esse necessariam, seu hominem necessariò vocari, converti, objectionem movebit non admodum metuendam: nam sanè in actionibus liberis quibuscunque necessitas locum habet, hypothetica nempe, quæ tùm moralis dicitur (*Met.* §. 521.), imò non aliter potest vi princ. rat suff., conf. (§. 1031.), & aliâs motiva non essent sufficientia; inde homo liberrimè agens rectè dici potest non aliter posse agere, licèt objecta eligibilia plura sint.

Sch. 2. Atque id, ubi vocatio hominis non potest non efficax fieri ob rationes, quæ effectum determinant, gratia dicitur *irresistibilis*, item *insuperabilis;* qui termini adeò nil in se continent, quod jure offendere possit: nisi quis è sono magis & etymologia quàm notionibus judicare velit, cùm non dicant nisi certitudinem & infallibilitatem eventûs ob motiva, quæ Deus suppeditat, ac efficacia reddit, ut, si trahat, homo tùm lubenter currat, Cant. 1: 4. licèt alii termini sonô convenientiores huic negotio aptari potuissent.

Sch. 3. Quòd si quis etiam, quæ hinc inde quoad vocationem efficacem stabilivimus, teneat, v. g. quòd sit miraculum, quòd in ea vis animæ in contrarium vertatur, quòd gratia per se sit victrix, consensum voluntatis efficiendo &c. (§. 1015. 1022. 1032.), quòd per eam libertas non tollatur (§. 1037.), is non anxius erit, utrùm operationem gratiæ velit appellare *physicam* an *moralem*, nec cum quoquam hac super re litigabit, dum res ipsa teneatur; conf. etiam, quæ quoad impotentiam hominis [cui operatio gratiæ respondere debet, cùm eam tollat] (§. 1022.), dicta sunt (sch. §. 828.); termini hi, *uti & τὸ posse* ac *non posse* communiter non satis accuratè definiuntur, ab altera verò parte in sensum invidiosum trahuntur; videri possunt etiam, quæ hùc pertinentia habet Leibnitius *Theod.* §. 280--282.

Natura hominis quid sit.

1039. *Natura hominis* est vis Ipsius actiones tam internas quàm externas producendi, adeòque vis animæ

mæ & corporis junctim agendi & harmonicè.

Natura namque in genere est vis agendi, in corpore quidem vix motrix, in anima autem vis repræsentativa, uti etiam monitum [sch. §. 595.].

1040. Cùm jam homo versetur vel in statu instituto (§. 700.), vel destituto (§. 791. 810.), vel restituto (§. 987.), *natura hominis est vel instituta, vel destituta, vel restituta.* *Quotuplex divi-stingui possit.*

Sch. 1. Postrema eadem est cum gratia: status enim restitutus etiam dicitur status gratiæ [§. 987.].

Sch. 2. Ita perspicitur utilitas ac necessitas definitionum Metaphysices: hæc enim suppeditat definitionem naturæ in genere [*Met.* §. 628.], & alias, sine quibus in perplexitates inciditur. Theologi voce naturæ utplurimum intelligunt naturam destitutam, quò tendit vernaculum illud **der natürliche Mensch**; interim nemo malè habebit, nos, quod & alii fecerunt, triplicem distinguere hominis naturam, modò ad notiones attendatur, & non solùm ad sonos vocabulorum.

Sch. 3. *Natura*, ubi simpliciter dicitur, quià intelligitur destituta, & etiam, quæ per sanam Rationem emendatur, inde medium quid inter naturam destitutam & restitutam intercedere posse hîc non negamus, nec etiam inquirimus, in seq. autem, quòd ita sit, videbimus.

1041 Quælibet natura involvit conatum continuum statum suum mutandi: siquidem vis id secum fert (*Met.* §. 118. 121.), & hinc in natura instituta homo conatus continuos faciebat gloriam Dei ac veram felicitatem promovendi (§. 684--691.), in natura destituta conatus ad contrarium tendentes (§. 811. sch. 1--3. §. 816. sch. 2. 820. 821.), in natura restituta conatus gloriam illam ac felicitatem per Christum promovendi & quærendi: siquidem fides ac sanctitas status hujus id secum ferunt (sch. §. 435. 978. 987. & sch. ib.), ad quas cùm homo *Per vocationem efficacem quid homini imprimatur.*

per

per vocationem efficacem perducatur (§. 1010.), *per hanc homini imprimitur conatus gloriam Dei veramque felicitatem in Christo quærendi.*

Ita amplius patet, libertatem per vocationem efficacem non tolli: ubi enim est conatus agendi, & quidem intuitu felicitatis, ibi cum cognitione agitur, abest coactio ac necessitas; & quidem coactio externa: siquidem ab extra voluntati minimè vis infertur, dum agit intuitu felicitatis; coactio interna: dum semper duo sunt objecta, versus quæ se posset determinare, nempe vel vera felicitas, vel apparens; ut libertas in salvo maneat, conf. (*Met.* §. 514. 515. 517. 984.), & dicta (sch. 1. §. 523.), licèt origo & principium hujus libertatis sit externum, nempe gratia Dei (§. 1025.).

Per eam natura perfectior redditur.

1042. *Per vocationem efficacem itaque homini natura non auffertur, verùm perfectior redditur:* namque natura in genere est vis agendi (§. 1039.), hæc autem homini per vocationem dirigitur versus veram felicitatem (§. 1041.), adeòque versus perfectionem (*Mor.* §. 57.), hinc perfectior redditur, & eò ipsò non aufertur.

Sch. 1. Nempe natura corrupta seu destituta homini aufertur, non autem natura in genere; illa aufertur, dum vis seu natura aliorsum dirigitur, in contrarium vertitur (§. 1022.), uti navis in mari versus plagam oppositam dirigitur; interim nova vis non datur: quia nonnisi directio mutatur, & prior conatus quasi aufertur, vis postea versus positivum tendit (§. 606.), ut assurgat ad perfectum, dum inertia spiritualis sublevatur (§. 613. 615.).

Sch. 2. Gratia quoque ideò cùm naturam non auferat, diversimodè operatur pro diversa dispositione & inclinatione naturali vel temperamento; ut aliter afficiat melancholicum, aliter cholericum &c. etiam diversimode, qui plus minusve talis sit; ut infinita se prodat in operatione gratiæ Divinæ varietas, etiam vi principiis discernib, (*Met.* §. 585. —— 590.). Digna hæc essent, quæ penitius excuterentur ab iis, qui profundæ rerum indagini apti, pertinerent quoque ad *histo-*

riam

riam regenitorum (sch. 2. §. 1036.). Inde tamen neutiquam gratia fit dependens vel suspenditur à natura: uti nec sol, ubi lumine suo collustrans corpora diversarum superficierum diversos efficit colores (*Phys. to.* 1. §. 129.), inde ab his dependens fieri dici potest; ut hinc homo nihilominùs semper se habeat passivè (§. 1024.).

1043. Patet inde, *per vocationem efficacem ac gratiam non fieri in homine mutationem substantialem, nec essentialem*: in tali namque mutatione res non amplius manet eadem [per princ. Ontol.] & aliquid per se subsistens de novo producitur; at ubi tantùm perfectior redditur & aliter dirigitur, ibi manet eadem, nec aliquid tale producitur; porro si mutatio deberet fieri essentialis, homo annihilandus esset quoad animam: [hæc enim propriè vocatur] (§. 1022. 1033.), & alia ipsi danda, unde non idem, qui ante fuit in statu destituto, ex eo traduceretur in statum gratiæ, quæ verò absurda sunt. *Non fit mutatio essentialis.*

Intelligitur id etiam inde, quòd peccatum originale adeòque & status peccati non sit substantiale quid, nec de essentia hominis (§. 814. 815.); unde, qui mutationem essentialem per vocationem efficacem hinc regenerationem in homine fieri dicunt, uti Fanatici, [si modò intelligant, quid sibi velit mutatio essentialis] in manifestas & crassas se conjiciunt absurditates; ut non sine ratione horum hominum sententias acriter exagitet P. Bælius *Dict. Hist. Crit. Art. Brachmanas not.* K. & *Art. Taulerus not.* F. Licèt etiam mutatio, quæ per gratiam & regenerationem fit in homine, exprimatur per creationem Ps. 51: 12. tamen inde neutiquam conficitur, quòd fiat mutatio substantialis aut essentialis: nam juxta regulas hermeneut. attendendum ad antecedentia & consequentia (§. 169.), nec non ad naturam rei vel subjecti (§. 171.); jam verò creatio illa eôdem v. explicatur per renovationem, & subjectum, de quo prædicatur, non admittit creationem propriè dictam; quià aliàs absurda sequerentur.

rentur, ut modò dictum, ergo impropriè sumenda est (§. 172.).

Natura & gratia suos habent limites.

1044. Quum homo polleat naturâ (§. 1039.), seu vi agendi (ib.), & hæc natur per vocationem efficacem, hinc gratiam non auferatur (§. 1042.), verùm perfectior reddatur (ib.), oportet quælibet natura tam destituta quàm restituta seu gratia (§. 1040.), ac etiam si, quæ inter utramque est media, diversos producat effectus ac mutationes, ob conatum, quem vis involvit (*Met.* §. 117.), gratia autem cùm naturam perficiendo eam elevet, oportet incipiat, ubi hæc desinit, consequenter *utraque suos habeat limites.*

Sch. 1. Hosce naturæ & gratiæ limites dignoscere ac determinare plurimùm interest: cùm aliàs nesciatur, quinam motus, quos homo in se sentit, procedant à natura, quinam verò à gratia, adeòque homo nesciat, utrùm in statu tantùm naturæ versetur, an verò in statu gratiæ; pertinent ideò hæc ad cognitionem sui ipsius, homini summoperè necessariam (*Mor.* §. 228.), ac pertutilia sunt ad id, ne cum Pelagianizantibus naturæ viribus nimium tribuatur. Videas interim quosdam, qui Pelagianizantium sententiam abhorrent, tamen naturæ multum tribuere, ubi de effectibus ejus seu actionibus quæstio est, bono consiliò, ne scil. homo præmaturè glorietur, se in statu gratiæ versari; ubi verò quæstio est de principio, unde actiones illæ procedant, quæ nonnisi naturæ emendatæ sunt effectus, subtrahere naturæ, hominem gratiâ non adjutum eò assurgere non posse dicentes, iterùm bonâ intentione, ne viribus propriis homo nimium fidat, adeòque ferè retractare, ubi mox hoc mox illud considerant; quod facilè contingere potest, quando res extra systema & nexum tractantur. Augustinus à quibusdam arguitur, quòd in disputationibus de gratia non prorsus sibi constiterit, dum non pariter senserit vel locutus sit, agens cum Pelagianis, & pariter cum Manichæis.

Sch. 2.

Sch. 2. Limites illi etiam sunt characteres ac criteria, è quibus homo cognoscere potest, num versetur in statu regenerationis & gratiæ nec ne; agit de iis præter alios etiam Cl. Witsius in appendice tractatûs, qui inscribitur, *Practica* des Christenthums, quæ appendix pro inscriptione habet, geistliche Kennzeichen.

1045. *Natura destituta* seu *corrupta* (§. 841. 1040.), est ac dicitur, quæ nil nisi malum sub specie boni apparentis quærit, sensualia appetit, affectibus variis vehementibusque in transvorsum agitur (§. 816.), Deum non veneratur, nec proximum amat (§. 82.), ut sana Ratio locum non habeat. *Primus naturæ gradus est natura corrupta.*

Hic est primus ac pessimus gradus, quem peccatum originale inducit (§. 812.).

1046. *Natura emendata* dicitur ea, quæ corruptam excipit, ubi homo è sanæ Rationis præscripto vitam componit (*Mor.* §. 122.), affectus compescit (ib. §. 390. seq.), eos Rationi subordinat (ib. §. 397.), bona non dijudicat juxta Sensus & imaginationem (ib. §. 185.), verùm juxta tædium & voluptatem plùs vel minùs durabilem, quam creant (ib. §. 378.), & vera statûs perfectione (*Met.* §. 425.), quæ inde vel promovetur, vel impeditur, adeòque operam dat virtuti (*Mor.* §. 64.). *Natura emendata quænam, & ejus gradus.*

1047. *Duos autem gradus altiores conscendit natura emendata:* nam non solùm è motivo propriæ perfectionis ac felicitatis actionibus honestis operam dare potest (§. 60. 64.), verùm & è motivo Divinarum perfectionum (§. 51.), seu ut Deus honoretur (§. 52.), adeòque pietati studere (*Mor.* §. 670.); tandem Ratio justitiam Divinam & pœ- *Quomodo altius assurgat.*

nas peccatorum, quorum à propria conscientia accusatur (§. 82.), suspicit (§. 83. 84.), ignara modi Deum placandi (§. 92.), pœnamque post hanc vitam effugiendi (§. 87. 88. 90.), anxia lumen supernaturale quærit (§. 93. 95. 101.), ac ad id, ubi invenerit, confugit.

In tres adeò gradus natura emendata se subdividit, nempe 1. virtutem (§. 1046.); 2. pietatem; 3. desiderium luminis supernaturalis, ob propriæ infirmitatis conscientiam, & de insufficientia luminis naturæ convictionem.

Eam sequitur gratia. 1048. *Naturæ emendatæ suprenum gradum non potest non sequi natura restituta seu gratia:* quòd si enim natura emendata anxiè lumen supernaturale quæsiverit (§. 1047.), ac fecerit, quod per vires suas possibile fuerit, Deus non potest non ei succurrere auxiliò supernaturali per vocationem efficacem, vi summæ suæ bonitatis (§. 309.) ergà hominem (§. 312.).

Sch. 1. Cùm enim Deus per bonitatem suam permotus fuerit ad succurrendum hominis cognitioni naturali insufficienti per lumen supernaturale (sch. 2. §. 93. 95.), adeòque Intellectui voluerit subvenire mediò externò, quidni vellet subvenire Intellectui ac voluntati mediò internò, cùm homo fecerit, quod sibi per naturam possibile fuerit? unde vetus illud dictum, *facienti, quod in se est, non denegabitur gratia necessaria*, homines nimirùm tales vocem Dei præcipientem de revertendo ad Ipsum in precationem convertunt, Ps. 51: 12. Cant. 1: 4. Jer. 31: 18.

Sch. 2. Facilè autem quivis perspicit, quid sibi velit, quando natura restituta seu gratia sequi dicitur, nimirùm, quòd homini imprimatur à Deo ob bonitatem suam per meritum Christi provocatam conatus gloriam Dei ac veram felicitatem in Christo quærendi, ut commemoratum fuit (§. 1041.); atque ita dum è bonitate Dei immerita id derivamus, arcemus, quòd Deus permoveatur ob bonum usum virium naturæ & tanquàm

cum

eum remuneratus: hinc non obstante dictô illô (sch. 1.) ad puram Dei misericordiam referimus, Rom. 9: 15. 2. Tim. 1: 9.

Sch. 3. Quoad limites hosce seu gradus naturæ & gratiæ id adhuc notandum, posse eos ulterius subdividi, uti naturæ corruptæ plures possunt assignari gradus, etiam emendatæ ac restitutæ, vid. Cl. Canzius *us. Phil. Leibn. to.* 1. *diss. prælim. Cap.* 3. §. 3--22. interim, qui designati sunt, sufficiunt, & facilius ita ac distinctius comprehenduntur.

Ad quam natura est pædagogica.

1049. Gradus illæ naturæ emendatæ supremus, seu conatus, ultra quem assurgere nequit, appellatur *pædagogicus*, quoniam, cùm Deus ei succurrat gratiâ suâ (§. 1048.), ideò ducit ad vocationem efficacem.

Sch. 1. Est hic pædagogicus respectu gratiæ, uti inferiores naturæ emendatæ gradus respectu hujus supremi etiam *pædagogici* dici possunt; unde luminis naturæ usum pædagogicum esse rectè dicitur, nempe tam respectu eorum, qui revelatione Divinâ destituuntur seu Verbô Dei, quàm eorum, quibus id concessum, interim illud nondum debitô modô in usum suum convertunt, & gratiæ efficacis adhùc sunt exortes. Est nimirùm pædagogicus ejus usus, seu ducit, si rectè adhibeatur, ad gratiam, non per se, sed tantùm ut conditio sine qua non, dum non ipsæ naturæ emendatæ supremus gradus gratiam apprehendit ac attingit, verùm Deus immediatè succurrit & prævenit gratiâ suâ; potest hic inservire exemplum de cœco allatum (sch. 2. §. 1020.).

Sch. 2. Patet etiam è dictis, Deum rectè & jure adhortari hominem, ut ad se revertatur, atque id ab eo in Verbo suo postulare posse, Jer. 5: 22. Matth. 11: 28. Eph. 5: 14. etsi homo in vocatione efficaci passivè se habeat (§. 1024.), & hæc vires ipsius transcendat (§. 1014. 1020.); nimirùm potest semper homo, si vires naturæ seriò velit intendere, honestati studere, actiones enormes vitare, perfectiones Divinas suspicere, Verbum Dei diligenter tractare, ad statum suum attendere, super infirmitatem ac miseriam propriam seriò reflectere, quæ si faciat pro viribus, Deus gratiam su-

pernaturalem largietur (§. 1048.), ut Theologi hæc monent, ac inter alios Orator Ecclesiasticus Tigurinus Cl. HULDRICUS in Glaubens-Predig. p. 908. seq.

Sch. 3. Actus pædagogici ideò ordinariò præcedunt vocationem efficacem, ut hæc sine illis nonnisi rarissimè locum habeat: gratia namque tam parùm saltus committit, quàm id fieri potest, convenienter Sapientiæ Divinæ (§. 269.) & definit. saltûs (*Met.* §. 689.); vocatio propterea efficax, quæ fieret absque actibus pædagogicis, seu his non præcedentibus, extraordinaria quoque dicenda esset, uti illæ (§. 1017. & sch. 2. ib.).

Vocatio efficax est officium hominis.

1050. E dictis satis perspicitur, *quòd vocatio efficax sit officium hominis:* cùm enim per eam particeps fiat promissorum fœderis gratiæ (§. 1007.), ad illam obligatus est ob propriam felicitatem, & cùm homo actus illos in potestate habeat, quos Deus ulteriore gratiâ vult comitari (§. 1047. 1048.), Deus postulando vocationem efficacem aliquid absolutè impossibile non postulat, ut obligatio à parte hominis locum habeat (*Mor.* §. 247.), ac officium (ib. §. 221.).

Sch. 1. Benè ideò secum consistere possunt, quòd vocatio efficax vires hominis transcendat (§. 1014.), & tamen ut officium jure ab homine possit postulari, quod attentus facilè perspiciet: ii namque, qui vocationis efficacis participes non fiunt, simùl nolunt ejus participes fieri, & actus pædagogicos spernunt, unde non minùs liquet, quòd Deus vocando ad promissa fœderis, hæcque offerendo non agat, quasi offerret, quod homo obtinere planè non posset.

Sch. 2. Vocatio efficax quâpropter benè simùl potest esse beneficium (§. 1029.) & officium, uti etiam utrôque modô in Scriptura proponitur, ut beneficium Jer. 31: 33. & quidem Testamenti Rom. 8: 30. ut officium Prov. 4: 20. Es. 55: 3. & loc. cit. (sch. 2. §. 1049.), ac alibi.

Homo non vocatur per

1051. Etiam perspicitur, *per lumen naturæ, hominem tamen non posse dici*

dici vocari: nam quod ad eos, qui- *lumen natu-*
bus revelatio concessa, iis natura *ræ.*
emendata nonnisi conditiones sine quibus non præstare potest (§. 1046. 1047.), sola autem gratia semper vocationem efficacem operatur (§. 1048. & sch. 1. ib. §. 1049.); quod ad eos verò, quibus lumen revelationis non obtigit, ii ignorant modum Deum placandi (§. 92.), consequenter Christum & fœdus gratiæ, at sine hisce vocatio sibi non constat (§. 1007. 1010.).

Vocatio nempe ad Deum Creatorem ac Conservatorem benignum, quæ ob reliquias imaginis Divinæ (§. 817.) gentilibus denegari nequit Act. 14: 17. Rom. 1: 20. 2: 16. hùc planè non pertinet: quando vocatio dicitur, intelligitur ad Christum, ad salutem &c.

1052. Interim *qui luminæ naturæ* *Ejus neglectus*
benè usi non sunt, excusationem præ- *tamen reddit*
tendere non possunt, quòd sibi majus *inexcusabi-*
lumen non obtigerit Rom. 1: 20. *lem.*
nam qui bonum præcedens vilipendit & se privat utilitate, quam aliàs attulisset, ei ut conferatur bonum majus, nulla planè adest ratio.

Hùc facit parabola de servo unum talentum acceptum malè impendente, & ideò à Hero graviter increpato Matth. 25: 28. 29. iis etiam gentilium, qui pro viribus lumine naturæ benè usi, Deus gratiam & notitiam ulteriorem non denegasset, etiamsi miraculum vel in regno gratiæ fieri debuisset (§. 1017. 1018.), quô ad Christum perducerentur, & meritô Ejus ipsis gratia Dei obtingeret, conf. Leibnitius *Theod.* §. 95. in *caus. Dei* §. 111. nec non Olearius in suo Jesus der wahre Messias, *P.* 2. *C.* 3. *p.* 301--307.

1053. Quandoquidem igitur per *Vocatio non*
lumen naturæ homines non pos- *est univer-*
sunt dici vocari (§. 1051.), conse- *salis.*

quenter solùm per lumen revelationis seu Verbum Dei (§. 1008.), id verò nec olim omnibus fuit concessum Ps. 147: 19. 20. Act. 14: 16. nec hodiedum ab omnibus recipitur (§. 102.). patet, *vocationem non esse universalem.*

Sch. 1. Nempe nequidem vocatio externa (§. 1010.) est universalis [unde *multi* non verò omnes dicuntur vocati, Matth. 20: 16. 22: 14.] multò minùs interna: quæ quippe venit è Testamento gratiæ (§. 1027.). Quod verò dicitur, omnes homines fuisse in Adamo ac Noacho vocatos, & posteros, dum majoribus salutaris doctrina patefacta, in his esse vocatos, licèt longè major illorum pars aut nulla doctrinæ hujus capita perceperint, aut tantum quædam, idque perobscurè, hoc inquam, si quis velit *vocationem* appellare, lis in logomachiam abibit: nam per id *vocare* intelligimus [ut loquitur Cl. GÜRTLERUS *inst. Th. C.* 15. §. 164.] »Liberatoris gra»tiam tam clarè tamque distinctè proponere, ut, si ve»lit, eam noscere & acceptare possit.

Sch. 2. Cæterùm de vocationis universalitate controversiam inter Luther. ac Reform. non esse realem ex eo patet, quòd veniat ex ordine decretorum Divinorum (§. 477.), hic verò non sit in reipsa (§. 481.), unde controversiam illam in longomachiam etiam ferè abire dicit Cl. & Judicios. Theologus J. H. RINGIERUS *diss. de consc. Protest. &c.* §. 23.

Quid sit vita spiritualis.

1054. *Vita spiritualis* est activitas in prosequendo bono spirituali (§. 598.), seu tendentia virium agendi ex motivo gloriæ Dei in Christo & veræ felicitatis, vel etiam habitus ita agendi.

Sch. 1. Vita quippe est existentia activa (§. 281.), & vita spiritualis debet esse oppositum mortis spiritualis (§. 780.), inde & vitæ carnalis (sch. ib.); intelligitur nempe, quod per se quivis concipit, vita totius hominis, seu harmonia mentis ac corporis ita agendi, eôdem modô, uti quoad naturam hominis dictum (§. 1039.).

Sch. 2. Vita spiritualis ideò non differt à natura restituta, ut intelligitur è (§. 1041.); de vita hac Rom. 6: 11. Gal. 2: 20. Col. 3: 3. & alibi.

1055.

1055. *Per vocationem efficacem vita spiritualis initium sumit in homine:* namque per illam vis hominis in contrarium vertitur (§. 1022.), seu versùs bonum spirituale (ib.), & homini imprimitur conatus gloriam Dei ac veram felicitatem per Christum quærendi (§. 1041.), jam verò vita spiritualis non aliud quid dicit (§. 1054.). *Sumit initium per vocationem efficacem.*

Id etiam inde patet, quià per vocationem efficacem arbitrium hominis è servo fit liberum (§. 1026.), jam verò servum arbitrium idem est cum morte spirituali (§. 826.), consequenter oppositum servi arbitrii idem cum vita spirituali; ut adeò in vocatione efficaci deferatur mors spiritualis, & vita carnalis (sch. §. 780.), ac utraque sit terminus à quo in vocatione illa, è contrà terminus ad quem vita spiritualis.

1056. Dum vita spiritualis incipit per vocationem efficacem (§. 1055.), ideò hæc appellatur quoque *vivificatio* Eph 2:5. Col. 2:13. & *regeneratio* Joh. 3:3.5. 1. Pet. 1:3.23. & dum per illam vis hominis in contrarium vertitur (§. 1022.), versùs verum scopum (§. 1041.), actiones hominis verò tanquàm medium & via considerantur ad metam illam perveniendi, dicitur *conversio* Es. 59:20. Jer. 31:18. Ez. 3:19. 18:21. quòd si verò media, per quæ Deus hominem efficaciter ad se vocat, considerentur ùt vincula, quibus aliquid trahi potest, dicitur *tractus*, Cant. 1:4. Joh. 6:44. *Vocationis efficacis appellationes.*

Sch. 1. Tacemus alias adhuc appellationes, minùs autem solennes, v. g. *circumcisionis cordis* Rom. 2:29. *creationis* Ps. 51:12. &c.

Sch. 2. Omnium harum appellationum fundamentum est analogia quædam, quæ intercedit inter mutationem spiritualem, quæ per vocationem efficacem fit in homine, & mutationes corporeas: quæ fiunt per vivifi-

cationem, generationem, tractum &c. uti & quoad vocationem monitum (sch. 1. §. 1007.). Quoad terminum regenerationis monendum, Scriptores S. eum è disciplina Judæorum desumsisse: hi nempe proselytos factos denuò generari dicebant, docente etiam SELDENO *de J. N. G. juxta &c. Lib.* 2. *C.* 4. p. 158. 159.

Appellationes hæ unum idemque notant.

1057. Vocacio efficax igitur, vivificatio, regeneratio, conversio, tractus sunt unum idemque sub diversis nominibus.

Sch. 1. Quòd si enim considerentur ea, quæ Scriptura prædicat de regeneratione & conversione &c. nec non attendantur scopus & circumstantiæ, in quibus terminos eos adhibet, adeòque proprietates dispiciantur, convenienter regulis Logicis (*Log. C.* 1. §. 53.), patebit proprietates conversionis, regenerationis, esse easdem cum illis vocationis efficacis [ut in seq. ubi de iis, quæ Scriptura servatâ analogiâ de regeneratione &c. prædicat, videbimus] adeòque ipsam regenerationem, conversionem esse unum idemque cum vocatione efficaci.

Sch. 2. Probari id potest etiam inde, quòd, quæ cum homine peraguntur in statu gratiæ, omnia ad quinque articulos vel beneficia nec plura reduci possint, nempe 1. ut è statu peccati in statum gratiæ transferatur, quod fit per vocationem efficacem, ut è præced. satis intelligitur; 2. idque ob Christum (§. 1028.), ad quem refugiendum, seu cujus gratia impetranda (sch. §. 959.), quod dicit fidem (sch. §. 435. & sch. §. 962.); 3. ut se in hocce statu continuare ostendat per actiones externas, quod constituit sanctitatem (sch. 2. §. 1010.); 4. ut continuet ad finem usque vitæ, adeòque perseveret, unde & conscientia statûs præsentis ac futuri; 5. ex hisce homini obtingit remissio peccatorum cum jure vitæ æternæ (§. 937. 955.); jam regeneratio, conversio &c. ubinam possunt locari nisi sub articulo primo? consequenter à vocatione efficaci non differunt; & si quis regenerationem de statu sumat, eadem erit cum sanctitate, cum qua etiam vocatio, si de statu sumatur, eadem est, interim à sanctitate communiter distinguitur in systematibus Theologicis; at cùm nihilominùs in iisdem etiam à vocatione efficaci distingua-

distinguatur, nec tamen [ut & quoad conversionem] ulla differentia realis distincte assignetur, res non satis accurate tractantur, lectoresque ad cognitionem distinctam non perducuntur.

1058. Quæ igitur de vocatione usque hùc stabilita sunt, ea & valent de regeneratione, conversione, vivificatione ac tractu Divino. *Ut de iis valeant eadem, quæ de vocatione.*

Sch. 1. Eadem valent de hisce omnibus, quæ de vocatione, tantùm observatâ analogiâ, quæ inter illas intercedit, prout spiritualem notant mutationem, & prout corpoream, à qua desumtæ sunt.

Sch. 2. Commemoremus prædicata præcipua, quæ Scriptura suppeditat, ut inde pateat, appellationibus iis non denotari, nisi quod aliâs in Theologia dicitur vocatio efficax; regeneratio tribuitur Deo & Sp. S., unde commemorantur à Deo nati Joh. 1: 13. è Spiritu regenerati 3: 5. sic & vivificatio tribuitur Deo Eph. 2: 5. Col. 2: 13. Sp. S. Rom. 8: 2. quò & pertinet τὸ dare novum cor & novum Spiritum [quippe quod non esse nisi vocationem efficacem ac conversionem nemo non videt] quod itidem Deo adscribitur ut causæ efficienti Ez. 36: 26. 27. conversio adscribitur Deo Jer. 31: 18. tractus vel tractio Cant. 1: 4. Joh. 6: 44. adeòque ut beneficia proponuntur, quæ homo recipit, atque ita quoad illa passivè se habet; at etiam vocatio efficax habet Auctorem Deum ac Spiritum S. (§. 1020---1022.), est beneficium (§. 1029.), in illa homo se habet passivè (§. 1024.), interim uti simul est officium (§. 1050.), sic & conversio simùl ut officium postulatur Jer. 3: 12. 22. & alibi; uti ad vocationem efficacem Verbum Dei requiritur (§. 1008.), ita & ad regenerationem, Jac. 1: 18. 1. Pet. 1: 23. uti ad illam requiritur, ut homo miseriam sentiat, peccata detestetur (§. 1020.), sic & ad conversionem Jer. 3: 12. 13.

Sch. 3. De omnibus hisce nempe regeneratione, conversione &c. etiam notandum, quòd, ut & vocatio efficax sumi possint & sumantur vel activè, à parte Dei, qui mutationes illas in homine producit, eum convertit, regenerat, trahit &c. vel passivè, à parte hominis, qui mutationes illas subit, seu in quo producuntur, dum convertitur, vivificatur &c.

Regenerationi ineſt pœnitentia.

1059. *In regeneratione & conversione prodit ſe pœnitentia ob peccata:* cùm enim ad eam requiratur, ut homo miſeriam ſuam ſentiat (§. 1012. coll. 1057. 1058.), miſeria verò hæc tanquàm congeries malorum (§. 841.) non poſſit non triſtitiam excitare (*Met.* §. 448.), homo autem mala illa propriâ culpâ ſibi accerſiverit (§. 829. 833.), hæc perpendens eò ipſò afficitur pœnitentiâ (*Met.* §. 464.).

Sch. 1. Pœnitentia hæc aliô nomine dicitur *reſipiſcentia*; eſt autem pœnitentia illa *inchoata*: dum ſe prodit in regeneratione, per quam ſtatus gratiæ & vita ſpiritualis inchoatur (§. 1055.), ſtatus peccati autem deſeritur; prodere ſe autem debet pœnitentia ea ac reſipiſcentia ſemper in regeneratione; niſi, qui regeneratur, ſit infans, adeòque per ætatem actuum mentis reflectendi, quos pœnitentia ſecum fert, non capax, uti Johannes Baptiſta ita in infantia fuit regeneratus, Luc. 1: 15.

Sch. 2. Ita intelligitur, rectè vulgò ad converſionem requiri triſtitiam ob peccata; nam pœnitentia non eſt niſi triſtitia certô modô ſpectata (*Met.* §. 464.), triſtitia autem hæc ob peccata cùm non poſſit ſeparari ab intuitu perfectionum Dei, cujus lex per peccatum violata, hinc & juſtitia legislatoria (§. 287. 313.) læſa, & quod intuitu perfectionum Dei ſe prodit, debeat eſſe conjunctum cum amore & timore filiali (*Mor.* §. 693. 694.), ideò non tam exoriri debet propter pœnam ob peccata metuendam, ſaltem non ſolum exinde oriri debet, ſed vel maximè, quòd Deus Pater benignus (§. 79.) peccatis fuerit à nobis læſus, erga Eum indigniſſimè nos geſſerimus (§. 82.), bonitatis Ipſius erga nos maximæ (§. 309. 312.) ac reliquarum perfectionum non habuerimus rationem, fœditatem moralem peccatis noſtris contraxerimus; talis dicitur *triſtitia ſecundum Deum*, uti illa prior, quæ nonniſi ob metum pœnæ exoritur, vel ob commoda temporalia amiſſa, *triſtitia ſecundum Mundum*, ex 2. Cor. 7: 9. vocatur triſtitia ſecundùm Deum aliàs in Scriptura ſpiritus fractus & cor contritum, Pſ. 51: 19. dilaceratio cordis, Joël 2: 12. 13.

Sch. 3.

Sch. 3. Uti verò è pœnitentia facilè oriri potest desperatio (*Met.* §. 478.), ita & è tristitia ob peccata: res facilè concipitur per princ. psychol. (ib. §. 477.), exemplum ejus habetur in Caino Gen. 4: 13. Juda Matth. 27: 3-5. quòd verò locò desperationis adesse debeat spes ac fiducia, patet, quià per conversionem incipit fides (§. 1010.), hæc verò est refugium ad Christum (sch. §. 435.), quod arguit spem, cujus insignior gradus fiducia (*Met.* §. 474.); uti tandem cum pœnitentia sæpè conjunctus est pudor (*Met.* §. 465.), ita & in resipiscentia ob peccata sæpissimè non potest non adesse, ut satis intelligitur è dictis (sch. 2.), ipudorem talem in peccatoribus Deus excitari voluit Ez. 43: 10. 11. exempla ejus habentur Jer. 3: 25. Dan. 9: 7. 8. Luc. 18: 13.

1060. Pœnitentia cùm involvat agnitionem ejus, ob quod oritur, siquidem è repræsentatione mali à se commissi & imperfectionis propriæ inde resultantis oritur (*Met.* §. 464.), ideò *regeneratio agnitionem peccatorum præsupponit.* *Præsupponit agnitionem peccatorum.*

Sch. 1. Adeòque etiam, ut per se patet, vocatio efficax, conversio, vivificatio & tractus talem præsupponunt (§. 1057.); agnitionem hancce ideò Deus in conversione postulat Jer. 3: 12. 13. exemplum ejus habetur in Davide Ps. 51: 5. piis Es. 59: 12. pertinet ad cognitionem sui ipsius, quæ hinc cum conversione ac pœnitentia jungitur Jer. 31: 19.

Sch. 2. Agnitio hæc si verbis se prodat, constituit *confessionem* peccatorum, quæ præcipuè Deo facienda, cùm lex Ejus peccando fuerit violata, Ps. 51: 5. 6. interim etiam hominibus potest fieri; Jac. 5: 16. vid. de illa quoad Deum Ps. 32: 5. Prov. 28: 13. Luc. 15: 18. 19. 1. Joh. 1: 9. quæ plura circa hancce confessionem memorari possent, brevitatis studiò omittimus, videri autem potest præter alios Molinæus *novit. Papismi Lib.* 7. *controv.* 6. id unum addimus, agnitionem peccatorum ac tristitiam ob ea, si in gradu notabili adsit, aliquando se prodere foràs gestibus, planctu &c. vid. ex. gr. Ez. 7: 16. Thren. 3: 39. 5: 16--18.

1061. Quod quis sibi repræsentat *Involvit* ut

odium peccati. ùt malum, illud non potest non odio habere, per princ. psychol. (*Met.* §. 455.), jam cùm in pœnitentia id, quod quis commisit, sibi repræsentet ùt verè malum (ib. §. 464.), & pœnitentia se prodat in conversione (§. 1059.), etiam *odium peccatorum in ea se prodere debet.*

De odio peccati vid. Ps. 97: 10. Prov. 8: 13. Jud. v. 23. non potest non id secum ferre propositum peccata fugiendi ac vitandi, ùt per se patet, quod etiam vocatione efficaci comprehenditur (§. 1012.), cum verò id appetitui sensitivo &c. admodum sit ingratum, inde dolores regenerationis, de quibus Matth. 5: 29. 30. Gal. 5: 24. Atque ita, quæ de regeneratione aliàs traduntur, breviter attingimus, cætera reservaturi ad materiam de sanctificatione; vid. interim, qui prolixè de regeneratione agit, Cl. LAMPIUS Gnaden-Bund, *to.* 1. *C.* 9.

Impedimenta conversionis quænam.

1062. Quum non omnes, qui Verbum Dei audiunt vel legunt, per id convertantur, ratio autem ejus rei sit corruptio originalis (§. 812. 816.), quâtenus gratiâ efficaci non tollitur (§. 1030. 1031.), illa verò corruptio variè admodum modificetur per varia peccata (§. 818. & sch. 1. §. 821. sch. 1. 2.), quæ licèt per potentiam omnibus insint (§. 812.), tamen in uno homine magis actum consequuntur quàm in altero ob diversas circumstantias, sequitur, *tales circumstantias sæpissimè effectum Verbi Divini impedire*, adeòque *esse impedimenta conversionis.*

De talibus impedimentis fructûs Verbi Divini agit Servator Matth. 13: 3--8. 19--23. possunt eò etiam referri mala educatio, consortium cum malis Prov. 13: 20. & alia.

A circumstantiis vocat.

1063. *A bonis* tamen *circumstantiis effectus vocationis minimè est suspensus:*

sus: non solùm enim decretô Dei sunt prædefinitæ (§. 410. 446. 447.), verùm gratiâ Dei immediatâ opùs habent (§. 1020. & sch. 2. ib.), ut in se prorsus sint insufficientes & inefficaces, per dicta (§. 1014. 1032. &c.). *tio non est suspensa.*

Sch. 1. Nulla ideò statuitur *vocatio de congruo*, quæ ita dicitur, quòd vocati ingenio vel indoli, ac circumstantiis, in quibus positus, congruat, & aliûs indoli non congrueret: servamus namque semper necessitatem gratiæ internæ, auxilii supernaturalis, applicari hîc potest exemplum (sch. 2. §. 1020.). Circumstantiæ hæ unà cum Verbo Dei (§. 1008.), sunt auxilia gratiæ externa (sch. §. 446. & §. 447.), ut indicatur citatione horum §. §.

Sch. 2. In operationibus Dei supernaturalibus ad solam Ipsius voluntatem confugiendum, ubi quæritur, quomodo actum consequi potuerint, cùm è contrà in operationibus naturalibus eò non confugiendum (*Met.* §. 989.), illæ nempe cùm à vi rerum procedere non possint (§. 595.), eô ipsô à sola Dei Voluntate procedunt, interim tamen semper simùl à Sapientia Dei veniunt (*Met.* §. 1042.); ideò Deus cùm in regno gratiæ non possit non Sapientiam suam quàm maximè ostendere, siquidem in Mundo in genere eam ostendit (§. 267. 270.), eventum regni gratiæ conjungit cum eventibus naturæ adeòque & circumstantiis, in quibus homo positus, licèt ille ex his minimè sequatur ut causis, verùm è sola Ipsius voluntate. Hoc etiam, quòd in operationibus supernaturalibus ad solam Dei voluntatem sit recurrendum, aliquid facit ad meliùs perspiciendum discrimen inter Regnum naturæ & gratiæ (sch. §. 668.).

1064. Interim cùm dentur impedimenta conversionis (§. 1062.), prætereà vocatio efficax sequatur actus naturæ pædagogicos (§. 1046--1049.), ad eam prærequiratur diligens Verbi Divini tractatio (§. 1008. 1009.), patet, *doctrinam de vocatione efficaci minimè favere sophismati ignavo* (§. 421.) *in spiritualibus.* *Vocatio efficax non parit sophisma ignavum.*

Illa enim omnia, si homo modò seriò velit, præcavere potest,

potest, uti opposita ad actum deducere; diligentia & labor hominis ideò in vocatione efficaci minimè tolluntur, Phil. 2: 12. 13: & per eam minimè gignitur securitas, non magis quàm doctrinâ de prædestinatione (§. 467.).

Reprobi non vocentur ad salutem obtinendam.

1065. Quandoquidem Deus infallibiliter præscit reprobos auxiliis gratiæ externis & Verbô suô non usuros, uti deberent (§. 257. 447.), actus pædagogicos non præstituros, indignos se reddituros ulteriori gratiâ, ut, si convertendi essent, miraculum etiam in regno gratiæ unum vel plura essent impendenda (§. 1017.), quæ verò facere rationes superiores prohibent (§. 1018.), prætereà vocatio efficax venit è Testamento gratiæ (§. 1027.), *reprobi respectu Dei non possunt dici vocari ad salutem obtinendam.*

Sch. 1. Dico *respectu Dei*: nam respectu hominum aliter pronunciandum, præ animo nempe habenda præscientia infallibilis æternaque in Deo omnium futurorum contingentium; unde nec dici potest, Deum velle reproborum salutem antecedenter, quòd autem consequenter non velit, fieri reproborum ipsorum culpâ, præterquam quòd hæc distinctio reipsâ locum non habeat (§. 291.).

Sch. 2. Quòd si dicatur, Deum igitur simulatè agere cum reprobis, offerendo ipsis salutem ac adhortando ad conversionem, respondendum ex (§. 471.); nempe [ut hoc addamus] oblatio salutis, quæ per Verbum Dei fit reprobis, est generalis, ita sonans, *quicunque convertetur, salutem reportabit*, hæc est propositio major, quam qui proponit, nunquam simulat, cùm semper executioni detur, hominis est operam dare, ut propositionem minorem per conversionem suam inde eliciat, dicendo, *ego conversus sum*, unde conclusio sequeretur, ergo *reportabo salutem*; at Deus nec minorem nec conclusionem homini huic vel illi insinuat, & tùnc demum, si id faceret, simulatè agere dici posset.

Sch. 3. Ideò etiam dici nequit, non fieri reproborum culpâ,

culpâ, quòd non convertantur, cùm spernant *conditiones sine quibus non*, & si quæratur, quare hic vel ille reprobus non fuerit conversus, ultimò idem respondendum, quod, ubi quæritur, quare non fuerit prædestinatus, repetantur dicta (§. 441--443.), unde & Fratres ipsi Aug. Conf. tandem ad τὸ βάθος confugere coguntur (sch. §. 471.), addatur Leibnitius *Caus. Dei* §. 139.

Sch. 4. Nec vocatio externa reproborum ideò inutilis est: nam 1. sine ea oporteret seriem eventuum turbare: quòd si enim reprobi degentes in eodem loco, ubi electi, externè vocandi non essent, oporteret miracula fieri, ut nil inaudirent de Verbo Dei, ut præco Verbi Divini ipsos nunquam adhortaretur; 2. per illam, etsi non fiat efficax ac salutaris, reprobi saltem à sceleribus ac peccatis gravioribus detinentur: siquidem, quod egregiè observat Cel. Bülffingerus *de origine mali* p. 423. nulla unquam vis, quæ impenditur sive animæ per repræsentationem, sive corpori per conflictum, omni prorsùs effectu destituitur, ut, si non habeat effectum in præsens, tamen in futurum, si non in hoc ipso individuo, tamen in alio; vid. interim quoad hancce reproborum vocationem Turretinus *Theol. Elenct. Locò* 15. Q. 2.

1066. *Vocatio efficax seu conversio & regeneratio est beneficium fœderis gratiæ primum:* est namque beneficium (§. 1029.), veniens è Testamento gratiæ (§. 1027.), cùm jam à Testamento hocce non differat fœdus gratiæ nisi quoad executionem (§. 996. 997.), vocatio efficax beneficium fœderis gratiæ sit oportet, & cùm per eam fœdus hoc acceptetur (§. 1011.), ac adstipulatio ad id incipiat (ib.), aliud beneficium prius non est, consequenter vocatio illa est primum. *Quodnam vocatio efficax sit beneficium.*

Sch. 1. Equidem propter id ipsum, quòd per vocationem efficacem fœdus gratiæ acceptetur, posset quis dubitare, num commodè dicatur esse beneficium fœderis hujus: siquidem, dum vocatio fiat ad fœdus

gratiæ

gratiæ (§. 1007. 1010.), non possit dici venire è fœdere eo, è contrà id præcedere debeat, saltem ordine naturæ, hinc non possit dici beneficium fœderis gratiæ; at respondetur, si respectu Dei res consideretur, vocationem efficacem semper rectè dici beneficium fœderis gratiæ: siquidem, dum fœdus offert, simùl in homine operatur vocationem efficacem (§. 1020. 1030.), convenienter Testamento æterno, à quo fœdus gratiæ non differt; cùm etiam vocatio obtingat ob Christum (§. 1028.), ob hunc autem, seu ea, quæ præstitit, fœdus gratiæ erigi potuerit (§. 988. seq.), rectè vel hinc dicitur beneficium fœderis hujus: ut & propterea, quòd, cùm fides sanctitasque sint beneficia illius (§. 998.), hæ verò sint continuatio vocationis (sch. 2. §. 1010.), de hac ideò idem dici debat.

Sch. 2. Est nimirum tale beneficium, quod simùl officium (§. 1050. & sch. 2. ib:); unde objici non debet, quòd nonnisi remissionem cum collatione vitæ æternæ dixerimus esse beneficia fœderis gratiæ (§. 992.): eæ namque sunt beneficia pura, seu quæ non simùl officia; præterea ibi fœdus gratiæ consideravimus respectu hominum, seu quoad executionem, hîc autem respectu Dei & in se, quô respectu est Testamentum, ac vocatio efficax beneficium illius.

Sch. 3. Primum est vocatio beneficium, prout Deus juxta Testamentum æternum ea homini confert in tempore; tempus autem, quô confertur vocationis beneficium, admodum est diversum, quibusdam in infantia, aliis communiter ætate juvenili, ratiùs ætate decrepitâ, & rarissimè in articulo mortis, uti alteri latronum, Luc. 23: 40--43. de quibus exponere esset historiæ regenitorum (sch. 2. §. 1036.).

Gratia Dei convertens est concursus Divinus.

1067. *Gratia Dei, quæ in homine conversionem operatur, non est nisi concursus Divinus:* etenim quæcunque in Mundo actualia fiunt, si realitatem involvant, talia fiunt per Voluntatem Dei (§. 277. 280.), Voluntas Dei jam, prout versatur circa operationes rerum, appellatur concursus Ipsius (§. 593.), & conversio vel vocatio efficax est operatio, quæ in homine fit, licèt non per vim Ipsius incipiat (§. 1014.).

Est

Est interim concursus Dei non ordinarius & communis, verùm *extraordinarius* & *miraculosus*: siquidem per conversionem miraculum fit in anima respectu regni naturæ (sch. §. 1016.), adeòque conversio est concursus Dei miraculosus non respectu regni gratiæ (ib.); inde si specioſè quæratur, quid discriminis relinquatur inter actiones hominis naturales, quando v. g. ambulat, loquitur &c. & supernaturales à Sp. S. productas, cùm ad omnia, quæ in Mundo fiunt, sive à causis brutis sive intelligentibus (§. 590.), Deus concurrat (§. 594.), concursu speciali (§. 609.), & in supernaturalibus non majorem vim impendat quàm in naturalibus, ob voluntatem omnipotentem (§. 277. 293.), respondetur, discrimen esse, quòd 1. vim actiones naturales edendi creaturæ habeant, & Deus eam conservet (§. 574.), vim autem supernaturales seu spirituales edendi homo non habeat, verùm ipsi conferatur à Deo, dùm vim hominis aliorsum dirigit (§. 1022.); 2. priori modò Deus concurrat permotus ad id bonitate generali tanquàm benignus Creator & Conservator (§. 486. 567.), posteriori verò permotus ob Filium suum, qui plenè satisfecit (§. 959.), conf. (sch. §. 668.); 3. ad diversum finem Deus utrôque modô concurrat, priori modô, ut series causarum & effectuum seu nexus rerum in Mundo persistat, posteriori, ut homo talis actiones determinet è motivo operis redemtionis, ac fiat de electis, hæreditate Christi (sch. §. 454.), hinc particeps salutis æternæ.

1068. *Ut doctrina de vocatione efficaci vel operatione gratiæ in conversione rectè teneatur, quatuor articuli benè sunt cognoscendi, 1. status naturæ corruptæ, 2. natura libertatis, 3. concursus Divinus, 4. necessarium & contingens:* etenim per vocationem efficacem deseritur status naturæ corruptæ, siquidem per illam vita spiritualis initium sumit (§. 1055.), noscendus ideò est status is, qui deseritur, aliàs nescitur, quid requiratur ad hominem inde eripiendum; porrò cùm per gratiam libertas & vis animæ volendi non

Quænam præsupponantur, si doctrina de gratia efficaciter vocante rectè sit tenenda.

auferatur (§. 1037. 1039. 1042.), è contrà vera libertas restituatur (§. 1026.), ut, quomodo libertati cum gratia efficaci conveniat, noscatur, oportet illam rectè noscere; ulteriùs, cùm gratia efficaciter vocans sit concursus Divinus (§. 1066.), etiam hunc oportet perspectum habere; tandem cùm conversio hominis sit eventus determinatus, vi decreti Divini (§. 1027.), hinc certa & infallibilis (§. 445. 448.), adeòque hypotheticè necessaria, non autem absolutè, consequenter maneat contingens, ut, quomodo hæc consistant, nec libertatem tollant, perspiciatur, notio contingentis ac necessarii probè est tenenda.

Omnia, quæ in anteced. quoad vocationem efficacem & gratiam dicta sunt ac stabilita, præsupponunt quatuor hosce articulos, ùt attentus perspiciet; suppeditatur autem primus articulus à Scriptura S., reliqui à Philosophia, & speciatim secundus à psychologia, tertius à Theologia naturali, quartus ab Ontologia; ex his uti plurimis aliis patet Philosophiam principia suppeditare Theologiæ, sine quibus tutò progredi non liceat.

Protestantes in ea doctrina inter se consentiunt.

1069. Qui ergò quoad hæc in re consentiunt, ii & quoad doctrinam de vocatione efficaci in re ipsa non possunt non consentire, quare cùm quoad illa idem sentiant *Protestantes*, etiam *quoad vocationem efficacem non possunt non idem sentire.*

Sch. 1. Perlustremus ea, circa quæ vulgò dissentire creduntur; occurrit universalitas vocationis, at quòd circa illam nullus sit in re dissensus, intelligitur è (sch. 2. §. 1053.); porrò vocatio per lumen naturæ, at prouti vox vocationis sumitur, ea vel tenenda vel neganda (ib. sch. 1.), non possunt Fratres aliter vocationem talem tenere, nisi quòd lumen naturæ usum præbuerit pædagogicum ad pleniorem Θεογνωσίαν quærendam: siqui-

siquidem illud nescire Christum ac esse ad salutem insufficiens ingeminant; occurrit gratia sufficiens & efficiens, at si hìc non prorsus sit logomachia, tamen dissensus adeò est exiguus, ut pro nullo haberi possit (sch. 2. §. 1031.); Instabis, Luther. tueri reprobos à Deo vocari cum intentione salvandi, Reform. autem contrarium docere (§. 1065.), at perpende, quòd illa Fratrum assertio veniat è voluntate antecedente & consequente, de qua quid tenendum, dictum fuit (sch. §. 291.), deinde quòd in illa assertione non tam præ oculis habeant præscientiam Dei infallibilem, quàm Ejus bonitatem; tandem Luther. reipsâ non dissentiunt quoad efficaciam, seu [ut dicitur] irresistibilitatem gratiæ: qui enim quoad naturam libertatis inter se consentiunt, etiam quoad illam resistentiam sublatam non possunt non consentire: nimirùm libertas non solùm non tollitur per motiva, certitudinem, necessitatem hypotheticam, verùm è contra sine iis sibi ne quidem constat (*Met.* §. 511. 517. 521.), & quò plura ac fortiora adsunt motiva, eò certiùs voluntas determinatur, & eò minùs resistit; irresistibilitas gratiæ ideò non est nisi pondus motivorum per illuminationem repræsentatorum, ita ut voluntas vel anima nec possit nec velit amplius resistere ac reluctari (§. 1038.), unde cùm id fiat per motiva, coactio omnis abest, etiam necessitas absoluta: cùm contrarium in se semper esset possibile. Notionem hanc irresistibilitatis gratiæ, si à termino discedatur, haud ægrè amplectuntur Fratres.

Sch. 2. Ut verò amplius pateat utriusque partis quoad gratiæ efficaciam consensus, facilè ostendi potest, Luther. gratiam efficientem æquè fortem esse ac Reform. irresistibilem, & hanc non fortiorem illâ: etenim fatentur Metaphysices gnari, duplicis tantùm generis esse veritates, nempe aut necessarias aut contingentes (*Met.* §. 1014.), uti nonnisi duo sunt principia, quibus veritates omnes nituntur, nimirum princ. contrad. (§. 3.), & princ. rat. suff. (§. 6.), illô scil. veritates absolutè necessariæ; hôc autem hypotheticè tales, quæ etiam *contingentes* ac *certæ* audiunt; jam conversio v. g. Petri &c. fuit veritas ab æterno, per præscientiam Dei (§. 257.), nititur ideò principiô quôdam; at ad quamnam veritatum classem referenda,

& quônam nititur principiô? neutiquam refertur à Reform. inter veritates abſolutè neceſſarias, & nullus eorum dixerit, niti illam princ. contrad., verùm referendam eſſe inter veritates certas, contingentes, niti princ. rat. ſuff., at an non idem ſine ambagibus amplectentur Fratres Auguſt. Confeſſ.? nemo aliter poteſt, niſi evidentiſſima Metaphyſices principia velit ſubruere: quid ergo diſcriminis remanet quoad gratiam reſiſtibilem & irreſiſtibilem? nihil planè, niſi terminus, qui offendit, & in ſe quoque non adeò eſt aptus; reſiſtit omnino homo, nec aliter poteſt, ob corruptionem originalem, quæ eſt quaſi vis reſiſtentiæ vel inertiæ, ùt audit de corporibus (*Met.* §. 607.), at quamdiu reſiſtit, Intellectus nondum eſt illuminatus, & hôc illuminatô voluntas non poteſt non ſequi ac ſequitur lubentiſſimè (§. 1036--1038.

Quomodo exoriatur conatus felicitatem in Chriſto quærendi.

1070. Quandoquidem Chriſtus comparavit liberationem (§. 942.), ac jus vitæ æternæ (§. 955.), hinc veram felicitatem, homo conſiderans miſeriam ſuam (§. 841.), mente illuminatâ (§. 1035.), omnes animi vires intendet; felicitatis per Chriſtum partæ ut particeps fiat, [cùm ex illuminatione niſus voluntatis ſequatur] (§. 1033. 1038.), adeòque *omnibus animi conatibus veram felicitatem in Chriſto quæret.*

Per gratiam nempe vis animæ vel animi in contrarium vertitur (§. 1022.), è vi autem ſequitur conatus, vel cum ea eſt conjunctus (§. 117.); per animum nimirum intelligunrur facultates animæ inferiores & ſuperiores.

Quomodo dicatur.

1071. Conatus hicce animi veram felicitatem in Chriſto quærendi eſt id, quod appellatur *fides.*

Sch. 1. Certè aut nil eſt fides, aut eſt talis animi conatus, ùt & ex iis, quæ in ſeq. hinc inde dicentur, ſatis intelligetur, fides nempe, proùt vox hæc ſumitur in negotio ſalutis; habetur adeò hîc definitio fidei nominalis, utij (§. 1070.) realis.

Sch. 2. Vox *fidei* diverſimodè ſumitur, apud Scriptores Latinos

Latinos plerumque pro constantia in dictis & promissis adeòque veracitate, nec non ipsa promissione quadam facta, inde locutiones, *fidem promittere*, *fidem servare*, inde audit *justitiæ fundamentum*, *rerum humanarum vinculum*, vid. Grotius J. B. P. *Lib.* 3. *C.* 19. §. 1. 2. *C.* 25. §. 1. qui & hôc sensu de fide in bello *publica*, *privata*, *tacita &c.* exponit eôdem *L.* 3. *C.* 19--24. pro veracitate ac fidelitate venit præcipuè apud eos, qui moralem doctrinam exponunt, hinc JCtos veteres ac recentiores, etiam aliquando apud Scriptores S.; ex. gr. Rom. 3: 3. ubi veracitatem in Deo, & 1. Tim. 5: 12. Tit. 2: 10. ubi fidelitatem, qualis in hominibus requiritur, notat. Apud Philosophos [qui nempe de Philosophia Theoretica tractant] sumitur pro assensu dato propositioni cuidam ob testimonium alterius (*Log.* *C.* 7. §. 3.), & contradistinguitur scientiæ (ib. §. 4.), etiam [ubi nempe rationes adsint sufficientes ad assensum præbendum] opinioni (ib. §. 19.); hæc notio etiam ingreditur notionem Theologis receptam: siquidem fides habet objectum, scil. veritates, quibus assensum præbet, qua de re in seq., interim non constituit præcipuum fidei actum; hebr. fides dicitur אמונה græcè πίστις.

Fides producitur per regenerationem.

1072. Quare cùm conatus ille homini imprimatur per vocationem efficacem (§. 1041.) seu regenerationem (§. 1057.), *fides producitur per vocationem efficacem vel regenerationem.*

Aut, quod idem est, dici potest, in vocatione efficaci vel regeneratione hominis produci in ipso fidem.

Discrimen fidei à vocatione efficaci.

1073. Elucet inde discrimen inter vocationem efficacem ac fidem, nimirum vocatio ea à parte Dei seu activè sumta est actus, quô Deus homini conatum illum imprimit (§. 1020. 1021.), à parte hominis seu passivè sumta est mutatio in homine facta (§. 1024. 1043.), & initium quidem tantùm hujus mutationis in melius, quæ si continuetur, constituit fidem, adeò-

que *fides est continuatio mutationis per vocationem Dei in homine factæ, vocatio autem hominis initium fidei.*

Sch. 1. Utrôvis modô spectetur vocatio sivè activè sive passivè, semper tamen consideramus eam hîc ut actum contradistinctè ad statum (sch. 2. §. 1010.); quòd fides etiam possit dici status vocationis efficacis, patet ex eodem sch., & quamvis ibidem monitum fuerit, fidem esse mutationis in homine factæ continuationem, tamen hîc peculiariter ostendere è re fuit.

Sch. 2. Fides rectè dicitur continuatio vocationis efficacis, etsi per vocationem hanc dixerimus imprimi non solùm conatum veram felicitatem in Christo quærendi, sed & gloriam Dei (§. 1041.): nam studium gloriam hancce promovendi, ac per actiones externas id testatum faciendi esse conjunctum cum conatu felicitatem in Christo quærendi, & è fide venire, videbimus (§. 1092.).

Sch. 3. Ideò cùm fides non sit nisi vocatio efficax continuata, complura, quæ in anteced. hinc inde de vocatione dicta ac probata sunt, de fide itidem valent, uti quòd fides sit miraculum respectu regni naturæ (§. 1016.), seu aliquid vires naturæ transcendens (§. 1014.), à Deo ideò efficiendum immediatè (§. 1029.), vid. Joh. 6: 29. Eph. 2: 8. Phil. 1: 29. quòd ordinariè producatur à Deo per verbum (§. 1008.), unde propositô verbô Divinô leguntur homines ad fidem perducti Act. 2: 40. 44. 8: 35. 37. 13: 48. &c. & quidem per Verbum tam Legis quàm Evangelii (sch. 2. §. 1012.), vid. Rom. 1: 16. 3: 20. quòd si producatur absque Verbo, tum sit miraculum etiam respectu regni gratiæ (§. 1017.), inde rarissime tali modô producatur (§. 1018.), quòd productio fidei sit operatio Sp. S. (§. 1021.), qui hinc dicitur Spiritus fidei 2. Cor. 4: 13. & inter cujus dona ac fructus fides refertur 1. Cor. 12: 9. Gal. 5: 22. quæ adeò brevitatis studiô sigillatim probare propositionibus expressis noluimus, nec opus habuimus: cum attentus veritatem eorum facilè perspiciat, imò & in propositiones determinatas ac probationes convertere valeat.

Fides confugit ad Christum.

1074. Quoniam fides veram felicitatem quærit in Christo (§. 1071.), quæ

quæ sempiterna (§. 719. 720. 755.), *stum.* locò cujus felicitatis hominem, sine Christo si sit, non manet nisi exitium æternum (§. 837. 848.), & ad hujus magnitudinem non potest non extremiscere, non potest aliter quàm anxius esse de eo effugiendo, è contrà felicitate impetranda, consequenter cùm sciat hanc impetrari in Christo (§. 958.), ad Christum confugit, adeòque *fides consistit in refugio ad Christum.*

Sch. 1. Ideò jam suprà (sch. §. 435.) προληπτικῶς in tali refugio fidem consistere diximus, hic autem id ita se habere ostendendum fuit ùt locò convenienti; sive autem fides dicatur consistere in refugio ad Christum, sive in conatu felicitatem per Christum quærendi, res eadem erit: refugium quippe [quod verò propriè nonnisi rebus corporeis competit, inde verò ad animum translatum] non est nisi conatus, & fit eum in finem ad Christum, ut vera felicitas in Ipso vel per Ipsum obtineatur.

Sch. 2. Fides ideò talibus in Scriptura exprimitur locutionibus, quæ confugium indigitant, seu quòd quis se recipiat in locum quendam, ibi ut tutus esse possit, uti sunt *currere* Prov. 18: 10. *venire* Matth. 11: 28. Joh. 6: 35. quin vox חסה, cujus partic. kal hac de re occurrit Ps. 2: 12. non solùm *confidere* sed & *confugere* notat, vid. Ps. 36: 8. 61: 5. 91: 4. imò primaria ac generalis ejus significatio est tendere aliquò boni cujusdam gratiâ & securitatis causâ.

Sch. 3. Refugium hoc ad Christum idem est, quod aliàs Theologis dicitur *fiducia in meritum Christi:* refugit enim fides ad meritum Christi, ut propter id effugiat pœnam peccatorum, è contrà jus vitæ æternæ consequatur; interim ad actum fidei essentialem exprimendum maluimus adhibere terminum *refugii* & *conatûs* quàm *fiduciæ:* cùm hic ultimus notet persuasionem ac gaudium (*Met.* §. 474. 475.), nempe de bono & ob bonum, quo fides in Christo quærebat, eò autem fides minimè semper assurgat, ùt infrà videbimus.

Sch. 4. Cùm fides confugiat ad Christum, inde contrà

Socin. sequitur Christum esse objectum fidei non tantùm secundarium, verùm primarium; nec illos juvat locus Joh. 12:44. ibi enim Christus consideratur in statu exinanitionis seu humili (§. 897.), ùt legatus Patris; deinde sibi vult, quòd is, qui in Christum credat, non credat in Illum solum, verùm & simùl in Deum, conf. Marc. 9:37. etiam attendendum, Christum verba illa locutum esse ad tales, qui Ipsum merum esse hominem ac sine mandato Dei docere autumabant Joh. 7:16.

Insunt ei affectus.

1075. Apparet exinde, *affectus inesse fidei, & quidem vehementes:* refugium quippe involvit desiderium, & cùm oriatur ob promeritum ac imminens aliàs exitium æternum (§. 842. 1074.), non potest non secum ferre timorem: hicce namque affectus exoritur ob malum imminens (*Met.* §. 476.), tantòque fortior est, quò majus est malum, & quò evitatu difficilius (ib. §. 409. 410. 420.); etiam amor ac spes fidei insunt: cùm enim quærat felicitatem in Christo (§. 1070. 1071.), Ipsum considerat ùt fontem & causam felicitatis, hòc mòdo autem ubi quis consideratur, non potest non amari: siquidem bonum apud ipsum invenitur (*Met.* §. 449.); desiderium quoque rei cujusdam non exoritur, nisi res ea simul consideretur ùt impetrabilis (*Mor.* §. 731.), consequenter talis, ut sperari possit.

Sch. 1. Locutiones, per quas fides aliquando indigitatur in Scriptura, involvunt desiderium, uti sitis vehemens excitans desiderium impatientissimum, ardentissimum, potûs, aquæ, Ps. 42:2. 3. fames ac sitis, Matth. 5:6. unde desiderium [german. Verlangen] primum esse in fide monent Theologi, vid. Cl. LAMPIUS Gnaden-Bund *to.* 1. *Cap.* 8. §. 29. qui & characteres suppeditat, per quos desiderium genuinum à fucato discerni possit, nimirùm ut non sit transvolans seu citò transiens, ut magis versus Christum feratur quàm alia omnia, nec priùs acquiescat, quàm obtinuerit desidera-

fideratum, unde & hominem non sinat ignavum, verùm impellat, instiget ad media adhibenda, idem §. 30. 32.

Sch. 2. Pœnitentiam quoque cum tristitia fidei inesse perspicitur, eò quòd hi affectus insint regenerationi (§. 1059. & sch. 3. ib.), fides autem sit regeneratio continuata (§. 1073. coll. 1058.); nisi quis malit, affectus eos fidem præcedere, interim tam proximè, ut ita dicam, ac arctè præcedunt, ut fidei inesse rectè dici possint; sunt, quos memoravimus, affectus tam ingrati quàm grati (*Met.* §. 440.), adeòque utriusque generis fidei inesse deprehenduntur.

Præsupponit timorem Dei ùt judicis irati.

1076. *Fides* igitur *præsupponit, quòd Deus ùt justus ac iratus judex timeatur:* confugit enim ad Christum (§. 1074.), idque ob imminens aliàs exitium (ib.), seu pœnam pòst hanc vitam (§. 837.), quâ se homo peccatis suis dignum reddidit (§. 782. & sch. 1. §. 837.) & quæ infligetur à Deo judice justo (§. 839.), ac irato (§. 330.), atque ùt malum imminens non potest non timeri (*Met.* §. 476.), ergo & ille, qui id immittit.

Sch. 1. Affectus timoris, si malum imminens consideretur ùt vix evitabile & ùt magnum, parit alios majores, pusillanimitatem scil., & demissionem animi, (*Met.* §. 481. 482.), horum si non uterque saltem alteruter præcessit fidem in auditoribus Petri Act. 2: 37. in custode carceris 16: 30.

Sch. 2. Nemini mirum videbitur, talem timorem vel tremorem fidem præcedere, etsi deinde, ubi fides feliciter fuerit exorta succreveritque, iterum transeat, ac in timorem filialem lætò successu abeat, ubi Deus non ampliùs ùt Judex iratus verùm ùt Pater benignus (§. 79.) & per Christum placatus (§. 939.) consideratur, unde gratissimus exurgit affectus aut status mentis, qui vernaculè Freymüthigkeit audit; non dicimus nempè, quòd fidei talis timor Dei ùt irati judicis insit, verùm quòd fidem præcedat, fidesque eum præsupponat; ideò & *Catechesis Heidelb.* I. Parte tractat

de agnitione & sensu miseriæ, pœna Dei timenda ac non effugienda ob justitiam Ipsius, Qu. 8 - 10. & deinde demum P. II. de refugio ad aliquem, qui inde liberare possit, vel de fide.

Sch. 3. Etiam aliter adhùc ostendi potest, quòd fidem præcedat, imò præcedere debeat talis timor Dei ùt justi Judicis: fides namque dùm refugit ad Christum, ut felicitatem in Eo impetret (§. 1070. 1074.), simùl indicat, quare Christus & satisfactio Ipsius necesse fuerit, scilicet ob justitiam Dei, quæ peccatum impunitum dimittere nequit (§. 316. 856.), ubi verò quis justitiam hanc supremam ad animum revocat tanquam ad se etiam spectantem, tunc & Deum non potest non timere tanquam talem judicem.

Sch. 4. Quod à priori patet, id à posteriori confirmatur, nempe quòd fidem talis præcedat timor: confirmaret id experientia propria homini, in quo vera fides fuerit exorta, etiam aliena, ubi exempla quis consideraret hominum, in quibus fides exorta, iis præcipuè nota, qui *officium paracleticum* aliâs etiam *curam animarum* dictum, diligentes, & ùt convenit, obeunt, quod officium obeundi modum edocere debet Theologia paracletica (§. 13.): casuum quippe varietas maxima, quæ ibi deprehenditur, ostendit præcedere ejumodi timorem, dum alii diutius in tali versantur anxietate, alii breviùs, alii majorem ejus subeunt gradum, qui aliquando non solùm in demissionem animi verùm & desperationem abit, dein autem in spem, imò fiduciam, hinc gaudium se convertit, qua de re etiam infra, ubi de fide infirma & firma. Pertineret talia addiscere experiundo tùm in se tùm in aliis ad Theologiam experimentalem (§. 15.), casus autem illos cum circumstantiis enarrare ad historiam regenitorum (sch. 2. §. 1036.), unde & quoad utilitatem redeunt ibi dicta.

Sch. 5. Quæ adeò tùm hìc tùm in præced. quoad fidem diximus, pertinere ad genesin ipsius, nemo non facilè videt.

Necessitas illius. 1077. Patet autem è dictis, *fidem hominis absolutè esse necessariam*: cùm enim sit refugium ad Christum (§. 1074.), tàm necessaria est homini quàm Christus ipse, id est, quàm necesse fuit Ejus satisfactio, redemtio

demtio &c. jam vero harum necessitas fuit tanta, ut sine iis nemo remissionem peccatorum posset obtinere (§. 933. 937.), id est, pœnam effugere ob peccata aliàs perferendam (§. 932.).

Nempe refugium id est necessarium, quia nemini nolenti aut invito obtruditur beneficium: esset id contra convenientias rerum agere (§. 84. 269.), quod ideò Sapientia Divina non admittit (ib.), unde & vocatio efficax, quæ fons ac principium est reliquorum, etsi non procedat è vi hominis (§. 1014.), tamen non fit homine invitô (§. 1032. seq.); nec non quia ii, qui Christum fide non amplectuntur, in eodem sunt statu, ac si nulla præstita fuisset satisfactio, in hoc statu autem nulla liberatio è miseria (847. 857.). Necessitas hæc fidei inde clarè indicatur in Scriptura, vid. Joh. 3: 16. 36. Heb. 11: 6. nec non, ubi homo per eam servari dicitur Act. 16: 31. Eph. 2: 8. infra etiam, ubi de negotio justificationis, amplius perspicietur.

1078. *Fidem necessariò præcedere debet cognitio:* etenim confugit ad Christum (§. 1074.), idque ob imminens aliàs exitium (ib.), adeòque sensum miseriæ (§. 841.), at confugium ad quendam sensusque miseriæ locum habere nequeunt sine cognitione utriusque; insunt fidei affectus (§. 1075.), at hi oriuntur è cognitione, confusa nempe (*Met.* §. 441.); præsupponit timorem Dei ùt justi ac irati ob peccata Judicis (§. 1076.), ergo cognitio Judicis hujus ac justitiæ Ipsis adesse debet. *Eam præcedit cognitio.*

Non igitur dicimus, fidem consistere in cognitione, quasi cognitio constitueret actum fidei essentialem: reclamat enim natura rei, ut è præced. satis perspicitur; interim actus fidei essentialis sibi non constat, nisi cognitio antecedat; fides etiam præcipuè residet in voluntate [siquidem conatus ac refugium non sunt nisi volitiones & appetitiones] at voluntas [id est volitio] oritur ex Intellectu (*Met.* §. 878.), adeòque cognitione, inde & fides per cognitionem exprimitur Es. 53: 11. Joh. 17: 3. ac Paulus sæpius exoptat suis uberem cognitionis mensuram, vid. Eph. 1: 17, 18. Col. 1: 9. cognitio hæc in mate-

ria

ria de vocatione ùt duos gradus seu articulos sub se comprehendens proposita fuit (sch. 3. §. 1036.), quod vero arbitrarium est.

Quorum nam articulorum?

1079. Inde perspicitur, *quòd requiratur cognitio* 1. *propriæ miseriæ*, 2. *Liberatoris*, 3. *necessitatis peccata in posterum vitandi:* namque fides refugit ad Christum, quò exitium effugiat (§. 1074.), seu miseriam (§. 841.), ergo tam miseria quàm ille, qui inde liberare potest, cognosci debent, & cùm miseriæ partem etiam constituant peccata (ib.), ac illa post hanc vitam hominem maneat ob hæc (§. 837.), præterea fidem præcedat timor Dei ùt irati peccatorum judicis (§. 1076.), cognoscere debet necessitatem peccata in posterum vitandi;

Sch. 1. Sub quovis horum trium articulorum generalium plures continentur speciales, & qui hosce non omnes noscit, non dicendus est fidem non posse habere; aliud etiam est, nescire quid aut non sat perspectum habere, & aliud id negare, qui veritatem specialem negat cum generali arctè connexam, is tùm demum generalem negare dici potest, ubi sufficienti polleat perspicaciâ, ut videat, se generalem simul tollere, aliás aliter pronunciandum. Pertinent hùc, quæ de *imputatione consequentiarum* præcipiuntur vid. CARPOVIUS *de imputatione &c.* §. 160. seq.

Sch. 2. Quòd requiratur etiam cognitio necessitatis peccata in posterum vitandi, & inde patet, quòd, uti infra videbimus, fides secum ferre debeat ac reapse secum ferat studium, id est, conatum, Deum in Christo glorificandi, & quòd conatus hicce homini imprimatur per vocationem efficacem (§. 1041.), cujus fides est continuatio (§. 1073.), nec non quòd, si homo velit felicitatis per Christum partæ particeps fieri, etiam debeat gratiam Ejus impetrare (sch. §. 959.), at ad eam impetrandam requiritur quoque sanctitas (sch. §. 962.). Hisce nempe omnibus cum probetur, conatum Deum glorificandi per Christum cum fide esse connexum, etiam simùl probatur, cognitionem ejus requiri: cùm notio glorificationis involvat cognitionem

nem (§. 673.); sub necessitate nempe peccata in posterum vitandi simùl intelligimus ac comprehendimus necessitatem Deum glorificandi per actiones peccatis oppositas, studium autem peccata vitandi ideò potius posuimus quàm studium Deum glorificandi, quià illud è principiis proximè positis conveniéntius deduci poterat. Quoad cognitionem articulorum ad fidem requisitorum itaque concordamus cum *Catechesi Heidelberg.*; quæ & sub quovis trium illorum generalium articulorum plures comprehendit speciales; gratitudinem nempe, quam *Catechesis* ea ùt tertium articulum proponit, nos [quod nemo non videt] indigitamus per studium peccata vitandi.

Sch. 3. Impingunt ideò modò palpabili Pontificii, fidem potius per ignorantiam definientes, quam fidem vocant *implicitam*, nempe dùm populum abesse jubent à lectione Scripturæ (§. 150.), ac jure examinis (sch. 1. §. 195.), è contrà subjiciunt suæ authoritati (§. 132. 197. & sch. 2. 3. ib.), sufficit talis fides, quâ creditur, quicquid Ecclesia infallibilis pro vero habet, etsi, quidnam id sit, nesciatur, adeòque nil eorum cognoscatur.

Requiritur, ut res pro veris habeantur.

1080. *Requiritur verò etiam ad fidem, ut res, quæ cognoscendæ proponuntur, pro veris habeantur, seu teneatur, quòd ita se habeant, & non aliter:* fides enim consistit in refugio ad Christum (§. 1074.), in se continet desiderium (§. 1075.), ac alios affectus (ib.), adeòque tendentias facultatis appetitivæ, jam verò facultas appetitiva versùs aliquid & conatus non excitantur, nisi id pro vero habeatur, ùt intelligitur è regulis psychol., juxta quas volitiones & aversationes oriuntur (*Met.* §. 878. 879.); vel aliter, cùm ad vocationem efficacem requiratur convictio supernaturalis (§. 1034.), adeòque ut res pro veris habeantur, & fides sit vocationis hujus continuatio (§. 1073.), etiam ad illam requiri, ut res propositæ pro veris habeantur, sequitur.

Sch. 1. De veritate nempe hìc Logica (*Met.* §. 395.) non autem Metaphysica (ib. §. 142.) agitur; aliquid autem pro

pro vero habere est judicare, rem ita esse factam & non aliter, ubi nempe de veritatibus facti agitur, si verò de veritatibus universalibus, est judicare, rem ita & non aliter esse possibilem; Intellectûs autem est judicare de rebus (*Log. C.* 3. §. 1. & *Met.* §. 287.). adeòque & eas pro veris habere, uti jam voluntatem vel appetitionem is semper præcedit (*Met.* §. 878.), ita cùm in fide sint tendentiæ facultatis appetitivæ (§. 1074. 1075.), etiam ad eam prærequiritur, ut res pro veris habeantur, *Catechesis Heidelberg.* ad fidem ideò requirit eine Fürwahrhaltung *Quæst.* 21. Sch

Sch. 2. Quòd si objiciatur, facultatem appetitivam excitari etiam, ubi res non pro vera prorsus vel certa habeatur, sed nonnisi pro probabili, uti vel pateat, ubi de malo avertendo agitur, tunc respondetur: id tamen non fieri, ubi quid appetitur vel fugitur contra inclinationem naturalem, quemadmodum in fide id, quod appetitur, est contra inclinationem naturalem seu corruptionem hominis (§. 812.), è contrà, quod fugitur, ei conforme, tali modò si facultas appetitiva excitari debeat, motivum sane, cujus intuitu excitatur, pro vero prorsus habendum, ac aliàs illam excitari posse repugnaret: cùm non esset ratio (§. 4.). Sch

In quo consistit assensus.

1081. Quando quid pro vero habetur, ei præbetur assensus (*Log. C.* 7. §. 3.), *fidem* itaque *præcedere debet assensus.*

Sch. 1. Dicimus NB. quòd assensus debeat præcedere fidem, cùm nondum sit actus fidei essentialis per dicta (§. 1074.), & quia sæpe apùd reprobos ac hypocritas [experientiâ teste] invenitur; interim actus fidei essentialis non potest esse sine præcedaneo assensu, repetenda, quæ quoad cognitionem dicta (sch. §. 1078.); ideo quoque *fides* nominatur tota illa actio salutaris (§. 1071.): apud Philosophos enim fides audit ille assensus, qui præbetur rei, quæ narratur, aut propositioni, ob testimonium alterius (*Log. C.* 7. §. 3. 4.), jam verò res, quæ pro veris habendæ, narrantur ab alio, nempe Scriptoribus S., & ob testimonium horum assensus præbetur (§. 121. & sch. 3-5. ib.); fides nempe propriè circa facta versatur (*Log. C.* 7. §. 4.), jam verò fundamentum Religionis Christianæ, [adeò que & id, sine quo refugium ad Christum locum habere non posset] sunt facta (prol. sch. §. 3. & Sch

sch.

sch. 2. §. 121.); quòd enim Christus fuerit in terra, ibi liberationem præstiterit, constituit factum, de quo nonnisi per testimonium aliorum constat; ob testimonium testantis solùm etiam præbetur assensus articulis puris (§. 188.), qui tamen ad facta non pertinent: cùm sint veritates universales per principia Rationis tamen non demonstrabiles (vid. sch. ib. coll. sch. 1. §. 117.); Scriptura actum huncce fidei indigitat per testimonium Dei recipere Joh. 3:33. 1. Joh. 5:9.

Sch. 2. Dicitur assensus hicce Theologis fides *subjectiva*, cùm sit in subjecto credente; res verò, quibus assensus præbetur, seu veritates, quarum præcipuæ memoratæ (§. 1079.), fides *objectiva*, cùm sint objectum cognitionis ac assensûs; prior etiam audit fides; *quâ creditur*, posterior autem fides, *quæ creditur*; hôcce sensu, pro objecto fidei, vox πίστις etiam aliquando sumitur in Scriptura, ex. gr. Gal. 1:23. 3:23. Eph. 4:5.

Sch. 3. Patet autem è dictis, fidem apud Theologos, seu fidem Theologicam differre ab ea, quæ Philosophis in usu & sermone est, tam quoad ipsum suum esse formale, quàm etiam quoad objectum: nam 1. fides Theologica consistit præcipuè in refugio ad Christum (§. 1074.), fides verò apud Philosophos dicit in genere assensum, qui præbetur propositioni ob testimonium alterius (*Log. C.* 7. §. 3.); 2. objectum fidei Theologicæ sunt tùm res facti, quibus Religio Christiana innititur tum & veritates universales, quæ per principia Rationis nec innotescunt, nec demonstrari possunt, & mysteria audiunt (§. 117.), è contrà fidei Philosophicæ objectum non sunt nisi pura puta facta (*Log. C.* 7. §. 4.).

Sch. 4. Nemo non videt etiam, assensum præbendum esse non solùm iis propositionibus, quæ totidem verbis in Scriptura exhibentur, sed & iis, quæ necessariò ex hisce sequuntur: etenim posteriores per priores determinantur, adeòque priores sunt τὸ determinans, qui verò ponit τὸ determinans, is & simùl ponit τὸ determinatum (per princ. Ontol.), si nempe perspiciat posterius per prius determinari, seu ex hoc sequi, uti sanè Deus summâ gaudens Ratione (§. 263.), revelationis auctor; Hic igitur revelat non tantùm, quæ totidem exprimit verbis, sed &, quæ per hæc determinantur; conf. quoad hæc (§. 200. & sch. ib. §. 201. & sch. ib.).

Sine dubitatione. 1082. *Assensus hic [debet omnem excludere dubitationem*: etenim ubi dubitatur, ibi Intellectus judicium suum adhuc suspendit, hinc nec voluntati motivum suppeditat aliquid quærendi, at ubi hoc, ibi homo non refugiet ad Christum, jam verò in fide tale est refugium (§. 1074.); vel ponatur, hominem dubitare, num Christus extiterit in Mundo, vel num fuerit verus Liberator, aut num detur vita æterna, num sit miser, num viribus inde evadendi destitutus, ad Christum non confugiet.

De dubitatione nempe loquimur non ea, ob quam res in Evangelio oblatas sibi applicare non audet: siquidem hæc non obstat, quòminùs refugium ad Christum locum non habeat, ut fides infirma [qua de infra] satis probat, verùm ea, quâ dubitatur, num res illæ revera existant vel extiterint, nec ne. Equidem dubitatio aliquando sufficiens esse potest, ut homo aliquò confugiat, ob formidinem nempe oppositi, seu ne fortè in malum oppositum incidatur, at in fide id non sufficit, per dicta (sch. 2. §. 1080.); fides ideò ἔλεγχος & ὑπόστασις audit Heb. 11: 1. quò locò, etsi Apostolus præcipuè futura præ animo habeat, tamen de reliquis omnibus rebus, quæ fidei sunt objectum, idem valet; conf. autem ad eum locum WITSIUS *œcon. fœder. Lib. 3. C. 7. §. 13. 14.* & etiam ELSNER *observ. in N. F. Lib.*

Cum certitudine. 1083. *Assensus igitur debet esse certus*: etenim talis debet esse, in quo judicium non amplius suspenditur (§. 1082.), consequenter judicium ferri debet, nempe quòd res ita sit, at nemo judicium fert, nisi cui res certa est, vel videtur.

Sch. 1. Dubitatio nempe & incertitudo sunt unum idemque: siquidem in certitudine cognoscitur, nondum adesse notionem vel possibilitatis vel actualitatis rei (*Met. §. 392.*), at idem etiam cognoscit, qui dubitat: siquidem judicium suspendit, id autem quare facit? ideò,

ideò, quià cognoscit, se nondum habere notionem vel possibilitatis vel actualitatis rei.

Sch. 2. Etiam experientia propria omnibus iis, in quibus fides feliciter exorta, testari potest, requiri ad eam assensum firmum, ac id adstruere esset Theologiæ experimentalis (prol. §. 15.); JOHANNES Apostolus ideò fidelibus suis scripserat, ut scirent 1. Ep. 5: 13. seu ut certi essent, & *Catech. Heidelb.* hinc quoque ad fidem requirit cognitionem certam, *Quæst.* 21.

Sch. 3. Cùm autem certitudo Philosophis sit *notio de possibilitate aut actualitate rei (Met. §. 389.)*, actualitas jam versetur etiam circa facta, & fundamenta Religionis Christianæ sint facta (vid. sch. 1. §. 1081.), nec non veritates per princip. Rationis indemonstrabiles (ib.), è quibus quarundam possibilitas perspici nequit (§. 117. & sch. 1. ib.), præterea etiam quoad cæteras veritates, quarum possibilitas aliâs perspici potest, plebejo sufficiat certitudo, quòd in Scriptura contineantur (prol. sch. 2. §. 32.), patet certitudinem, quam hîc de fide prædicamus, differre ab ea Philosophorum, hinc definiri debere, quòd sit *notio actualitatis ejus, quod in Scriptura perhibetur*; tantò magis differt, quòd supernaturaliter efficiatur (§. 1034. coll. 1074.), ac magis constet experientiâ propriâ (sch. 3. §. 193.), quàm quòd rationes distinctè sibi repræsentari debeant (sch. §. 1037.); interim, quibus id licet, eò incumbere debent, Eph. 4: 13. Hebr. 5: 12. seq. facit huc locus EUSEBII *præp. Evang. Lib.* 1. *Cap.* 5. p. m. 16. Τί δὴ θαυμάζεις, εἰ καὶ τὰ πρόπολα κατὰ τὴν ψυχὴν τοῖς μὲν διὰ πίστεως παραδίδοται, οἷς δ' ἀχολὴ λογικώτερον τὰ κατὰ μέρος παιδεύεσθαι, τοῖς δὲ καὶ τὰς λόγους αὐτὰς πάρεσι μετιέναι, καὶ τὰς ἀποδείξεις τῶν προσβευομένων μανθάνειν. *Quid ergo causæ est, quam ob rem adeò mireris, quibus non vacat omnia sigillatim ac subtiliùs addiscere, illis Divina hæc, quibusque tantùm animus informatur, præcepta, fidei manu tradi, aliis verò licere præterea ipsas quoque investigare rationes, & eorum, quæ præponuntur, demonstrationes addiscere?*

1084. *A fide* igitur, *quæ refugit ad Christum, abesse debet opinio:* etenim in opinione agnoscitur, deesse certitudinem (*Met.* §. 394.) consequenter judicium suspenditur, hinc

Sine opinione.

dubitatur (§. 1082.), at id ab assensu, qui ad fidem requiritur, abesse debet (ib. & § 1083.).

Apud Philosophos differunt opinio & vana persuasio (*Log.* C. 7. §. 19. & C. 13. §. 13.); in fide Theologica potest equidem quis fundamenta certitudinis minùs perspecta habere, interim tamen non incidit in vanam persuasionem: dum defectus compensatur per testimonium Sp. S., ubi supernaturaliter quis certus redditur, ac per experientiam internam (§. 130. & sch. ib. sch. 3. §. 193. & §. 1034.).

Cum convictione. 1085. Ubi certitudo, ibi & convictio (*Log. P.* 13. §. 1.), ergò cum assensus in fide debeat esse certus (§. 1083.), etiam *convictio fidei debet inesse*; quod & probatur, quia vocatio efficax convictionem requirit (§. 1034.), fides autem continuatio est vocationis (§. 1073.).

Sch. 1. Quòd convictio ad fidem requiratur, etiam inde patet, quia facultas appetitiva excitari debet (§. 1075.), ad id autem cognitione opùs est vivâ (*Mor.* §. 169.), at talis fit per convictionem vel saltem persuasionem (ib.); eò facit, quòd PAULUS fideles suos voluerit esse βεβαιωμένους ἐν τῇ πίστει Col. 2: 7.

Sch. 2. Quid convictio hæc sibi velit, seu quid includat, jam monitum (prol. sch. §. 27.), ut adeò ad eam requiratur 1. tenere, veritatem quandam in Scriptura tradi, quò facit doctrina de interpretatione (§. 162---207.); 2. tenere, Scripturam, in qua traduntur, esse revelationem Divinam, quò faciunt argumenta pro ejus Divinitate (§. 115---123.); quæ omnia dein corroboranda tùm per testimonium Sp. S. (§. 130. & sch. ib.), tùm per experientiam spiritualem (sch. 3. §. 193.), exponendam in Theologia experimentali (ib.). Unde etsi homo plebejus hæc distinctè perspecta non habeat, & tamen convictus esse possit (prol. §. 33. & sch. ib.), quilibet nihilominus, quantum ipsi datum, pro viribus operam dare debet, ut ad convictionem perveniat orientem è distincta cognitione ac examine veritatum (prol. sch. 2. §. 32. §. 195. & sch. 1. ib.), tali ideò præter illa duo modò memorata etiam incumbit, quod habetur (§. 194.). Assensus proinde non requiritur nec cœcus,

eus, nec stupidus, *cæcus* nempe ille est, ubi ignorantia mentem occupat earum veritatum, quibus assentiri quis debet, & tamen iis se assentiri affirmat, *stupidus* autem, ubi examen earum vetatur, aut non instituitur, qualem utrumque Pontificii postulant, ut intelligitur è [sch. 3. §. 1079.]; in eos propterea quadrat, quod Celsus olim Christianis exprobrabat apud Originem *Lib.* 1. p. 8. ad fin. edit. Spenceri, »quosdam ne velle quidem rationem fidei »vel reddere vel accipere, usurpareque illud dictum, μὴ ἐξέταζε, ἀλλὰ πίστευσον, ἡ πίστις σε σώσει σε, *ne examina, sed crede, & fides tua servabit te.*

1086. *Oportet autem homo prætereà convictus sit, seipsum propriis viribus è miseria illa non tantùm evadere non posse, verùm & prætereà nil illuc contribuere posse:* namque fides est refugium ad Christum (§. 1074.), præsupponens anxietatem & timorem justitiæ Divinæ (ib. & §. 1075.), at ubi ita ad alterum confugitur, ibi de viribus propriis desperatur, quin viribus propriis nil eò se contribuere posse agnoscitur: siquidem dum ad liberationem è miseria opùs fuit personâ Divinâ (§. 858.), homo solus, etsi peccatò exemtus nil eò conferre potuit (ib. & §. 859.), quantò minùs peccator (§. 851.)? at de hisce convictio requiritur (§. 1079. coll. 1085.). *Ut de viribus propriis desperetur.*

Etiam mutationem, per quam homo incipit è miseria emergere, non è viribus propriis procedere, facilè agnoscit (§. 1014. & sch. ib.). Homo ideò, qui ita cum anxietate fatetur, se nil posse contribuere, ut è miseria sua evadat, nisi ut alienum imploret auxilium, benè à Theologis [ex. gr. Huldrico Glaub. Pred. p. 11.] comparatur cum tali, qui puteum profundum delapsus, & cui sine alieno auxilio miserè pereundum esset; interim in fide nequidem imploratio alieni auxilii è viribus provenit propriis (§. 1020. 1021. coll. 1072.).

1087. Qui viribus propriis se nil conferre posse ad liberationem *Quod est seipsum abnegare.*

suam è miseria fatetur, is *seipsum abnegare* dicitur, igitur *abnegatio sui-ipsius fidei inesse debet.*

Abnegationem sui ipsus CHRISTUS quàm maximè poscebat ab iis, qui Ipsum sequi volebant, Matth. 16: 24. licèt hanc latius patere definitione modò traditâ non infitiemur; vid. de ea, quæ verè & piè Cl. LAMPIUS Gnadenb. *tom.* 1. p. 293. 294. Oritur autem, ut quivis videt, è sensu magnitudinis miseriæ suæ, adeòque è cognitione sui-ipsius, destruit liberum arbitrium (§. 825. 827.), fert secum humilitatem &c. ut ab ea, quæ se talem mentitur, satis discerni possit.

Qualis debeat esse convictio.

1088. *Convictio autem de omnibus illis naturalis non sufficit, verùm supernaturalis seu illuminatio requiritur:* etenim conatus veram felicitatem in Christo quærendi demum oritur, ubi homo mente illuminatâ & miseriam suam & felicitatem per Christum partam considerat (§. 1070.), at conatus ille constituit fidem (§. 1071.), porrò ad vocationem efficacem requiritur illuminatio (§. 1036.), at fides est continuatio illius (§. 1073.); tandem experientia testatur, plurimos esse convictos de veritatibus scitu necessariis (§. 1079.), qui tamen nec ad Christum confugiunt, nec characteres fidei ostendunt, uti timorem justitiæ Divinæ, sollicitudinem de miseria evitanda (§. 1074. 1076.).

Huc pertinet fervida PAULI ad Deum pro Ephesiis oratio, ut Deus iis velit illuminatos mentis oculos dare Eph. 1: 17. seq. conf. etiam 3: 16. 18. 19. Atque inde exurgit verum fidei πεῖσμα Col. 2: 5. ut convictio, quæ per argumenta ac demonstrationes efficitur (§. 130.), minimè sufficiat, verum altius sublimiusque requiratur principium, si verbum Dei debeat pertingere usque ad divisionem animæ & Spiritûs, Heb. 4: 12. conf. autem huc (sch. 3. §. 1035.).

1089.

1089. Unde simul sequitur, fidem transcendere vires naturæ. *Corollarium.*

Inde potentiæ Dei soli adscribitur Eph. 1:19. 3:16. 17. ac audit donum Dei vel gratiæ Ipsius 2:8. adeòque non donum naturæ, uti Pelagiani interpretabantur, & omnia sunt dona Dei (§. 572. 669. & sch. 1.), siquidem τὸ πιστεύειν ἐχαρίσθη Phil. 1:29.

1090. Porro sequitur, fidem non posse considerari ùt Opus ab homine & per ipsius vires præstandum, vel ùt conditionem ab eo & viribus ejus implendam. *Corollarium.*

Tali modò fidem considerant Armin. ob negatam nempe vel extenuatam corruptionem origin. (sch. 2. §. 812.); vocatur equidem Opus Joh. 6:29. verùm simul Opus Dei, ib., quod cùm in homine efficiatur non coacto (§. 1030. 1037.), ac officium ejus sit (§. 1050.), inde patet, quomodo de fide prædicetur ὑπακοὴ Rom. 1:5. & locum habeat lex fidei 3:27. præterquam quòd per fidem fiat ὑποταγὴ 2. Cor. 9:13. an & quomodo etiam fides sit conditio, jam explicatum (sch. 2. §. 997. & sch. 1. §. 998.).

1091. Cùm fides confugiat ad Christum (§. 1074.), omnibus animi conatibus felicitatem in Eo quærat (1070. 1071.), adeòque desideret quàm maximè, liberationem per Ipsum partam etiam ad se pertinere, patet *assensum in illa præberi veritatibus ùt rebus, quas homo etiam ad se quàm maximè pertinere desiderat ac optat.* *Fides res optat ut suas.*

In fide itaque præcipuum est illud *mihi, meus;* dicimus nempe, fidem desiderare ac optare res illas etiam ad se pertinere: siquidem fides infirma [ùt infra dicetur] res illas suas dicere nondum audet, verùm tantùm optat.

1092. *Cum fide conjunctus esse debet conatus Deum per Christum glorificandi:* etenim ut homo Deum glorificare studeat, est obligatio æterna ac immutabilis (§. 52. 53. 56. coll. 674.), cùm *Tendit Deum per Christum glorificare.*

autem nonnisi in Christo felicitatem inveniat (§. 1070.), homo debet Deum per Christum glorificare, & fides non aliter potest; porro cùm fides felicitatem in Christo quærat (§. 1070.), hanc quæret in omnibus, quæ in Ipso invenit, at in ipso invenit etiam, quòd docuerit officia (§. 914.), quæ non possunt non præstari è motivo liberationis Ipsius; tandem cùm Christus in æterno pacis consilio placationem Dei suscipere promiserit, si placati fierent peculium suum, ipseque Rex eorum (sch. §. 454.), fides felicitatem in Christo quærens (§. 1070.) tali modò eam quæret, quò Deus & Christus ipse in eo consilio constituerunt, ut obtineri possit, siquidem fides Opus liberationis cognoscere debet cum convictione (§. 1079. 1085.).

Sch. 1. Nempe quòd Christus glorificetur & simul Deus, ubi homo peculium sit Christi, & Christus Rex ejus, longiori probatione nolumus evolvere, cùm facilè perspici possit. Etiam facile quivis videt, quid sibi velit Deum per Christum glorificare, nempe idem, quod dictum (sch. §. 435.).

Sch. 2. Ita ergo, quòd glorificatio Dei per Christum cum fide conjuncta esse debeat, non solùm inde probamus, quia per vocationem efficacem homini id imprimitur (§. 1041.), cùm id ib. deductum fuerit è princip., quæ nonnisi assumta fuêre; confirmatur etiam id, quod positum (sch. 2. §. 1079.). Probari autem idem posset etiam inde, quòd, cùm fides felicitatem in Christo quærat (§. 1070.), tantam obtinere allaborabit, quantam obtinere poterit, non solùm post hanc vitam, verùm & hujus vitæ, at glorificatio Dei etiam ad felicitatem hominis in hac vita facit (*Mor.* §. 660.).

Sch. 3. Inde etiam, quia cum fide conjunctus est conatus Deum per Christum glorificandi, patet [quod assumtum fuit] (sch. 2. §. 983.), hominem fide gaudentem se non amplius gerere inimicum adversus Deum: siquidem ubi Deus glorificatur, officia erga Eum præstantur

§. 57. coll. 654. *Mor.* §. 652.), ubi verò hoc, ibi quis alterum offendere non quærit (*Mor.* §. 817.), qui autem id non quærit, is se alterum odio non habere ostendit: quoniam qui alterum offendere studet, testatum facit, se ex infelicitate ejus voluptatem capere, jam qui alterum odio non habet, non est inimicus ipsius (§. 778.); imo in studio Deum glorificandi adhuc contrarium locum habet, nimirum amicitia erga Ipsum. Indidem & patet, quòd per fidem gratia satisfactoris impetretur: id nempe fit, ubi cum altero in gratiam reditur, at reditur in gratiam, ubi amicitia restituitur, quod adeò fides cum sanctitate efficit; nec non quia fides seipsam abnegat (§. 1087.), humiliter ad Christum confugit (§. 1074.), ab Eo hinc supplex orat, per quæ sane gratia alterius impetratur; atque ita probatur, quod assumtum fuit (sch. §. 962.), nec non ulteriùs necessitas fidei (§. 1077.). Nempe hic non negamus, quin inimicitia adversus Deum cesset etiam per pietatem (§. 52.), saltem probare voluimus, quòd in fide non ampliùs locum habere possit.

1093. Fides, quæ secum fert conatum Deum per Christum glorificandi, dicitur *viva*, quæ verò non secum fert, *mortua*, Jac. 2: 17. 20. 26. & quia ad Christum confugit in Eo quærens felicitatem (§. 1070. 1074.) adeoque salutem, debito modò, ut etiam quærat Deum per Ipsum glorificare (§. 1092.), dicitur *salvifica*, item *vera*. *Nominatur vera &c.*

Sch. 1. *Vivum namque* est, quod agit (§. 281.), ut fides viva illa sit, quæ impellit ad agendum, cujus τὸ *mortuum* est oppositum (sch. 780.). Nec cum Socin. ideò fidem constituimus in obedientia mandatorum: siquidem eam semper distinguimus ab eo, quod exinde oritur.

Sch. 2. Quòd fides illa rectè dicatur salvifica, seu quòd per talem salus obtineatur, in seq. [ubi de justificatione] liquebit, vid. interim Scripturæ loca Joh. 3: 16. 36. 6: 40. Act. 16: 31. & alia. Monemus adhuc, quòd discrimen sit constituendum inter talis *fidei absentiam* & *incredulitatem*: hæc posterior enim præterea ponit malitiosum

contemtum & neglectum fidei continuum, mediorumque ad eam ducentium.

Historica quanam.

1094. Quòd si veritatibus cognitu necessariis (§. 1079.) assensum quis præbeat tantùm ùt rebus, quas non magnopere ad se pertinere desiderat, & quæ suâ non multùm intersint, adeòque sine affectibus (§. 1075.), dicitur *fides historica.*

Sch. 1. Talis assensus Theologis etiam dicitur *theoreticus*, cùm è contrà ille, de quo (§. 1091.), *practicus;* priori modò crediderunt olim Primores Judæorum Joh. 12: 42. item Agrippas Act. 26: 27. de duplici eo assensu egregiè loquitur Orator ecclesiast. Cl. Huldricus Glaubenspred. p. 6. 7. qui ipse videatur.

Sch. 2. Fidem hanc ideò non esse veram per se patet: siquidem inde nullus conatus nec felicitatem in Christo quærendi, nec Deum per Ipsum glorificandi (§. 1093.). Dicimus autem, NB. fidem hanc *non magnopere desiderare*, ut res illæ ad se pertineant, non autem simpliciter, *quòd ad se non pertineant*, quia nimirum aliàs à fide infirma non satis distingueretur: siquidem hæc etiam res in Evangelio oblatas ùt ad se nondum pertinentes considerat, interim valde desiderat, quo de infra. Notamus adhuc, fidem historicam plus posse esse, quàm est cognitio historica apud Philosophos (*Log. prol. §. 6.*): siquidem in illa potest quis cognitione gaudere tali [ut experientia & testatur] quæ rationes factorum reddere valeat [quantum nempe in veritatibus supernaturalibus id datur] (§. 117. & sch. 1. ib.), interim tamen fidem historicam sæpe etiam inde oriri, quòd rationes rerum ignoret. Fides historica adeò non consistit nisi in cognitione cum assensu, proinde in iis, quæ veram fidem præcedunt (§. 1078. 1081.), ut amplius pateat, eam non esse veram.

Undenam veniat.

1095. *Fides historica inde venit, quòd non sat attentè & diligenter ad animum revocetur miseria propria, ejus magnitudo, justitia Divina &c.:* etenim fides hæc res cognitu necessarias [adeòque & Opus liberationis] (§. 1079.) pro veris habet (§. 1094.), interim

interim nonnisi ùt rem quamcunque aliam, quæ nec magnum commodum nec detrimentum afferat (ib.), at verò si miseria propria & ejus magnitudo attentè considerarentur, non posset non & liberatio considerari ùt res, quæ maximè suâ interfit, & cujus privatio maximum afferat detrimentum.

Conf. (sch. §. 842.). Res eôdem modô se habet ac v. g. quoad Medicum aut medicinam: etsi credatur quis peritus Medicus, aut medicina quædam salubris, tamen ubi morbus non adest aut non persentiscitur, considerabuntur ùt res, quas ad se pertinere parùm quis desiderabit; causæ autem, ob quas non sat ad animum revocentur miseria propria &c. possunt esse v. g. ignorantia, ignavia, nimia de temporalibus cura, avocamenta aliorum &c. de quibus pluribus agere institutum non fert.

1096. Quando veritatibus Evangelicis assensus præbetur tanquàm ad se spectantibus ac desiderabilibus, verùm non aliter & aliô respectu, nisi quia commodum temporale afferunt, aut pulchritudine præcellentiàque se commendant, audit *fides temporaria*. *Fides temporaria quænam.*

Ita nempe dicitur, quia nonnisi ad tempus durat [πρόσκαιροι Matth. 13: 21. πρὸς καιρὸν πιστεύουσι Luc. 8: 13.] quamdiu scilicet inde commodum percipitur, aut saltem nullum incommodum, aut alias objectum ejus ùt præcellens se sistit; indigitatur à Paulo 1. Tim. 4: 10.

1097. Fides temporaria itaque inde venit, quòd veritates evangelicas quis non amplectatur ob præcipuum finem, quò tendunt, liberationem nimirùm è miseria (§. 861.). *Unde veniat*

Sch. 1. Huc potest trahi, quod legitur de iis, qui Christum sequebantur ob panem Joh. 6: 26. Fidem hanc ideò non esse veram suâ sponte patet: siquidem in ea non est conatus felicitatem in Christo quærendi (§. 1093.).

Sch. 2. Præter tres illas falsas fidei species (§. 1093. 1094. 1096.) adhuc alia numeratur, *fides miraculorum*

dicta, quâ quis confidebat, aut se in alio per potentiam Dei miraculum edere posse, aut alium in se, de hac Matth. 7:22. 1. Cor. 13:2. manifestum autem est, eam locum habuisse nonnisi iis temporibus, quibus miracula locum habebant, temporibus Christi & Apostolorum, aut & iis proximis, quibus Ecclesia erat plantanda, ut de illa pluribus agere opûs non sit.

Fides vera in quid feratur

1098. Cùm è contrà vera fides confugiat ad Christum, felicitatem seu liberationem in Eo quærens (§. 1070. 1074. 1093.), Christus autem & liberatio per Eum homini promittantur in Evangelio seu revelatione supernaturali (§. 95. 117. 134. & sch. 1. §. 861. sch. 1. §. 872.), patet *fidem ferri in promissiones evangelicas & supernaturales.*

Sch. 1. Fertur in promissiones hasce & simùl in ea, quæ cum iis conjuncta videt, conf. (sch. 1. §. 1079.); cum autem promissiones eæ non cernantur, sed credantur ob testimonium fide dignum (vid. sch. 2. §. 1085.), ideò audit πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων Heb. 11:1.

Sch. 1. Assensus ideò, qui præbetur veritatibus Divinis per Rationem cognitis (prol. §. 5. §. 117. 118.), aut persuasio de longanimitate Dei (sch. 2. §. 90. sch. §. 312.), spes item de medio liberationis obtinendo à Deo (sch. 2. §. 93. sch. 101.), quæ quibusdam dicuntur *fides naturalis*, propriè non sunt fides [non magis quàm vocatio per lumen naturæ] (§. 1051. & sch. ib.); non hôc solô sensu autem ita audiebat, nec ex uno fonte inveheba-tur, quædam de hisce suppeditat BUDDEUS *Theol. dogm.* p. 761. 925. 981. seq.

Actus ejus quot.

1099. Quandoquidem ad fidem requiritur cognitio (§. 1078.), assensus (§. 1081.), refugium ad Christum (§. 1074. patet *tres ad eam actus necessarios esse*, licèt postremus constituat esse ac formam fidei.

Sch. 1. Plures equidem adhuc possent constitui actus fidei, [uti & in vocatione efficaci gradus] (sch. 3. §. 1036.), ex. gr. tristitia ob peccata, conatus Deum per Christum glorificandi &c. unde & Theologi quidam, uti

uti Witsius *Oecon. fœd. Lib. 3. C. 7. §. 17.* seq. & Gürtlerus *inst. Theol. Cap. 15. §. 232.—262.* quinque constituunt, ille pro tertio amorem veritatis cognitæ, pro quarto famem sitimque justitiæ, pro quinto Christi Domini receptionem ad justificationem, sanctificationem plenamque salutem, hic autem non multum abludens pro tertio amorem Christi, pro quarto desiderium remissionis peccatorum ob Eum, pro quinto solatium ac lætitiam in Illo ob bona impetrata; verùm hi actus omnes ùt & illi (§. 1075. 1076.) tribus illis ordinariis aut includuntur aut ex iis proximè sequuntur, quod attentus facilè perspicere potest, ut speciatim id ostendere necesse non sit; in reipsa ideò nullus est quoad hæc dissensus, sed qui tres solùm constituunt actus, tantundem requirunt ad fidem, quàm qui quinque, & per quinque actus fidei natura minimè amplificatur; imò si quis duos nonnisi actus constitueret, assensum & refugium, sub assensu autem cognitionem comprehenderet, fidei naturam neutiquam imminueret; ut adeò liberum esse debeat cuique, tòt & tales actus constituere, modò reliquos non excludat vel neget, & formale fidei à reliquo discernat; interim tres illi ordinarii satis convenienter constituuntur: cùm ita indicetur, tum, unde omnis emendatio hominis incipere debeat, nimirùm à cognitione Intellectûs (conf. §. 1033. & sch. ib.), tùm & indicetur *tò* formale fidei, quod non potest esse nisi cura de propria felicitate [siquidem homo eam semper quærit sive verè sive falsò] (*Met.* §. 506. & *Mor.* §. 389.), hinc refugium ad talem, apud quem invenitur.

Sch. 2. De cognitione addendum, quòd considerari possit ùt aliquid quod fidem præcedit, dum ad eam prærequiritur, uti considerata fuit (§. 1078.), & ùt aliquid, quod cum aliis eam constituit, seu pars eam constituens, uti hîc (§. præs.) consideratur, ut tamen nulla sit contrarietas, idque propterea, quià non solum ea diversa esse potest, nempe vel mortua, vel viva (*Mor.* §. 169.), sed & fides vel latiùs vel strictiùs [id est, nonnisi pro actu ejus essentiali] sumi, hìc ergo de cognitione loquimur viva, suprà autem (§. 1078.) nondum determinatum esse poterat, utrùm sit viva nec ne; porrò addendum, quòd, etsi non constituat essentiam fidei, tamen, si sit viva, refugium

ad

ad Christum per eam determinetur : versatur namque cognitio etiam præcipuè circa propriam miseriam (§. 1079.), Christum item liberationemque Ejus (ib.), at ubi hæc ita cognoscuntur, uti illuminatio secum fert (§. 1012. 1035.), refugium ad Christum inde certò sequetur ; unde non solùm in Scriptura fides per cognitionem exprimitur (sch. §. 1078.), sed & à Viris quibusdam piis ac eruditis ita definitur, ut cognitionis præcipuè habeatur ratio, ex. gr. J. F. Ostervald *Catech.* P. 1. *Sect.* 1. *Art.* 1. p. m. 41--44. &, qui non multum abludit, J. A. Turretino *cogit. de var. Theol. Capit.* §. 98.

Sedes fidei. 1100. Patet inde, tam facultatem cognoscitivam quàm appetitivam in fide occupari, seu in utraque fidem residere.

Sch. 1. Refugium enim esse nisum vel tendentiam facultatis appetitivæ nequidem necesse est monere ; sic affectus, qui fidei insunt (§. 1075.), nec non, qui cum ea conjunctus, conatus Deum per Christum glorificandi (§. 1092.), itidem indicant facultatem appetitivam in illa occupari ; quoad facultatem cognoscitivam id probare superfluum ferè est, vid. (§. 1078. seq.) ; utramque facultatem in fide occupari etiam patet, quià utraque in vocatione efficaci occupatur (§. 1033. seq.), hujus autem fides est continuatio (§. 1073.).

Sch. 2. Aliàs dicitur, fidem residere tam in Intellectu quàm voluntate, maluimus autem dicere in *facultate cognoscitiva*, quià, cùm Intellectus ferat cognitionem distinctam (*Met.* §. 277.), hæc autem etiam in veritatibus Divinis non semper sit plebejorum, qui nihilominùs fide gaudere possunt (sch. 3. §. 1083. sch. 2. §. 1085.).

Fides compositum quid est. 1101. Quoniam fides non solùm è tribus illis actibus principalibus constat (§. 1099.), verùm ei adhùc complures insunt actus particulares ac tendentiæ, uti timor justitiæ Divinæ (§. 1076.), affectus varii (§. 1075.), conatus Deum per Christum glorificandi (§. 1092.), interim omnes

omnes eò tendentes, ut felicitas per Christum obtineatur, patet, *eam esse compositum quid è pluribus actibus ac tendentus, interim eòdem collimantibus.*

Adeò multæ in anima fiunt mutationes, quando fides oritur, ut prolixâ discussione nequidem status ille animæ sæpè explicari posset: quòd si enim in uno quodam solo affectu ita multa considerandà veniunt, imò in unica nonnisi cogitatione, ut ad ea evolvenda & acumine opùs sit, & sine prolixitate fieri non possit (*Met.* §. 335. 446.), quantò plura non ùt diversa se considerandà sisterent in fide, quæ multis repræsentationibus & appetitionibus constat? ut comparari possit viribus motricibus multis conjunctim agentibus, eòdemque tendentibus. Inde venit, quòd fides à diversis diversimodè exprimatur (sch. 1. 2. §. 1099.), dum hic vel ille actus ab uno magis consideratur, aut sub uno plures comprehenduntur; ipsa quoque Scriptura diversimodè proponit ac exprimit fidem, [uti notum est] mox per cognitionem, mox per famem & sitim, mox per edere, bibere, mox per venire, currere, mox per osculari Filium, mox per apprehendere justitiam Dei, per reclinare, recipere, sperare, lætari &c. hæ autem locutiones omnes, [etiam ea, quæ cognitionem dicit: siquidem viva intelligitur, quæ appetitum movet] conveniunt in generali notione refugii: si enim regulis Logicis convenienter (*Log.* §. 8.) inter se comparentur, generale, quod remanet, tale deprehendetur, ut dicat, bonum quæri apud quendam, proinde ad ipsum refugi.

1102. *Est autem fides salvifica* Est habitus & non tam actus, *quam habitus animæ* qualis. *à Deo infusus:* namque est continuatio regenerationis (§. 1073.), proinde non aliquid transiens, verùm permanens, unde ex actibus hisce reiteratis non potest non habitus enasci (*Met.* §. 525.), & cùm fides vires naturæ transcendat (§. 1089.), non potest non esse habitus à Deo infusus.

Inutile ideò esset, si quis vellet objicere, habitus quia involo-

involvat facilitatem agendi (*Met.* §. 525.), homini facilitatem adscribi quoad fidem: facilitas enim hæc etiam originem habet gratiam, dum est habitus à Deo infusus, & licèt fides efficiatur à Sp. S. (sch. §. 1089.), tamen eâ semel productâ homo dein & ipse agere incipit (sch. 1. §. 1024.).

Quomodo Christum recipiat.

1103. Quandoquidem fides confugit ad Christum, ut veram felicitatem adeòque liberationem per Eum impetret (§. 1070. 1074.), hæc autem ab Ipso comparata fuit per sacrificium suum ùt Sacerdote (§. 930. 933. 937.), *fides quàm maximè refugit ad Christum ùt Sacerdotem, & officium sacerdotale fidei veræ primarium est refugium.*

Sch. 1. Dicimus nempe officium hocce *primarium* esse refugium, non autem *primum*, quià felicitas, quæ per Christum ùt Sacerdotem parta est, prius ex Ipso ut Propheta est cognoscenda [quo de mox], interim id non est propriè refugere, quià terminus *refugii* secum fert anxietatem, ubi quis quærit tutus esse, deinde fit illud ob felicitatem desideratam, quam Christus ut Sacerdos peperit, ut officium sacerdotale semper maneat primarium refugium: siquidem & reliquorum officiorum est fundamentum (§. 975. 979.); atque id etiam dicitur, quòd fides salvifica Christum recipiat ut Sacerdotem; facerent huc egregiè verba Cl. LAMPII Gnaden-Bund *to.* 1. §. 20. p. 299. Scriptura Christum ùt Sacerdotem recipiendum esse declarat omnibus locis, in quibus obedientia Ipsius proponitur ùt causa salutis, ex. gr. Rom. 5: 19. Heb. 5: 8. 9. &c.

Sch. 2. Socin. ideò quià Sacerdotium Christi pervertunt ac tollunt (§. 927.), adeòque id, ad quod fides confugit, fidei naturam non possunt non pervertere, quam hinc ponunt tum in fiducia in Deo per Christum [tanquam nempe merum hominem (§. 351.), hinc objectum fidei tantum secundarium] sch. 4. §. 1074.), tum obedientia mandatorum Ipsius; fiducia nempe, quòd obedientes reportaturi sint, quæ nomine Dei annuntiaverit (§. 917.), adeòque hæc vera sint, neutiquàm

quam autem, quòd ad Eum tanquam causam salutis meritoriam (§. 952. 958.) sit confugiendum.

1104. Cùm ad fidem autem cognitio prærequiratur (§. 1078.), res cognoscendæ verò in N. T. præcipuè seu Evangelio proponantur à Christo (§. 115. sch. 1. §. 134. §. 910. seq.), & ipse ea in re se gesserit ùt Prophetam (§. 920.), *fides Christum primò recipit ùt Prophetam.* *Ulteriùs.*

Sch. 1. Id necesse est, quià omnis emendatio hominis [ùt sæpiùs jam monitum] ab Intellectu incipere debet, quâpropter Intellectûs morbo primò omnium Christum mederi oportet, unde nec fides historica Christum respuit ùt Prophetam (§. 1094. & sch. 2. ib.), interim fides vera Ipsum multò aliter recipit ùt Prophetam, nimirùm quòd docuerit res admodum desiderabiles, id est necessarias (§. 1091.); quare autem interim de receptione Christi ùt Sacerdotis priùs locuti simus (§. 1103.), ratio satis arcessi potest è (sch. 1. ib.), præterquàm quòd, quæ præcedebant, eò duxerint.

Sch. 2. Notamus adhuc quoad hancce receptionem Christi ùt Prophetæ, seu Doctoris, quòd, etsi per fidem fiat, tamen non subterfugiat disquisitionem ac examen doctrinæ Ipsius, conf. (sch. 2. §. 1085.), verùm omnino doctrina ab Eo proposita (§. 910--919.) dijudicari possit ac debeat juxta characteres indubios (§. 106--113.), quod Rationis est (§. 105.), ut fides rationes non fugiat, quò pertinet (§. 194. 1082--1085.), nec fugere debeat [ubi nempe quis per ingenii vires ac circumstantias eò assurgere potuerit] ac *fidelis* non dicat talem, qui sine dijudicatione, quæ in Evangelio proponuntur, assumat, cujus gentiles olim Christianos arguebant, quô facit locus Eusebii è *præpar. Evang. Lib.* 1. *C.* 1. p. m. 3. 4. ἐπειδὴ γὰρ τὸν χριστιανισμὸν τινες ἀδέκαστον λόγον ἀποσώζειν, ἀλόγῳ δὲ πίστει καὶ ἀνεξετάστῳ συγκαταθέσει τὰς προσηγορίας ἐφιέμενοι τὸ δόξαν κυρῶν ὑπειλήφασιν. μηδὲν φάσκοντες δύνασθαι ἀποδείξεως ἐναργὲς παρέχειν τεκμήριον τῆς ἐν τοῖς ἐπαγγελλομένοις ἀληθείας, πίστει δὲ μόνῃ προσέχειν ἀξιοῦν τοὺς προσιόντας. παρ' ὃ καὶ πιστὸς χρηματίζειν τῆς ἀκρίτου χάριν καὶ ἀβασανίστου πίστεως: *nam cùm hoc nonnulli persuasum habeant, disciplinæ Christianæ professionem nullâ posse ratione defendi, sed*

quæ

qui nomen illud amplectantur, eos, quod semel visum fuerit, irrationali fide ac temerariò assensu comprobare, adeòque asseverent, qui sese ad hoc institutum aggregarint, certum argumentum se habere nullum, quò rerum, quæ promittuntur, veritatem demonstrent, verùm ad unam tantummodò fidem adhærescere velle, eosdemque ob istam nullò judicii nullòque Rationis examine exploratam fidem fideles *vulgò nominari.*

Ulterius. 1105. *Tandem fides Christum etiam præcipuè recipit ùt Regem & Dominum:* etenim cum fide etiam quàm maximè conjunctus est conatus Deum per Christum glorificandi (§. 1092.), adeòque præstandi officia, quæ Christus ùt Propheta inculcavit (§. 914.), & ùt Rex tanquàm Leges præscripsit (§. 978. & sch. 2. ib.), præterea Christo competit dominium ob functiones Ipsius sacerdotales (§. 971.), fides ergo quia ad Christum refugit ùt Sacerdotem (§. 1103.), inde omnino debet se submittere dominio Ipsius, seu Eum recipere pro Domino.

Interim fides semper manet diversa ab obedientia mandatorum Christi: siquidem non solùm recipit Christum ùt Sacerdotem (§. 1103.), quod ab obedientia mandatorum multùm differt, verùm adhuc conatus ille Deum per Christum glorificandi ùt internum quid considerari debet, ùt aliquid habituale, quod in anima residet, & dein externam obedientiam mandatorum gignit vel sanctitatem forâs prorumpentem; conatu illò Christus recipitur ùt Rex, obedientiâ verò illa ostenditur, Eum ita receptum esse.

Porro. 1106. *Fides salvifica Christum recipit totum & solum:* recipit Eum totum, quià recipit ùt Prophetam, Sacerdotem & Regem (§. 1103--1105.), adeòque secundùm totum Ipsius munus mediatorium (§. 985.), jam ut Christus munus hocce posset explere, omnia, quæ in Ipso inveniuntur, requirebantur:

tur : siquidem ad sacerdotium Ipsius requirebatur utraque Ejus natura (§. 859. 894. coll. 930.), perfecta etiam sanctitas, seu Legis servatio : cùm pro peccatis aliorum satisfacere non potuisset, si unius peccati fuisset reus (§. 851.), uterque item status (§. 898. 907. coll. 964.), hinc & ad Regium Illius munus (§. 975.), consequenter fides quià omnia recipit, quæ in Christo, Eum recipit totum ; dum verò fides seipsam abnegat (§. 1087.), ad Christum solum confugit, quià Eum unicum esse Liberatorem noscit (§. 876. 1074. 1079.), & Eum glorificando (§. 1092.) abrenuntiat peccato (§. 673. coll. 812.), repulsam dat omnibus, quæ cum Christo consistere nequeunt, adeòque Eum recipit solum.

Sch. 1. Actio fidei, prout versatur circa Christum, ut Ejus particeps fiat, per *recipere* benè exprimitur : siquidem Scriptura terminô *receptionis* vel *assumtionis* utitur in hocce negotio Joh. 1 : 12. 5 : 43. Col. 2 : 6. de receptione Christi ut Sacerdotis, Prophetæ & Regis benè explicatur locus Matth. 11 : 28. 29. ut per τὸ *venite ad me* indigitetur receptio ut Sacerdotis, per τὸ *suscipite jugum meum* ut Regis [ζυγὸς enim Græcis & עול Rabbinis pro Lege etiam sæpè adhibetur, vid. Wolfius *cur. philol.* ad Matth. 11 : 29. 30. & quos ibi citat] per τὸ *discite à me* assumtio Christi ut Prophetæ ; idem indigitari rectè tenetur, quando Christus se dicit *viam*, *veritatem*, & *vitam*, Joh. 14 : 6. via nempe est quâ Sacerdos : Sacerdotum enim erat uti apropinquare ad Deum, ita & aliis viam ad Ipsum parare, sacrificiis, intercessione ; veritas quâ Propheta : dum veritatem edocuit (§. 910. seq.) ; vita qua Rex, dum vitam spiritualem producit &c. (§. 978. 1054.) ; clariùs autem Paulus dicit 1. Cor. 1 : 30. Christum esse nobis *sapientiam* [qua Prophetam] *justitiam* [quâ Sacerdotem] *sanctificationem* [quâ Regem] *redemtionem* per fructus inde resultantes (§. 937. 949. 957. 958.).

Sch. 2. Ita ergo fides omnia, quæ in Christo deprehenduntur, assumit, cùm omnia necessaria fuerint ad felicitatem, quam quærit (§. 1070.), comparandam, egregia hac de re sunt verba Cl. LAMPII Gnaden-Bund *to.* 1. p. 297. lin. 9. quæ verò apud Ipsum legantur; sic etiam, dum Christus recipitur ùt Propheta, Rex & Sacerdos, medela affertur triplici defectui nostro (sch. 1. §. 864.); præcipuum autem est, ut Christus verè recipiatur tanquam Rex: siquidem tùm resistitur servituti vel dominio peccati (§. 821. & sch. 3. ib. §. 978.), ac inde demum homo potest certus esse, se jure ad Eum confugere ùt ad Sacerdotem; præterea & hypocritæ ac reprobi Christum recipere amant ùt Sacerdotem, non autem ùt Regem, quòd adeò rarum est.

Affectus è persuasione ejus orientes.

1107. Quòd si homo per fidem salvificam non tantùm refugiat ad Christum (§. 1074.), ut felicitatem in Eo impetret (§. 1071.), id est remissionem peccatorum cum jure vitæ æternæ (ib. & §. 937. 955.), verùm adhùc certus aut persuasus sit, se hæcce bona aut jam impetrasse, aut saltem impetraturum, *non potest non inde oriri lætitia, gaudium & fiducia:* lætitia enim oritur ob liberationem à malo (*Met.* §. 447.), jam verò remissio peccatorum in tali liberatione consistit (§. 932.), gaudium ob bonum impetratum (ib. §. 446.), fiducia ob certò impetrandum (ib. §. 474.), jam jus vitæ æternæ tunc ita consideratur.

Ita ergo affectus ingrati, qui fidem præcedunt (§. 1076. & sch. 1. ib.), pariunt aliquando gratos, tristitia parat viam ad gaudium. Quare autem non fidei in genere inesse dicamus fiduciam, verùm demum, ubi certitudo aut saltem persuasio præcesserit, intelligitur è (sch. 3. §. 1074.), retinemus nempe definitionem fiduciæ, quæ in psychol. traditur (*Met.* §. 474.), res interim eadem manet, & minimè recedimus à Theologis; præeuntem autem quodammodo habemus Cl. GÜRTLERUM *inst. Th. Cap.* 15. §. 250.

1108.

1108. *Oriuntur inde gradus veræ fidei, ut una sit major altera:* gradûs enim notio involvit considerationem analogiæ cum magnitudine è multitudine partium resultante (*Met.* §. 106.), ut gradus veræ fidei diversi constituantur per persuasionem minùs aut magis firmam de bono impetrato vel impetrando & hinc resultans gaudium, aut nullam talem persuasionem, verùm nonnisi desiderium. *Gradus fidei.*

In omnibus perfectionibus vel virtutibus tam intellectualibus quàm moralibus datur differentia quoad plus aut minus, cur ergo non & iis, quæ operatione supernaturali efficiuntur (§. 1021.): siquidem Spiritum Sanctum æqualiter ubivis operari quis dixerit? conf. (§. 1062.); Scriptura autem clarè docet, fidem esse vel majorem vel minorem: dum non solùm exempla præbet hominum parvô aut magnô fidei gradu gaudentium, Marc. 9: 23. Rom. 4: 18. seq. verùm & distinguit fidem à fide Rom. 1: 17. incipientem à proficiente, loquitur de incremento in fide 2. Thess. 1: 3. indicat certam fidei mensuram Rom. 12: 3. comparat parvam fidem cum grano sinapis Matth. 17: 20. unde ipsos fideles comparat vel cum arundinibus quassatis Es. 42: 3. vel cum quercubus justitiæ 61: 3. conf. utrobique Cel. Vitringa in *Comment.* quò & pertinere benè judicatur, quòd quidam audiant tantùm infantes, alii verò juvenes, alii denique & Patres 1. Joh. 2: 13. 14. quæ omnia & alia adhuc gradus fidei loquuntur, quos nosse & benè distinguere scire perquàm utile imò necessarium est, præcipuè ob eos, qui parvô fidei gradu præditi, ne ideò de veritate fidei suæ dubitent aut desperent &c. hùc pertinent verba Cl. Lampii *to.* 1. p. 340.

1109. Fides hinc salvifica rectè dicitur, quòd sit vel *infirma* vel *firma.* *Quomodo audiant.*

Nempe [quod nemo non videt] parvus gradus constituit fidem infirmam, magnus autem firmam; imò tam illa quàm hæc suos adhùc admittunt gradus, ut nimirùm & infirma sit vel magis vel minus talis, & quoque firma. Quòd verò fides possit esse ac sit nunc firma nunc infirma, etiam homines ipsi verâ

fide pæditi è domestica experientia sciunt [quo de regulas suppeditare esset Theologiæ experimentalis] (prol. §. 15.), sciunt id, qui per muneris demandati rationem agunt cum fidelibus, eos explorantes quoad fidem ipsorum, & quod aliàs dicitur *cura animarum;* atque id, ubi fides apud eundem hominem mox incrementum mox decrementum patitur, quidam appellant, *gradus fidei inter se commisceri*, legatur hanc in rem LAMPIUS *to.* 1. p. 338. §. 41.

Unde utraque. 1110. Fides infirma itaque oritur è persuasione infirma seu dubitatione, firma autem è persuasione firma (§. 1108. coll. 1109.).

Sch. 1. Dicimus persuasionem [quòd inde fides firma] non autem convictionem vel certitudinem, quià non semper è cognitione distincta oritur, interim convictioni tali seu certitudini æquipollet, hinc eam secum fert, quià defectum cognitionis distinctæ compensat Sp. S., conf. (sch. 2. §. 1085.). Causæ autem infirmitatis fidei etiam sunt defectus cognitionis, parùm diligens sui ipsius exploratio [siquidem ex hisce oritur dubitatio] peccata, tentationes, dispositio naturalis, interim ad infirmitatem fidei faciunt semper mediante dubitatione, ut hæc maneat fons primarius ac generalis infirmitatis fidei; ita autem ad illam faciunt, aut quòd, cùm prius infirma sit, talis maneat, nec firma evadat, aut, cùm firmior fuerit, iterum infirma fiat, & sic decrescat. E causis etiam illis infirmitatis fidei patet, quomodo è contrà firmitas fidei acquiri possit, & quænam sint causæ [nimirum causæ sine qua non: cum semper adhuc Sp. S. operatio requiratur] conf. (sch. 2. §. 1020.); de hisce causis, diversis earum gradibus, diverso effectu apud diversa subjecta plura dicere instituti brevitas non admittit; experientia spiritualis autem (sch. 3. §. 193. sch. 1. §. 1036.) ea confirmaret, ac Theologia experiment. (prol. §. 16.) deducere ac distinctè evolvere deberet, quod ideò & pro seq. quoad fidem monuisse sufficiat, quædam de hisce vid. apud LAMPIUM *to.* 1. p. 327. quædam etiam dicenda erunt in materia de conscientia salutis; addimus, perutile fore, si quoad incrementum ac decrementum fidei apud diversa subjecta ab iis, quorum

munus

munus circa talia versatur, & acumine pollent, idem fieret, quod fieri debere diximus quoad vocationem efficacem supra (sch. 2. §. 1036.): quippe cùm utraque non differat [nempe vocatio passivè sumta] nisi ùt initium & progressus (§. 1073.), conficeret id historiam fidei.

Sch. 2. Dubitatio fidei infirmæ inest, etsi convictionem aliâs certitudinemque habeat (§. 1083. 1085.): quià nimirum dubitatio illa non versatur circa veritates cognitu necessarias (§. 1079.), num veræ sint, sed num ad se pertineant, dum eas sibi applicare nondum audet: veritates enim illæ sunt propositiones generales, applicatio autem earum singularis, pertinens ad individuum quoddam, & si benè debet procedere, notæ in tali individuo probè noscantur oportet, quæ doceant, applicationem ad id pertinere, planè uti in Logic. quoad definitiones & propositiones fieri debet (*Log.* C. 4. §. 1--4.), conf. etiam (*Met.* §. 336--338.); ex. gr. veritas generalis in Scriptura contenta, & quæ immotô assensu tenetur, est hæc, *respiscens & credens servabitur*, quæ adeò est propositio major syllogismi, ut autem ritè applicetur per minorem, *atqui ego respisco & credo*, oportet noscere, quænam ad respiscentiam fidemque requirantur, quænam adeò utriusque sint notæ, & dein videre, num apud se reperiantur, hîc autem multa sæpè suboriri possunt dubia apud talem, qui v. g. in tentationibus constitutus, aut aliâs è dispositione naturali ad dubitandum pronus &c.

IIII. *Fides ab initio semper est infirma:* etenim exoritur fides, ubi homo ad miseriam suam extremiscens quærit ab eâ liberari, hinc ad Christum confugit (§. 1074.), at verò ubi ad Christum confugitur, ibi quis non eô ipsô & statim potest esse persuasus, se liberationis per Illum participem jam esse aut participem futurum, adeòque adest solùm desiderium non verò gaudium, hinc nondum fides firma (§. 1108. coll. 1109.). *Ab initio qualis.*

E genesi adeò ac fonte fidei patet etiam primô ortu non posse esse firmam; interim id magis de ordine na-

turæ quàm temporis intelligendum, ut, quàmvis perexiguô temporis intervallô firma evaderet [quod tamen rariſſimè evenire exiſtimandum eſt] tamen primò, id eſt ordine naturæ, eſſet infirma; & etſi objiceretur, fidem eſſe effectum miraculoſum (§. 1089.), miraculum autem ſine ſucceſſione fieri (*Met.* §. 688.), tamen inde nondum aliud poſſet elici, niſi fidem infirmam ſine ſucceſſione effici, interim ne hoc quidem: cùm plures actus miraculoſi requirantur, conf. (ſch. §. 1015.). Monemus adhuc, quod Theologi teneant, majorem partem fidelium in fide infirma manere, nec ad firmam aſſurgere, aut id fieri tranſeunter, id eſt, ut iterum ad infirmam deſcendant, per cauſas allegatas (ſch. 1. §. 1110.), quo de hiſtoriæ fidei eſſet exponere (ſch. ib.).

Fidei infirmæ actus primus.

1112. *Fidei infirmæ primus actus eſt deſiderium intenſum Chriſti totius ac ſolius*: eſt deſiderium, quià oritur è ſenſu miſeriæ propriæ & hinc oriente refugio ad Chriſtum, ut felicitatem per Eum impetret (§. 1070. 1074.), bonum autem ſi expectetur, necdum obtingat, excitat tædium, quod appellatur deſiderium (*Met.* §. 483.), & quidem eò majus, quò magis bonum, quod nondum obtingit, ùt ſibi neceſſarium repræſentatur, jam verò fides infirma, ob dubitationem (§. 1110. & ſch. 2. ib.), felicitatem in Chriſto, cujus neceſſitatem & magnitudinem cognoſcit (§. 1079.), conſiderat ùt talem, quæ ſibi nondum obtingat; eſt deſiderium Chriſti totius & ſolius, quià vera fides Chriſtum eô modô recipit (§. 1106.).

Sch. 1. De deſiderio hocce, quòd fidei inſit, jam probatum fuit ſupra (§. 1075.), ubi etiam alia quædam dicta (ſch. 1. ib.), hìc autem oſtendendum fuit, quòd primus ſit fidei infirmæ actus, nec non quale præterea eſſe debeat; conf. de eo, qui ibid. citatur, Cl. LAMPIUS *to.* 1. p. 318. qui benè dicit, exprimi illud in Scriptura per famem ac ſitim Pſ. 42: 2. 3. Matth. 5: 6.

5:6. tùm quià in fame sitique sentiatur defectus cibî ac potûs, hinc in ea adsit convictio de ejus necessitate, desiderium etiam cibi potûsque tùnc sit vehementissimum [unde πεινᾶν, διψᾶν pro flagranti desiderio etiam apud Scriptores profanos passim adhibetur, vid. Alberti *Observ. Philolog. in N. F. Lib.* ad Matth. 5:6.], ut homo non acquiescat, donec ejus fuerit compos factus, ita hæc locum habeant in fide circa id, quod quærit ac desiderat &c. eò etiam benè trahitur locus Es. 26: 8. 9. atque per ea, quæ dicta, ut criteria discerni potest à desiderio hypocritarum & reproborum.

Sch. 2. E desiderio etiam hocce, prout magis aut minùs, intensum & è dubitatione majori aut minori oritur, venit, quòd affectus ingrati plures vel pauciores in majori aut minori gradu fidei infirmæ insint, uti tristitia, timor, pœnitentia, pudor, pusillanimitas, desperatio, quod, qui notionem horum affectuum perspectam habet è psychol. (*Met.* §. 448. 464. 465. 476. 477. 481.), facilè agnoscet, ut speciatim id ostendere supersedere possimus; atque hisce affectibus fideles sæpiùs vehementissimè agitantur, præsertim ubi priùs fide aliquâtenus firmâ felicitatem in Christo [ut bonum, quod quærunt] tanquam impetratam aut certò impetrandam sibi repræsentaverint ac applicaverint, dein verò propriâ culpâ per causas memoratas (sch. 1. §. 1010.) iterum ejus jacturam fecerint; è Scriptura præter alia hùc præcipuè pertinet Ps. 38: & 51: qualia loca ii, qui ipsi tales animi mutationes subierunt, longè melius intelligunt reliquis (sch. 3. §. 193.).

1113. *Alter fidei infirmæ actus est* Actus alter. *conatus vel studium bonum desideratum impetrandi:* ubi enim quid vehementer desideratur, ibi id quoque omni studiò ac labore quæritur: siquidem ex appetitu, præsertim vehementi, oriuntur motus tum interni, tum externi, quibus bonum aliquod impetrari potest, (per princ. psychol.).

Sch. 1. Est hic actus simul character indubitatus, desiderium genuinum a fucato discernendi; de hocce autem altero fidei infirmæ actu conf. Lampius *to.* 1.

p. 322. §. 32. qui & §. 33. benè obſervat locutiones, queis Scriptura eum deſignat, quarum jam quædam allatæ (ſch. 2. §. 1074.), ex. gr. venire ad Chriſtum Eſ. 55: 1. quærere Deum aut Chriſtum Pſ. 27: 8. appropinquare Iſ. 45: 20. Heb. 7: 25. 10: 22. quod deſumtum à Sacerdotibus [de quibus adhibentur voces מקריב הקריב &c.] locutionem omnium harum τὸ generale eſt notio conatûs, quô ſtudium & labor impenditur ad aliquid impetrandum.

Sch. 2. Fides interim infirma, quantumvis ei inſit dubitatio (§. 1110.) & affectus ingrati (ſch. 2. §. 1112.), tamen hominem participem reddit felicitatis in Chriſto quæſitæ: ſiquidem Eum nihilominùs recipit totum ac ſolum (§. 1106.), ſtudet Deum per Chriſtum glorificare (§. 1092.), hinc peccato, cupiditatibus bellum indicit, & propterea, quòd quis dubitet de bono impetrando, minimè ſequatur, eum id non impetraturum [uti nec è contrà, qui ſibi de impetratione blanditur, per hoc eò magis impetrat], ſicût in humanis quis poteſt hæreditatem Teſtamentô legatam reportare, etſi dubius quin neſcius ſit de eo; certitudo objectiva neutiquàm tollitur, etſi non adſit ſubjectiva; Scriptura ideò fidei in genere [non habitâ ratione, ùtrum ſit firma, nec ne] addicit felicitatem in Chriſto impetrandam ſeu ſalutem, Joh. 3: 16. 36. 6: 47. Act. 16: 31. & alibi.

Fidei firmæ actus primus.

1114. E deſiderio & conatu quid impetrandi oritur aliquando ſpes aut perſuaſio id impetrandi ac poſſidendi, & conſcientia ejus, quarè cùm è perſuaſione firma oriatur fides firma (§. 1110.), *infirma fides tunc migrat in firmam, hujuſque primus actus* adeò *eſt confidentia de felicitate in Chriſto impetranda ac conſcientia impetrationis.*

Confidentia hæcce vernaculè exprimitur per Freymüthigkeit, de qua etiam egregiè loquitur Cl. LAMPIUS *to.* 1. p. 328--330. ubi benè obſervat, in hacce confidentia voculas *meus* ac *mihi* utramque facere paginam, [nempe non ſolùm quòd res illas ad ſe pertinere optet (§. 1091. & ſch. ib.), verùm ad ſe pertinere ſperet ac conſcius ſibi ſit] ut ingeminetur illud Job.

Job. 19: 25. scio Redemtorem *meum* vivere, & Joh. 20: 28. Domine *mi* & Deus *mi*; huncce fidei actum describi à Paulo Heb. 11: 1. eundem de eo loqui 2. Tim. 1: 12. & Heb. 10: 22. [quô posteriori locô dicitur πληροφορία πίστεως] porro eum exprimi in Scriptura per apprehendere robur Domini Es. 27: 5. [phrasi desumtâ ab iis, qui, ut tuti esse possent, apprehendebant cornua altaris 1. Reg. 1: 50. 2: 28. vid autem ad eum loc. Cel. Vitringa] per hebr. נשקו בר; per osculari Filium Ps. 2: 12. [osculari nempe apud Veteres in Cultu Deorum erat ritus ac signum adorationis, vid. Niedek *de popul. veterum ac recent. adorat. Cap.* 25.] per edere ac bibere Joh. 6: 51. 53. 54. 56. 57.

1115. Ubi bonum repræsentatur vel ùt jam impetratum vel ùt certò impetrandum, ibi non potest non oriri gaudium (*Met.* §. 446.), tale gaudium cùm dicatur *fiducia* (ib. §. 447.), *è confidentia oritur & fiducia ceu alter fidei firmæ actus.* *Actus alter.*

Sch. 1. Bonum impetratum, de quo loquimur, nempe est remissio peccatorum cum jure vitæ æternæ (§. 937. 955.), impetrandum autem ipsa vita æterna, seu ejus collatio, quæ nos aliàs expressisse per felicitatem in Christo nemo non perspiciet.

Sch. 2. Fiducia hæcce adeò est complementum fidei; posset etiam dici gaudium spirituale; ab aliis v. g. à Cl. Lampio *to.* 1. p. 333. §. 37. dicitur securitas & requies in Deo, qui & solerter observat, quòd Scriptura hunc actum exprimat v. g. per requiem Ps. 116: 7. Matth. 11: 29. habitationem tranquillam vel securam Es. 32: 18. Jer. 23: 6. gloriari in Domino Es. 45: 25. Facilè autem etiam distinguitur à falsa fiducia reproborum ac hypocritarum, si animadvertatur genesis fidei, quomodo se habeat (§. 1074--1076.), porro quomodo fides Christum recipere debeat (§. 1106.), & desiderium Christi comparatum sit oportet (§. 1112.); siquidem fiduciâ includitur, per dicta (§. 1111.), nec non, num media requisita adhibeantur, v. g. actus pædagogici (§. 1049. & sch. 2. 3. ib.) &c. sicut enim in naturalibus, ubi quis sine mediis adhibendis quid

impetrare optat ac sperat, falsam ostendit fiduciam (*Mor.* §. 737.), ita & in spiritualibus; de falsa illa fiducia graviter Cl. HULDERICUS in Glaubens-Pred. p. 18. seq.

Per fidem quid erigatur.

1116. *Per fidem fœdus gratiæ erigitur*, seu *homo, ubi fide gaudet salvificâ, fœderi gratiæ adstipulatur*: tum namque fœdus aliquod erigitur, quum postulatum ejus præstatur vel conditio, jam verò fides est postulatum ac conditio ejus (§. 993.); porro tunc quis adstipulatur fœderi cuidam, ubi stipulutionem implet (§. 744.), at stipulatio fœderis gratiæ est fides (§. 992--994.).

Sch. 1. Adstipulatio nempe etsi in eò solùm consistat, quòd quis suscipiat præstare (§. 744.), tamen hoc suscipere impletionem simùl innuit. In Fœdere gratiæ equidem etiam postulatur sanctitas (§. 993.), at fides eam secum fert per conatum Deum in Christo glorificandi (§. 1092.), inde potest dici, per eam fœdus gratiæ erigi.

Sch. 2. Quòd etiam fides sit beneficium Testamenti hinc & fœderis gratiæ, jam præoccupatum fuit (§. 437. coll. 458. §. 998.), & satis intelligitur ex (§. 1027. 1029. coll. 1073.), quòd interim simùl sit officium hominis, sufficienter perspicitur ex (§. 1050. coll. 1073.), nec non quia per eam fœdus gratiæ erigi potest, hinc impetrari promissa ejus, unde, quòd & quomodo etiam sit conditio fœderis, intelligitur, vid. (sch. 2. §. 997. & sch. 1. §. 998.).

Christus quo sub forma recipiatur.

1117. *Per fidem Christus recipitur ut Caput repræsentativum*: Christus namque fuit Caput repræsentativum eorum, pro quibus satisfecit (§. 963.), siquidem fides eòdem tendit, quò Christus in satisfactione sua, quoniam quærit felicitatem in Christo (§. 1071.), vel liberationem à pœna cum jure vitæ æternæ, quæ Christus satisfactione

factione suâ impetrare voluit, præterea tendit Deum per Christum glorificare (§. 1092.), at ut Deus glorificaretur, Christi scopus fuit, ob quem Opus liberationis in se suscepit (ib.), jam verò fides Christi satisfactionem quàm maximè & avidè assumit: siquidem ad Eum confugit ùt Sacerdotem (§. 1103.), Sacerdos autem fuit in satisfactione (§. 930. 941.), ergo per fidem recipitur ùt Caput repræsentativum.

Quæ reliqua nempe requiruntur ad probationem hujus propositionis. præsupponuntur ùt jam posita (§. 963.), è contra ex hisce patet, quod (sch. 1. ib.) præsuppositum fuit, fidem nimirùm eò tendere, quò Christum, scil. ad felicitatem.

1118. *Inde ex vera fide resultat communio Christi cum fidelibus seu arcta horum cum Eo unio:* quippe ubi est Caput repræsentativum, ibi & societas (§. 762.), jam societas, quià in ea plures ad eundem tendunt finem (§. 760.), secum fert unionem; præterea ii sunt inter se moraliter uniti, quorum alteri rationem agendi ab alteris desumunt (§. 758.), adeòque ubi alter ob alterum agere aut pati quid voluerit, jam verò Christus pro fidelibus id præstare voluit (§. 926. 953. 960.), & hi è contrà Eum glorificare student (§. 1092.). *Inde unio Ejus cum fidelibus.*

Sch. 1. Infra, ubi de justificatione, amplius patebit, quòd pro fidelibus seu credentibus, & quidem solis, Christus agere ac pati voluerit.

Sch. 2. Unio hæc inter Christum ac fideles, quam *moralem* diximus, eadem est cum ea, quæ aliàs dicitur *spiritualis*, cujus oppositum est *corporalis*, uti illius *physica*; utraque hæc dicitur etiam *propria*, prior verò utraque *impropria*: inchoat autem eam non homo verùm Christus per Spiritûs sui operationes, ùt satis intelligitur è (§. 999. & sch. 1020. 1021. &c. coll. 1073.). De hac unione sæpiùs Scriptura, vid. 1. Cor.

1. Cor. 1: 9. 6: 17. 2. Cor. 5: 21. Eph. 2: 5. 6. proponit eam sub similitudine unionis corporeæ, Capitis cum membris, vid. 1. Cor. 12: 14-27. Eph. 1: 22. 23. 5: 30. Col. 1: 18. cibi ac potûs cum corpore Joh. 6: 48. seq. vestis cum eo Rom. 13: 14. Gal. 3: 27. palmitum cum vite Joh. 15: 4. 5. Rom. 6: 5. lapidis angularis cum ædificio ei superstructo Matth. 21: 42. 1. Cor. 3: 11. Eph. 2: 20--22. quæ adeò sunt locutiones emblematicæ (sch. 3. §. 172.).

Sch. 3. Alia adhuc quoad fidem dicenda, v. g. quòd inde gloriatio in afflictionibus, amor Dei cum ea conjunctus [quo de aliquid] (§. 1075.), quòd per eam imago Divina restauretur, in seq. hujus Loci monebuntur, ubi simùl considerari potuerint beneficia, è quibus id faciliùs deduci poterit.

Fides intendit justificationem. 1119. Fides cùm quærat felicitatem in Christo (§. 1070.), adeòque liberationem à pœna (§. 843.), seu remissionem peccatorum (§. 932. 937. 952.), cum jure vitæ æternæ (§. 853. 955. 958.), remissionis autem hujus ac juris vitæ æternæ impetratio id sit, quod aliàs dicitur *justificatio* vel *justificari*, sequitur, *quòd fides quærat justificari*, seu *conetur impetrare justificationem sui*, Es. 53: 11. Phil. 3: 9.

Sive autem dicatur, fidem quærere remissionem peccatorum cum jure vitæ æternæ, sive fructus satisfactionis vel obedientiæ Christi, sive reconciliationem cum Deo, perinde est, vid. (§. 957. 967.). Non necesse est monere, quòd fides hoc quærat per declarationem, seu justus declarari: miseriam enim suam dum cognoscit (§. 1079.), hinc facta mala, ea infecta non posse fieri facilè videt, ut ob præterita semper adhuc maneat obnoxius justitiæ Divinæ (sch. 2. §. 315. & 316.), nec nisi declaratione, quâ quis habetur, ac si pœnæ reus non esset, inde liber fieri possit.

Invenit hæc in Christo. 1120. Quare cùm Christus quibusdam comparaverit ac meritus sit remissionem peccatorum (§. 937. 952.), & jus vitæ æternæ (§. 955. 958.), etiam *comparavit*

ac meritus est quibusdam justificationem, fidesque quærit justificationem in Christo (§. 1119.).

Sch. 1. Christus itaque comparavit τὸ δικαίωμα Rom. 8: 3. 4. seu id, quod lex ac justitia Divina postulant (§. 847. 854.). Vox justificationis adeò hic adhuc, quod nemo non videt, sumitur passivè.

Sch. 2. Hic possent plures poni propositiones expressæ, quæ & ut corollaria possent deduci, v. g. quòd fides quærat, ut facta sua, scil. mala, pro non factis habeantur ob satisfactionem Christi (§. 856. 941. 944.), ut imputatio actualis seu qua consequens actionis (§. 801.) [malæ scil.] non instituatur, quòd è contrà non facta sua velit pro factis haberi, id est omissionem perfectæ obedientiæ propriæ desideret pro præstita haberi ob perfectam Christi obedientiam activam (§. 954. 955.) &c. quæ verò ob instituti brevitatem nonnisi tali modò indicasse sufficiat.

1121. Actus itaque justificationis duo sunt, nempe liberatio à malo, & impetratio boni. *Ejus actus.*

Utriusque nimirùm post hanc vitam aut evitandi aut fruendi. Esse adeò actus hosce duo diversa res ipsa docet, cùm uterque ut distinctus ab altero concipi possit, & utriusque diversa sit notio, conf. etiam (sch. 2. §. 854.), interim minimè quòd Deus diversis intelligendi ac volendi actibus circa eos versetur (§. 236. 300.).

1122. Cùm liberatio à malo seu pœna requiratur ob peccata (§. 843. 844.), hæc autem sint transgressiones Legis Divinæ (§. 620. 812. 818.), Legislatoris ac Judicis est à pœna liberare seu peccata remittere Ps. 130: 4. Marc. 2: 7. nec minùs ejusdem est jus vitæ æternæ conferre: siquidem ob perfectam Legis servationem confertur (§. 720. 729.), quare *Legislatoris ac Judicis est declarare immunem à pœna & contrà participem juris vitæ æternæ.* *Cuinam competant.*

Sch. 1. Declaratio nempe [ut quivis videt] non intelligenda.

genda est, quæ verbis fit, verùm reipsâ. Quod hic dicimus immunem declarare à pœna, è contrà participem juris vitæ æternæ, etiam dicitur unô verbô, *justum declarare;* vox *justus* nempe & *justitia* in materia de justificatione, ut facilè perspicitur, non eam admittit notionem, ac in doctrina morum [quo de (*Mor.* §. 1022. 1024.), add. GROTIUS *J. B. P. Lib.* 1. *C.* 1. §. 3. 8. *Lib.* 2. *C.* 20. §. 2.] & aliâs (§. 692. 855.): cùm ibi sumatur imputativè, hinc non notet habitum benè agendi, nec tantùm involvat certam officiorum partem, verùm omnia, quæ lex postulat, ut scil. homo ea præstitisse censeatur. *Sch.*

Sch. 2. Legislator nimirùm hicce est Deus Jac. 4: 12. conf. (§. 78. 287. 722.), qui simùl Judex, dum Leges proprias ad facta aliorum applicat, respiciendo ad consequentia factorum seu pœnas & præmia (§. 800.), adeòque aut immunem aut sontem pronuntiat, unde dicitur κριτὴς πάντων Heb. 12: 23. in humanis equidem, uti ille, qui Judex est, non simùl est Legislator: siquidem potestas executiva [quæ est Judicum] potest esse delegata à superiore legislativa, vid. (*Pol.* §. 469.), ita ille, qui Legislator est, non ideò simùl est Judex, quoniam non omnia potest curare; at in Deo utrumque simùl est, quoniam ùt supremus Legislator (§. 299. 15.), omnia simùl curare potest (§. 651.): Judex autem hic simùl ùt creditor considerari potest (sch. 1. §. 861. sch. 3. §. 948.).

Hinc & justificatio. 1123. Quare cùm immunitas à pœna cum jure vitæ æternæ constituat justificationem (§. 1119.), nempe passivam, *Deus est, qui justificat*, seu *justum declarat* (§. 1122. & sch. ib.), nempe *Deus Pater* (§. 860. & sch. §. 861.).

Sch. 1. Apertè PAULUS Rom. 8: 33. Θεὸς ὁ δικαιῶν, ubi & Eum Christo contradistinguit v. 34. is enim sententiam justificationis non potest non pronuntiare, qui Filium suum mittendo peccatum condemnavit in carne Rom. 8: 3. qui Eum proposuit ἱλαστήριον ad ostendendam justitiam suam, 3: 25. ut Filio non propriè competat sententiam justificationis ferre, quoniam hanc comparavit (§. 1120.) nec Sp. S., quoniam hic justificationis conscientiam animo instillat per fidem, de

de qua (§. 1106.), & quam operatur (sch. 3. §. 1073.), quo de etiam infra; & licèt Filio adscribatur, quòd & Ipse justificet Es. 53: 11. id tamen non vult, nisi quod justificationem impetrarit (§. 1120.), ac etiam docuerit (§. 910. 911.), quod & innuere posset illud בדעתו, ut conveniret cum sensu Dan. 12: 3. quo de mox.

Sch. 2. Termino *justificationis* & *justificare* assignamus itaque notionem aliquem pro justo declarandi, justum pronuntiandi, quod fert sensum forensem [ut dicitur] non autem notionem justum faciendi, justitiæ studium animo instillandi, quod ferret sensum physicum; quòd autem Scriptura S. vocibus heb. ac græcis, quæ in hac materia adhibentur, & locis, ubi de justificatione sermo, eandem indigitet notionem, id nunc ostendendum (§. 155.), quod facere nolebamus, nisi priùs justô ordine eò deventum esset, ut posset ostendi, justificationem esse declarationem alicujus pro justo; vox heb. in hiphil. occurrens tantùm non ubique eam notionem clarè fert, Ex. 23: 7. dicit Deus, *ne occidas innocentem & justum, quoniam non* אצדיק רשע *justificabo impium*, id est justum pronuntiabo, siquidem de actibus forensibus & veritate in iis tuenda sermo, & justum facere nullum funderet sensum; sic & 2. Sam. 15: 4. Absalomus, *veniat ad me omnis, cui lis & causa* והצדקתיו *& absolvam eum*, utique non sibi volebat Absalomus, se ex injustis justos facere velle; 2. Chron. 6: 23. Salomon ad Deum preces fundens, *judicabis servos tuos, retribuendo impio* ולהצדיק צדיק *& justum declarando justum:* siquidem omnino justus non poterat demum talis fieri; vid. etiam Ps. 82: 3. clariora adhuc ea loca, in quibus הצדיק & הרשיע sibi invicem opponuntur, Deut. 25: 1. 1. Reg. 8: 32. & in particip. Prov. 17: 15. quod posterius non potest notare nisi condemnare injustum, reum pronuntiare, ut hinc prius notet contrarium; Es. 53: 11. autem notat [ut modo (sch. 1.) monitum] justificationem impetrare, vel eò ducere: quem posteriorem significatum etiam habet Dan. 12: 3. quomodo & de Doctoribus Evangelii dicitur, quòd salvent 1. Cor. 9: 22. 1. Tim. 4: 16. verùm & in hitpah. sensum habere forensem

rensem clarè indicat locus Gen. 44: 16. ubi Judah excusationem non inveniens, מה-נצטדק *in quonam justos nos probabimus?* Idem de voce græca dicendum: δικαιόω quippe sumi sensu forensi apertum est, sanè, quando Sapientia ἐδικαιώθη Matth. 11: 19. Luc. 7: 35. id innuit, eam pro tali reputatam fuisse, sic ubi Filius ἐδικαιώθη 1. Tim. 3: 16. innuit, Eum ut talem declaratum fuisse; clarius hunc sensum postulat, ubi oppositum κατακδικαιόω contradistinguitur Matth. 12: 37. nec minus substantivum δικαίωσις Rom. 4: 25. quicquid sit de locis Rom. 6: 7. Apoc. 22: 11. [uti adjectivo δίκαιος & צדיק non præter sensum physicum etiam forensis semper tribuendus, uti Commentatores (sch. 2. §. 158.). Theologici plerumque faciunt, ubivis ad loca Scripturæ totos effundentes Locos communes, ut cum ratione & culpat OSTERWALD *Sources &c. to.* 2. p. m. 258. non observantes adeò regulas (§. 177--179.), quod idem etiam dicendum de vocibus ישועה חושיע & aliis] habentur alia integra loca, in quibus justificationis terminus circumscribitur, & notio ejus apertè elucidatur, v. g. Act. 13: 38. 39. PAULUS remissionem peccatorum & justificationem inter se commutat; clarè autem rem conficit in Ep. ad Rom., ubi doctrinam de justificatione prolixè tractat, præcipuè Cap. 4. ubi eam proponit per imputationem [adeòque sensu forensi] λογίζεσθαι δικαιοσύνην, λογίζεσθαι μισθὸν, μὴ λογίζεσθαι ἁμαρτίαν v. 2--10. porrò 8: 33. 34. ubi accusationem & condemnationem, qui sunt actus judiciales, forenses, contradistinguit justificationi ut itidem actui judiciali; atque ita significatus vocis hebr. & græcæ eruitur juxta regulas (§. 169. 171.); interim non statim, qui vocibus hebr. & græcis quibusdam locis alium assignat sensum, propterea ipsum justificastionis dogma negare dicendus esset; uti nec, qui voci justificationis ampliorem adhuc tribuit significatum, ideò rem, quam nos eâ denotamus, tollere putandus est.

Facta Christi respectu justificandorum.

1124. *Quòd si quidam justi debent declarari à Deo Judice, facta Christi debent haberi pro factis eorum, seu ac si ipsi ea commisissent:* cùm enim Christus justifi-

justificationem impetraverit ac meritus sit (§. 1120.) per facta sua, id est passiones & actiones suas (§. 947. 954), eaque adeò sint Ejus physicè propria (§. 797.), hinc Ipsi ùt Auctori immediatè adscribenda (§. 798.), consequenter eorum, qui justificantur, sint physicè aliena, hi si ob ea nihilominùs debent justi declarari, eò debent haberi, ac si ipsi illa commisissent: cùm aliàs nulla planè esset ratio (§. 4), cur ob ea possent declarari, quales in se non sunt (§. 837.).

Equidem priùs requiritur quoad eos, qui justificari debent, ut facta eorum, id est peccata, pro non factis habeantur, quâ consequens seu pœnam, per remissionem (§. 932. 943.), è contrà non-facta illorum, id est perfecta Legis Servatio (§. 722.), pro factis habeantur, verùm id jam tùnc fit ac includitur, ubi facta Christi habentur pro factis eorum. Hoc adeò utrumque non aliter fit nisi *æstimiò morali* [ùt dicitur] factum enim physicè & propriè infectum fieri nequit, uti nec τὸ infectum factum, ne quidem per omnipotentiam Divinam, nonnisi moraliter id fieri potest, uti monet Canzius *us. to.* 1. *Cap.* 10. §. 10, 11. æstimium hocce morale etiam quoad peccata [id est, ut ea moraliter infecta reddantur] jam reipsâ habetur (§. 943.).

1125. *Facta Christi igitur iis, qui justificandi sunt, debent imputari quidem imputatione actuali:* cùm enim facta Christi debeant haberi, ac si ipsi ea commisissent (§. 1124.), justificandi debent haberi, ac si essent auctores factorum illorum, pro auctore facti autem quendam declarare est ei id imputare (§. 801.), & quidem cùm ad consequens factorum illorum præcipuè respiciatur, id est liberationem à pœna, & præmium seu jus vitæ æternæ (§. 937. 955.), ùt notio justificationis secum fert (§. 1119.), imputatione actuali (§. 801.). *Iis sunt imputanda.*

Ut scil. & Christo peccata nostra fuerunt imputata (§. 935.). Factum nempe alienum si in bonum cedere debeat alicui, sine quòd nexus intercedat physicus, ipsi debet fieri moraliter proprium ac adscribi, is autem, cui factum adscribendum, per id est auctor ejus (§. 798.). Imputatio autem omnis nequit fieri nisi per syllogismum, monente CARPOVIO *de imput.* p. 8. ubi enim lex ad factum applicatur, habetur factum, tanquàm casus specialis, constituens minorem, lex, tanquam regula, propositionem majorem, & ipsa imputatio conclusionem; de huo nempe an & quomodo dici possit, quòd imputatio Ipsius fiat per syllogismum, intelligitur è (§. 241. & sch. ib.).

Hinc obedientia Christi. 1126. Quare cùm facta illa constituant obedientiam Christi (§. 947. 954.), *obedientia Christi justificandis debet imputari* (§. 1125.).

Sive autem dicatur, Christi obedientiam imputari debere, sive Ejus satisfactionem sive Ejus meritum, perinde est: siquidem obedientia illa satisfactionem & meritum secum ferebat (§. 952. 958. 959.).

Per & ob eorum consensum. 1127. Quum autem factum alienum nequeat cuidam imputari nisi per & ob consensum hujus sive in factum sive in ipsam imputationem (§. 803.), *consensus justificandorum præcedat oportet in facta Christi, aut eorum imputationem, si ea illis imputari debent.*

Consensus hinc in obedientiam Christi (§. 1126.). Nempe si cui quid imputatur, præsertim imputatione morali, id ejus fit moraliter proprium: siquidem inde effectum percipit, ac si ipse commisisset, jam verò factum alienum nequit fieri moraliter proprium nisi per consensum (§. 802.).

Quem fides præbet. 1128. *Per fidem præbetur consensus in obedientiam Christi:* etenim cùm fidei insit assensus, qui præbetur veritatibus tanquam rebus, quas homo quàm maximè ad se pertinere optat (§. 1091.), desiderium

rium Christi & quidem totius ac solius intensumque (§. 1112.), ac ad Eum quàm maximè refugiat ùt Sacerdotem (§. 1103.), eò ipsò voluit, ut Christus præstaret, quæ præstitit, id est obedientiam suam, qui verò ab altero quid præstari seu committi vult, is in id consentit (§. 764.).

Sch. 1. Id etiam patet, quia per fidem Christus recipitur ùt Caput repræsentativum (§. 1117.). Tantò magis fides præbet consensum in ipsam hujus obedientiæ imputationem: quippe illam desiderat eum in finem, ut felicitatem in ea inveniat (§. 1070.), hinc per illam sibi quid comparatum fuerit (§. 937. 955.), quod benè videt non posse fieri nisi per imputationem. Consensum ideò præbet in imputationem ipsum formatum (§. 764.), uti in obedientiam interpretandum, eò sensu, quòd credentes tunc, quum Christus obedientiam præstitit, actione physicâ consensum suum testatum facere non potuerint, utpote nondum physicè existentes, verum nonnisi moraliter seu futuri, interim ubi suò tempore in Mundo physicè existunt juxta seriem causarum (*Met.* §. 572.), consensum etiam formatum præbeant in obedientiam illam: natura fidei quippe talem secum fert (§. 1112. seq.).

Sch. 2. Fides consensum præbet in obedientiam Christi, etiam quòd consentiat in ea, quæ ex illa sequi debent, & Christus sequi voluit. Voluit nimirum Christus, quò ex obedientia sua sequeretur, ut haberet populum peculii, cujus esset Rex (sch. §. 454. §. 971.), jam Christus Rex est ejus vel respectù illius, qui Eum glorificat (§. 1105.), at fides studet Christum glorificare (§. 1092.). Consensus autem hic præbetur per fidem etiam solam, id est, ut nullò aliò modò id fieri possit: quippe consensus requirit actum Intellectûs & voluntatis, ut definitio ejus ostendit (§. 764.), nec aliter sibi constat, jam fides etiam secum fert actum Intellectûs voluntatisque (§. 1100.).

1129. Per fidem itaque homo *Coroll.* potest justificari nec aliò modò (§. 1127. 1128. & sch. 2. ib.). Rom. 3: 28. Gal. 2: 6.

Sch. 1. Patet id etiam ulteriùs, quià, cùm Christus obedientiam non pro se præstiterit, verùm pro aliis (§. 848. 861.), oportet præstiterit aut pro credentibus aut pro incredulis; non pro his: siquidem, uti jam monitum (sch. §. 1077.), non conveniens est invito beneficium impertiri, & si pro utrisque, tum Sapientia Divina inæquales æqualiter tractaret (ib. & §. 84.), ergo pro illis & quidem solis; unde ulteriùs patet, quod memoratum (sch. 1. §. 1118.). Etiam posset id probari, quia fides est conditio fœderis gratiæ (§. 993.), seu medium reportandi promissa hujus, quæ promissa autem constituunt justificationem (§. 992. coll. §. 1119.), nec non, quià ii solùm liberantur à pœna, qui in Testamento gratiæ hæredes sunt scripti (§. 460.), at ii solùm hæredes sunt scripti, qui fide gaudent (§. 435.): Testamentum quippe Dei ut decretum Ipsius est origo omnium (§. 410.), hinc in se anterius constitutionibus regni gratiæ, verùm respectu modi, quô cognosci potest, posterius, unde suprà (§. 435.) assumenda fuêre, quæ fœdus gratiæ exhibet; verùm ipsæ hæ duæ rationes, quare in fœdere ac Testamento gratiæ fides poscatur, nituntur aliquâ anteriori, objectivâ [siquidem Dei Sapientia talem postulat] (sch. §. 234.), quæ non est nisi desumta à convenientia rerum, natura consensûs; hìc adeò probatum datur, quod memoratum fuit (sch. 2. §. 993.); mediante fide ergo etiam bonum privatum cum publico conciliari potest (sch. 1. §. 846.).

Sch. 2. Solâ fide ideò homo justificari potest, licèt non solitariâ: cùm, ùt in seq. monebitur, & jam quodammodò patet è (§. 1092.), fides justificans comitata esse debeat variis conatibus, qui & forâs se ostendunt. Inde etiam, quia fides justificat, quoniam per eam consensus præbetur in obedientiam Christi, intelligitur, quid propriè sibi velint locutiones, *fides apprehendit justitiam Christi*, vel *est vinculum nos cum Christo colligans & inde participes reddens justitiæ Ipsius*, quas nemo negabit esse improprias (§. 172.): prior enim à manu desumta, posterior à ligamento, ob similitudinem, hinc metaphoricæ (sch. 3. ib.), comparatione appositâ, uti homo manu quid prehendens particeps fit ejus, & ligamentô etiam res prehendi potest, ita fides, dum consentit in obedientiam Christi

vel

vel justitiam Ipsius (§. 954.), hujus inde participem reddit, seu facit, ut habeatur pro obedientia propria (§. 1124.); ut non habeant Remonstr., quòd dicant, locutiones hasce, nisi benignè quis interpretetur, à manifesta absurditate liberari non posse, vid. Hoornbek *Socin. conf. to.* 2. p. 676. de locutionibus namque impropriis in genere id valet.

Sch. 3. Per fidem adeò homini obedientiam vel meritum Christi applicari posse & applicari dicendum esse quivis videt, qui tenet notionem τῆς applicare (sch. 1. §. 1003.), & quòd ex obedientia Christi imputanda (§. 1126.) resultet meritum (§. 952. 958.). Uti verò à priori ita ostenditur, per fidem hominem justificari, sic à posteriori exemplis idem ostenditur, & quidem cujusmodi Scriptura S. suppeditat, præcipuè Abrahami, Rom. 4: 3. ad cujus illustrationem faciunt, quæ Witsius *miscell. to.* 2. *exerc.* 23. §. 12. 17--26.

1130. Patet inde necessitas fidei absoluta. *Aliud.*

Atque ita demum perspicitur, quod memoratum fuit (sch. §. 1077.); ob hanc necessitatem etiam fides est conditio fœderis gratiæ (§. 993.), & comprehensa decretô de salute (§. 437. seq.), repetenda ideò animô dicta (sch. 1. §. 1129.); inde etiam, cur & quomodo fides salvet, hinc ad salutem requiratur, liquet, quo de Scriptura Luc. 7: 50. Joh. 6: 47. Rom. 10: 9. Eph. 2: 8. nempe quià sine ea obedientia Servatoris [unde jus vitæ æternæ (§. 955.), hinc salus] non posset imputari (§. 1127. 1128.).

1131. Cùm nonnisi per fidem homo justificetur (§. 1129.), fides verò præsupponat vocationem (§. 1010.) efficacem (§. 1073.), hinc pœnitentiam ob peccata (§. 1012. 1059.), seu resipiscentiam, præterea veniat è decreto electionis (§. 437.), patet, *nonnisi efficaciter vocatos, resipiscentes, ac electos justificari*, Rom. 8: 30. 33. *Justificandi quales esse debeant.*

Sch. 1. Inde & remissio peccatorum [adeòque justificatio] promittitur præcedente pœnitentiâ Luc. 24: 47. Act. 2: 38. Ita etiam perspicitur necessitas resipiscentiæ ac vocationis efficacis (§. 1130.), & omnium,

quæ ad vocationem efficacem requiruntur, quam in anteced. [materia de vocat. effic.] non ita stabilire potuimus, cùm principia, è quibus sequitur, nondum ibi suppetierint; perspicitur quoque, quòd talis fides sit salvifica, ut assumtum (sch. 2. §. 1093.): dum vocatio efficax secum fert conatum Deum in Christo glorificandi (§. 1041.).

Sch. 2. Qui justificantur, ingeminare necesse habent è Ps. 130: 3. 143: 2. adeòque in se sunt impii, de quibus (§. 820.), interim dum ita ingeminant, resipiscentes se ostendunt; unde, quô sensu PAULUS dicat impium justificari à Deo Rom. 4: 5. patet; inde etiam cùm resipiscentes nonnisi justificentur, apparet, quomodò sumendum sit illud AUGUSTINI *bona opera sequuntur justificatum, non præcedunt justificandum*, nimirùm ita, ut sub bonis illis operibus non simùl intelligatur resipiscentia: »alioqui dicendum esset [ut loquitur J. A. TURRETINUS *cogit. de var. Theol. Cap. §. 96.*] vel pœnitentiam non esse bonum Opus, vel »peccatorem, dum adhuc impœnitens est, veniam »peccatorum à Deo consequi, quorum utrumque non »absurdum modò sed & impium est. Quòd nonnisi electi justificentur, liquet etiam, quòd, dum justificatio dat jus ad vitam æternam (§. 1119.), ad hanc autem sit electio Eph. 1: 3. ideò talis quoque esse debeat ad justificationem.

Quomodo homo à Deo consideretur.

1132. Quandoquidem per fidem homo justificatur (§. 1129.), quoniam per eam consensum præbet in obedientiam Christi (§. 1128.), præterea justificatur resipiscens (§. 1131.), patet, *Deum Judicem sontem in se ùt sontem semper considerare, nec hominem peccatorem judicare, quod non sit peccator.*

Nempe dum justificatio fert liberationem à pœna (§. 1119.), ideò imputatio obedientiæ Christi non consistit in nuda declaratione pro auctore facti, verùm respicitur consequens ejus, nempe præmium (§. 801.), ubi verò nonnisi consequentis ratio habetur, ibi antecedentia & qui ea effecerunt, semper non aliter considerantur, ac in se sunt; imputatio hæcce proinde

proinde non adversatur veracitati Divinæ, conf. (§. 863. & sch.).

1133. Porro quoniam consensus fundat jus imputationis (§. 803.), inde *imputatio alienæ obedientiæ, quæ fit credentibus, non contrariatur Sapientiæ ac justitiæ Dei.* *Concordia cum perfectionibus Dei.*

Sch. 1. Recurrunt hîc dicta (§. 863. & sch.): à parte credentium enim res eadem est, quæ à parte Liberatoris [tantò magis, quòd imputatio hæc sit favorabilis non odiosa, hincque perfectionibus moralibus eò minùs repugnans censeri possit] siquidem substitutio hujus est fundamentum imputationis, quæ illis fit, vid. autem etiam CANZIUS *Jurispr. Th.* (§. 1066---1074.).

Sch. 2. Est verò imputatio obedientiæ Christi credentibus tertium & ultimum imputationis facti alieni exemplum in Theologia revelata occurrens, primum nempe est peccatum Adami posteris Ipsius (sch. 3. §. 807.), secundum est imputatio peccatorum nostrorum Christo facta (sch. 2. §. 935.); abit autem ultimum hocce exemplum in duos veluti ramos, scil. vel in imputationem passionum Christi ad liberationem à pœna (§. 942.), vel actionum Christi ad acquisitionem juris vitæ æternæ (§. 955.).

1134. Fides quià justificat, dum consensum præbet in obedientiam Christi (§. 1128. 1129.), patet, *quòd non ipsa propriè justificet, verùm obedientia Christi, in quam consensum præbet:* siquidem per id propriè homo justificatur, quod est causa meritoria ejus seu liberationis à pœna è contrà juris ad vitam æternam (§. 1119.), jam causa hæc est obedientia Christi (§. 652. 958.). *Causa justificationis.*

Τὸ δικαίωμα justificat (sch. 1. §. 1120.), non verò id, quod illud sibi applicat: siquidem id est propter prius; fides adeò non est nisi medium apprehensivum obedientiæ vel justitiæ Christi (sch. 2. §. 1129.), conditio sine qua non justificationis, ut ea in se considerata hominem non justum faciat, verùm justificationis ante-

cedenter jam existentis ac impetratæ participem reddat; uti pauper munus oblatum manu accipiens non datur extensione manûs verùm nonnisi munere acceptô, & infans lac sugens non nutritur suctu in se considerato, verùm lacte, interim & in illo exemplo extensio manûs & in hoc suctus omnino requiruntur, quæ si applicentur ad propositum, rem claram reddent; inde &, quô sensu fides possit dici hominem salvare loc. cit. (sch. §. 1130.), intelligitur, nimirùm receptivè & organicè, uti sæpè effectus causæ principalis tribuitur instrumento, v. g. aratrum ditare dicitur colonum, manus dantis locupletare pauperem, [quam ob rationem & imputari in vel ad justitiam dicitur Rom. 4: 3. 5.] huc facerent verba LAMPII *to.* 1. p. 453. 454. quæ apud Ipsum legantur.

Fides quomodo non acceptetur.

1135. Inde & apparet, *quòd Deus fidem neutiquam habeat aut acceptet pro plenaria satisfactione, & quòd prorsus non possit esse causa justificationis meritoria:* quòd si enim illud deberet esse, Deum oporteret aut veracitatem aut justitiam seponere: siquidem res non sibi repræsentaret, quales in se sunt, aut non æqualia pro æqualibus postularet ac rependeret, dum parte acquiesceret pro toto, at neutrum cogitari potest (§. 48. 84. 245. 313. 314.), prætereà Deus hominem in negotio justificationis in se semper ùt peccatorem considerat (§. 1132.); quòd si hoc deberet esse, duplex esset causa justificationis meritoria, nempe obedientia Christi (§. 1120.), & fides, quod autem itidem justitiæ Divinæ repugnaret ac Sapientiæ (§. 269. 314.), fides etiam dum seipsam abnegat (§. 1087.), adeòque supplex & humiliter ad Christum confugit (§. 1074.), longè abest à causa meritoria.

Sch. 1. Pauper enim manum extendens ad munus oblatum accipiendum num id ullô modô mereri dici potest?

test! Uti quoad Christum in obedientia Ipsius nulla habet locum acceptilatio (§. 951.), ita nec quoad hominem justificandum, fides semper nonnisi conditio manet sine qua non, per quam meritum Christi applicatur; uti in humanis quando Rex rebellibus gratiam facere vult, ad id commotus intercessione Filii, hâc tamen conditione, ut eum adeant, coram eo se prosternant, hanc conditionem non aliter accipere censeri potest, quàm quâtenus delinquentes per eam intercessionem Filii accipiunt, & Rex eos non ob præstationem conditionis verùm intercessionem Filii in gratiam recipere.

Sch. 2. Socinian. doctrinam de justificatione non posse non pervertere clarum est: cùm enim causam ejus meritoriam tollant nempe obedientiam Christi (§. 1120.) locô nostrô præstitam (§. 927.), ideò per fidem hominem justificari non possunt non statuere aliô modô, quàm quôd Deus eam pro plenaria justitia accepter, fragilitati namque humanæ Ipsum tantum concessisse, ut pro perfectè justis reputet, qui tamen non sint; quæ quomodo refutanda, quænam item eorum sint πρῶτα ψεῦδη, ex iis, quæ in materia de Sacerdotio Christi dicta, repeti possunt; cum iis faciunt Socino-Remonstr.; quòd si verò è Remonstr. ii, qui intra quinque illos articulos subsistunt [de quibus in compendio Spanhemius *elench. controv.* p. m. 246--459.] & fidem à Deo pro justitia acceptari dicunt, id intelligerent respectu nostri, seu quoad nos esse acceptationem, dum solutionem ipsi non præstamus, quam justitia Divina postulat, interim Christus præstiterit, per fidem dein nobis applicandam, admitti posset, aliter autem minimè; unde & patet, an & quomodo admitti possit [quod Arminius dixit] Christum meritum esse, ut fides in justitiam imputari possit, seu Deus eam habere velit pro justitia: nimirùm si solùm teneatur, quòd fides consensum præbeat in obedientiam Christi (§. 1128. 1134.), causam justificationis meritoriam (§. 1120.), omnia plana erunt.

1136. Apparet ex hisce, *quòd, etsi homo resipiscens justificetur* (§. 1131.), *tamen id non fiat ob motus bonos ac dispositiones prævias, adeòque homo per* *Justificatio non ex operibus.*

opera non justificetur: ubi enim nonnisi per fidem, quâtenus consensum præbet in obedientiam Christi, justificatio locum habet (§. 1128. 1129.), ibi eô ipsô motus boni ac opera excluduntur, ut nequidem ùt medium considerari debeant ac possint, minùs ùt causa, consequenter per aut ob ea justificatio non obtingat, Rom. 3: 28. 4: 6. Gal. 2: 16.

Sch. 1. Juvat autem hìc Apostoli mentem paululum inquirere ac discutere, quò dissentientium opinioni ac explicationi præstruatur; per Opera Legis nempe PAULUS intelligit omnia κατορθώματα è Legis præscripto præstita, sive sint officia moralia (§. 81.), ἔργα, τὰ ἐν δικαιοσύνῃ Tit. 3: 5. sive injuncta Lege ceremoniali, præsertim si fiant cum opinione jus vitæ inde consequendi; non possunt per ea intelligi Opera ante conversionem, sine fide è propriis præstita viribus: in antithesi enim justitiæ legalis & evangelicæ PAULUS excludit quælibet Opera, adeòque & spiritualiter bona (§. 598.), siquidem justitiam deducit è fide in Christum Rom. 10: 4. 6. 11. Gal. 3: 10. 11. nullô etiam fundamentô id, ubi Abrahamus dicitur non habere, quò glorietur, cùm operibus justus non sit, Rom. 4: 2. ad externam restringitur virtutum speciem; nec etiam possunt denotare perfectam Legis moralis servationem: quippe non hic erat status controversiæ, utrùm per talem quis possit justificari servationem, siquidem de hoc nemo dubitabat, hinc PAULUS inculcare necesse non habuit, nec, utrum talem quis præstare possit: cùm contrarium apud omnes apertum esset, verùm controversia erat, num Judæi eâ Legis servatione, quam præstare valerent, justificari etiam possent, legem scil. moralem pro virili observando, pro delictis verò per præstationes ceremoniales satisfaciendo; ut Opera Legis non aliud notent nisi quod lex operum postulat, seu illam regulam, quæ Opera virtutis ac Religionis exigebat, Lev. 18: 5. Deut. 27: 26. Rom. 10: 5. uti hæc suppeditat WITSIUS *Miscell. to.* 2. *exerc.* 23. §. 7. 8. 10. 11. 16. tantò minus PAULUS potest intelligi de operibus nonnisi perfectis [ùt Socin. vellent] quià cùm in anteced. Capit. stabiliverit

liverit totalem hominum corruptionem, adeòque everterit Opera perfecta, in seq. materiam de justificatione aggrediens non potuit supponere talia Opera, uti observat Hoornbeck *Socin. conf. to.* 2. p. 697. Judæi etiam non sola Opera perfecta pro justitia venditabant, verum quævis Opera bona; magis vanum est, quod objiciunt, locis Scripturæ, quæ de justificatione sine operibus loquuntur, rejici tantùm meritum operum: ubi enim levissimum indicium, à Paulo nonnisi meritum Operum impugnari?

Sch. 2. Interim tamen cùm Fides secum ferat conatum Deum per Christum glorificandi (§. 1092.), qui dein non potest non forâs erumpere, ideò, etsi motus boni [timor, spes, dilectio, pœnitentia, novæ vitæ propositum] ac Opera non concurrant ad justificationem; tamen adsunt in ea, seu in homine justificando, externa Opera saltem per conatum & potentialiter; virtutes sanè illæ fidei sunt junctæ, fides iis est comitata & quasi stipata, ut separatim ab iis in justificatione non sit; ut etsi *sola* justificet fides, tamen *non solitaria*, uti v. g. solus oculus in corpore videt, interim non revulsus à reliquis partibus, sicut & istiusmodi plurima alia sunt, quæ efficaciam quandam propriam habent, interim eam perdunt, si ab adjunctis suis sejungantur, ita pulmones respirare possunt, interim non separati à partibus circumjacentibus, uti hæc monet Turretinus *Theol. Elencht. Loc.* 16. Q. 8. Fides interim, quia principium est virtutum ac bonorum operum, ideò his prior est, ut, dum illa justificat, hinc sine operibus homo justificetur, interim prioritas hæc non tam est temporis quam naturæ, ut hinc etsi conditionis vicem nunquam habeant in justificatione, tamen eorum necessitas semper maneat, nec ullô modô studium bonorum operum, quæ in se sunt fructus & consequentia justificationis, labefactetur per justificationem è sola fide, vid. Hoornbeck *Socin. conf. to.* 2. p. 679. 680. tantò minùs, quod homo conscius ac certus esse possit justificationis suæ per motus illos bonos ac Opera, etiam apud alios se ut talem probare. Atque hæc si teneantur, negotium non facessent loca Scripturæ, quæ pro operibus loquuntur, qualia præter alia sunt Luc. 7: 47. 1. Joh. 3: 14. & præcipuè Jac. 2: 24. ut specialiùs ea excutere ac vindi-

vindicare necesse non sit, vid. autem quoad ultimum præter alios BUDDEUS *Theol. dogm.* p. 1027. seq.

Verùm è gratia. 1137. Quoniam itaque homo neutiquàm justificatur per Opera (§. 1136.), sed nonnisi per fidem, quæ tamen prorsus non est causa meritoria (§. 1129. 1135.), præterea gratiâ Dei producitur (§. 1021. coll. 1073.), patet, *eum justificari gratis, è pura Dei gratia*, Rom. 3:24. 4:16. 5:15. 21. 11:6. Eph. 2:8. 9. siquidem & id, unde justificatio, è gratia profluxit, nimirùm satisfactio Christi (§. 970.), & designatio justificandorum (§. 460. coll. 1131.).

Sch. 1. *Gratis* nempe quid alicui fieri dicitur, quando ad id, ut sequatur, nil confert, nec aliquid rependit, unde quod ita erga quendam fit, è bonitate adeòque gratia (sch. §. 312.) procedit, jam verò homo nil confert propriè ad justificationem, dum in eo, quod ad eam requiritur, scil. obedientia propria (§. 854.), deficit (§. 820.), ut fides apud alium auxilium quærat (§. 1074.), præterea si quid rependere dici posset, id defectuosum esset [ob sanctitatis nempe imperfectionem, qua de infra] insuper ipsam gratiam fontem agnosceret (§. 1021. 1041.); ut justificatio rectè dicatur *gratuita*, ac audiat *gratia justificationis*, nimirùm respectu hominis, nam respectu Christi non est gratia, quoniam illam est meritus (§. 1120.); conf. autem etiam, quæ HUBERUS *diff. Jurid. Theol. exerc. 7. sect. 6.* præcipuè §. 4--6. Unde perfacile occurritur Socin. objectioni, quâ obtendunt, justificationem non posse esse gratuitam, si satisfactio & meritum præcedant &c. hi etiam illud δωρεὰν τῇ ἐκείνου χάριτι Rom. 3:24. interpretantur, sine ulla prævia satisfactione, adeòque & gratis respectu Christi, cujus πρῶτα πάσχειν intelliguntur è dictis (sch. §. 868. & sch. §. 927.).

Sch. 2. Gratia Dei adeò est *causa impulsiva interna justificationis*, obedientia Christi [quæ *materia justificationis* appellari posset] *causa impulsiva externa*, item *causa meritoria* (§. 1120.), fides est *causa instrumentalis*,

lis, vel *medium apprehensivum* (sch. 2. §. 1129. sch. §. 1134.), causalitas nempe intelligenda est non propriè talis: siquidem alibi auxilium quærit (§. 1074.), hinc nec medium propriè tale (*Met.* §. 912.); *objectum justificationis* sunt credentes, respicientes, efficaciter vocati, electi (§. 1129. 1131.). Quòd si jam, quæ (§. præs. & sch. 1.) dicta, teneantur, perspicitur: tum quòd non valeret objectio, quâ quis diceret, justificationem non posse adscribi meræ Dei gratiæ, cùm consensus per fidem fundet jus imputationis (§. 803. 1128. 1129.): nam ut jus locum invenire, vel Deus cum ratione hominem justificare posset, ab ipsa Ejus provenit gratia; tum, quòd, etsi omnia tribuantur gratiæ Dei (sch. 1.), & nil propriæ justitiæ, tamen studium pietatis minimè labefactetur, cons. (sch. 2. §. 1136.); homines carnales (sch. §. 780.) autem quomodo doctrinâ illâ abutantur, graviter conqueritur Ostervald *sources to.* 1. p. 100--103.

Sch. 3. Atque hanc de justificatione è gratia doctrinam Paulus plenâ manu effundit (sch. 1. §. 134.) in Epist. ad Rom. Cap. 3--5. præcipuè; omnia, quæ inibi Apostolus, redeunt ad tres articulos: nimirùm 1. justificationem homini obtingere è mera Dei gratia, sine intuitu ad qualiacunque ipsius bona Opera, sine ulla in ipso causa meritoria; 2. è contrâ meritoriam reconciliationis cum Deo causam esse obedientiam vel justitiam Christi; 3. hanc Christi obedientiam fieri nostram, ubi fide accipiatur; vid., qui hæc ex instituto discutit, Witsius *miscell. S. to.* 2. *exerc.* 23. quæ est *de mente Pauli in negotio justificat.* mens Apostoli autem ùt & reliqua N. T. loca, in quibus de justificatione, multùm elucidantur, ubi animadvertitur, quænam in Ecclesia Apostol. circa eam doctrinam viguerint controversiæ, nec non quid tam gentiles quàm Judæi quoad justificationem senserint. Controversiæ illæ Apostolorum ævò principales erant, num 1. qui è Judæis ad Christum conversi, adhuc ad legem ceremonialem observandam teneantur, qua de re Paulus Rom. 14: tot. qui affirmabant autem nolebant tamen ad justificationem id necesse esse, Act. 13: 38. 39. 2. an, qui è Gentibus conversi, teneantur ad legem Mosaicam, quæ decisa in Concilio Hierosolymit. Act. 15: 10. seq. 3. num lex ceremonialis sit

servan-

servanda non modò è reverentia quadam, debita antiquis institutis, sed & ad comparandam justificationem, quam litem movebant Pseud-Apostoli, vid. 2. Cor. 11:13. Gal. 1:6.7. 2:4.5. 5:10.12. Phil. 3:2. clarius hæc idem WITSIUS *exerc.* 22. *de controvers. Eccles. Apost. circa justificat.* Quoad Judæos, ii peccatorum remissionem impetrari credebant & adhucdum credunt, pœnitentiâ, speciatim eleemosynâ, precibus, mutatione nominis, afflictionibus, circumcisione, lotionibus, sacrificiis, præcipuè Sacris diei expiationis, tandem plenè morte; jus vitæ æternæ è contrà impetrari meritô operum præcipuè exactâ Legis ceremonialis observatione, licèt Deum intuitu mercedis colendum esse nolint; vid. Idem *exerc.* 21. quæ est *de Theologia Judæorum quoad justificationem.* Tandem gentiles quod attinet, hi veniam criminum sibi promittebant mediante pœnitentiâ, præsertim si junxerint deprecationes, magnam porro tribuebant vim lustrationibus, majorem sacrificiis expiatoriis, aliquando ex ipsis hominibus, de quibus omnibus quædam (sch. 1. 2. §. 92. sch. 3. §. 929. sch. 1. §. 936. sch. 3. §. 939. sch. §. 943.); certius autem rem perfici credebant purgationibus post hanc vitam; ex instituto hæc laudatus WITSIUS *exerc.* 20. quæ est *de Theologia Gentilium quoad justificationem.*

Imputatio justitiæ Christi. 1138. Quando cui jus vitæ æternæ adjudicatur, id dicitur, *justitiam ipsi imputari*, cùm jam jus vitæ æternæ adjudicetur credentibus (§. 1129.), ob perfectam Legis servationem à Christo pro nobis præstitam (§. 955. 958.), seu justitiam Ipsius (§. 954.), *rectè dicitur*, *justitiam Christi nobis imputari.*

Sch. 1. Nemo non videt, justitiam, de qua hîc, esse Christi, quâ θεανθρώπου (§. 855. 879. 880. seq. 954.); [quæ est illa צדק עולמים Dan. 9:24. & conjungitur cum כפר עון ibid.] non autem quâ Dei, seu, quæ Ipsi essentialis (§. 113. & sch. 1. §. 316.), quod posterius affirmavit ANDR. OSIANDER, & etiam impugnat CALVINUS *Instit. Lib. 3. Cap. 11. §. 5--12.*

Impu-

Imputatio illa clarè satis habetur Rom. 5: 5--19, quem locum Socinus fatetur omnium maximè occasionem dedisse sententiæ nostræ, vid. Hoornbeck *Socin. conf. to.* 2. p. 703. præterea tota nostra justitia Christo adscribitur, ideò dicitur יהוה צדקנו Jer. 23: 6. 33: 16. factus nobis justitia 1. Cor. 1: 10. traditus propter transgressiones nostras & suscitatus διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν Rom. 4: 15. pro nobis factus peccatum, ut nos fieremus justitia Dei in Ipso, 2. Cor. 5: 21. dicimur habere justitiam, non illam ex Lege, verùm è fide in Christum, Phil. 3: 9. quæ loca vindicare brevitatis studiò omittimus, tantò magis, quòd, ubi loca, quæ in materia de Sacerdotio Christi substitutionem Ipsius indicant, vindicata fuerint, illa simùl vindicata censeri possint: siquidem justificatio, imputatio obedientiæ Christi per se fluit è substitutione vel Sacerdotio Ipsius, præterea ubi explicatio realis data per possibilitatem dogmatis analogiam fidei, sensus locorum Scripturæ tùm simùl contrà adversarios vindicatur, (vid. §. 194. & sch. 1. ib.), ideò animò hic recolenda, quæ stabilita Locò VIII. (§. 847. 848. 863. 868. 924. seq.); vid. interim ad ea loca Hoornbek, l. cit. & p. 699. 700.

Sch. 2. Justitiam nempe cuidam imputare cùm dicat jus vitæ adjudicare, quod includit liberationem à pœna, ideò idem est ac justificare; cùm jam justificemur propter obedientiam Christi (§. 1134.), seu meritum Ipsius (sch. §. 1126.), hinc justitiam (§. 954.), dum mediante fide imputatur (§. 1134. & sch. 2. §. 1137.), justitia nobis imputatur, seu justificamur ob justitiam Christi, id autem aliâs dicitur, justitiam Christi nobis imputari; nimirùm Protestantes tenent, non tantùm simpliciter justitiam nobis imputari, verùm cùm Christus locò nostrò præstiterit, quæ præstitit (§. 926. 953. & sch. 2. ib.), ideò justitiam Christi nobis imputari, quâtenus à Deo Judice censemur præstitisse, quæ Christus præstitit, seu facta Hujus pro nostris habentur (§. 1124.); ideò hoc esset in sensum tautologicum datâ operâ rapere hancce doctrinam, si diceretur, quod à Remonstrantibus fit, justitiam Christi nobis imputari propter justitiam Christi: nam justitia nobis imputatur, seu justi reputamur, ob justitiam Christi, quod aliâs dicitur, justitiam Christi

nobis

nobis imputari. Ex hisce etiam videre est, quòd, etsi phrasis hæc in Scriptura non extet, tamen res inibi inveniatur, ut non habeant Armin. [quod & Socin. faciunt, vid. *Apologia equitis Poloni* in *Opp.* COCCEI *to.* 7. p. m. 133.] cur phrasin eam, quia non sit ἔγγραφος, ferre nolint, nisi [præsertim posteriores] rem ipsam non ferrent; uti & pariter frivolum est, quod objiciunt, alterutrum superfluum esse, aut satisfactionem Christi pro peccatis nostris, aut justitiam; quæ verò quodammodo præoccupata (sch. 2. §. 854. sch. 1. §. 953.), vid. autem HOORNBEK, ubi modò, p. 692.

Sch. 3. Atque hæc ut & aliâs dicta si teneantur, Socin. argutiæ facilè refelluntur; obtendunt nimirùm, imputationem alienæ Sponsoris justitiæ defendi non posse: cùm nonnisi tribus modis aliquid imputari possit, nempe 1. ubi quid, verè non habeamus, ita justitiam peccatori imputari; 2. ubi quid habeamus, sed alium in finem imputetur, quàm ut habeamus, ita peccata imputari, at non ut habeantur, verùm ut puniantur; 3. quandò, quod habetur, in aliam rem imputetur, quam reverâ est, uti fides imputetur in justitiam. Jam primô modô justitiam Christi non posse dici imputari, eò quòd satisfactionem Ipsius jam ante imputationem habeamus, & si non haberemus, ne quidem esset: at luditur voce *habere*, notat enim hæc, vel quid pro nobis præstitum, vel id jam amplicatum esse, ut actu eô frui possimus, ita hæreditas alicui legata est, etsi nondum eâ actu fruatur, oportet nonnisi distinguere inter impetrationem & applicationem; non secundô: quoniam ea, quæ quis jam habeat, & ei in aliquem finem imputentur, ejus sint generis, ut finem eum ac effectum non necessariò habeant: quasi verò id notionem ingrediatur imputationis, ut effectus ac finis ex imputatione fluens non necessariò inde fluat? namque imputatio omnis fit per syllogismum (sch. §. 1125.), jam verò in syllogismo est necessaria connexio præmissas inter & conclusionem; non tertiô: quià, ubi quid pro alia re imputari dicitur, id tale debeat esse, ut non sit ista res, nec eam contineat, jam autem satisfactionem Christi esse justitiam ac eam reverâ continere; at id frivolum: siquidem satisfactio illa est

ipsa

ipsa justitia nostra, quâtenus imputatur, nec continet justitiam alicujus, nisi ubi huic imputatur, imputatur nobis, ut nostra fiat, & nostra sit, ut eâ absolvamur; tacemus alia, vid. autem Hoornbek cit. p. 686--689.

Commutatio in justificatione.

1139. Ubi factum alterius cuidam imputatur, & huic factum prioris, ibi fit *commutatio*, cùm jam Christo imputata fuerint peccata credentium (§. 935. coll. 962.), & credentibus facta Christi (§. 1124. coll. 1129.), sequitur, commutationem factam esse quoad facta Christi & credentium, & cùm id justificatio secum ferat (§. 1124, & sch. ib. §. 1125.), *in negotio justificationis commutatio locum habet.*

Commutatio non potest non locum habere, ubi debita unius alter solvere in se suscipit, at verò Christus id fecit, Ps. 69: 5. vid. loca cit. (sch. 1. §. 861.), nec non quæ ad probandam תמורה allata (sch. 2. §. 929. sch. 2. §. 949.), in victimarum immolatione nempe non solùm peccata in victimam transferebantur, verùm dein ad eum, qui immolari curabat, virtus sacrificii redundare censebatur, ut in sacrificiis [quod monet Langius *id syst. Apost.* p. 173. 191.] fuerit imputatio reciproca. Ob commutationem illam credentes dicuntur cum Christo crucifixi Gal. 2: 20. clarè autem eam Paulus indigitat 2. Cor. 5: 21. vocibus enim τὸν γὰρ μὴ γνόντα ἁμαρτίαν ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν, indicat, quomodo Christus cum peccatore sit commutatus, dum hujus peccata Ipsi imputata, vocibus autem ἵνα ἡμεῖς γινώμεθα δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν αὐτῷ, indicat, quomodo peccator cum Christo fuerit commutatus, dum ipsi in bonum cedit, quod Hic præstitit; commutatio hæc tantò magis locum habet, quià communio illa intercedit inter Christum & eos, pro quibus satisfecit (§. 1118. & sch. 2. ib.); ita etiam Turretinus *Theol. Elencht. L. 16. Q. 3. §. 5.* dicit, bona Christi in nos transferri communionem inter Illum ac nos, quæ sit tùm *naturæ* per incarnationem, tùm *gratiæ* per vadimonium, conf. (sch. 3. §. 935.).

Omnes à Deo judicandi. 1140. Quum Deus sit Judex in negotio justificationis (§. 1122. & sch. 1. ib.), justificatio autem præsupponat peccata (§. 1119.), & horum nullus homo sit immunis (§. 82. 820.) justificatio prætereà, cùm præsupponat satisfactionem Christi (§. 1124. seq.), etiam præsupponat justitiam Dei (§. 856.), quæ dispensare nequit (§. 316. & sch. 1. ib.), ideò *omnes homines à Deo, Judice judicabuntur*, seu *coram Eo comparere debent:* siquidem Hic est supremus omnium ac absolutus Dominus (§. 576.), & lex, quæ violata est, omnes omnino homines obligat (§. 56. 75. 78.).

Comparere nempe debent tam statim post mortem Heb. 9: 27. quàm olim in judicio ultimo, 2. Cor. 5: 10. 11. vid. etiam Rom. 2: 5 – 16.

Accusatores quinam. 1141. Qui indicat, aliquem pœnâ dignum esse adeòque *condemnabilem*, aut fundamentum suppeditat condemnationis, alterum *accusare* dicitur, cùm jam omniscientia Judici indicet (§. 240. 262.), omnes homines in se pœnâ esse dignos (§. 1132.), justitia Ejus id confirmet (§. 315.), lexque cum hac fundamentum ponat condemnationis (ib. sch. 1.), conscientia propria hisce adstipuletur (§. 82. 836.), *omniscientia Dei, justitia Ipsius & lex cum conscientia propria hominem accusant.*

Condemnari nempe [ne notione tantùm clarâ simus contenti] (*Log. C.* 1. §. 9.) est pœnâ dignum pronuntiari à Judice, quod adeò dicit imputationem actualem odiosam; & qui in humanis Judici notum facit quendam tanquam auctorem facti mali, cum quo lex connecti vult pœnam, est *accusator*; unde accusatio dicit applicationem Legis ad factum, verùm nondum quâ consequens, seu actualem: quippe quæ Judici relin-

relinquitur (sch. §. 860.), eâpropter lex impropriè accusatores hi propriè sumi non possunt : quod ipsa Ejus omniscientia indicat, quæ inter accusatores quoque ponitur ; quoad accusationem Legis, huc pertinet Joh. 5: 45. ubi Christus Judæis, *unum* esse, qui ipsos *accuset*, scil. *Mosen* ; item 1. Cor. 15: 56. ubi Paulus δύναμιν τῆς ἁμαρτίας dicit esse legem. Accusatoribus illis etiam accedit diabolus: de hoc quippe non solùm Zach. 3: 1. quòd ad dextram Josuæ S. Sacerdotis steterit ei resistens, verùm Apoc. 12: 9. 10. quòd sit accusator fratrum ipsos accusans coram Deo diu noctuque. Sunt Viri pietate & doctrinâ præstantes, qui septem testes peccatorum nostrorum [adeòque & accusatores: siquidem accusator & testis est] coram Deo Judice concipiunt ac reperiunt, nempe 1. omniscientiam Divinam, 2. legem Divinam, 3. angelos; 4. propriam conscientiam ; 5. ipsorum peccatorum attrocitatem; 6. homines, coram quibus commissa; 7. diabolum; ita Huldricus *passional. to.* 2. p. 243.

Omnes condemnabiles.

1142. Quare cùm omnes homines peccaverint (§. 820.), hinc rei sint (§. 784.), etiam *omnes à Deo Judice condemnari possent.*

Interim unus magis condemnabilis est altero [ut res ipsa docet] ob diversam peccatorum gravitatem, multitudinem & alias rationes, conf. (sch. §. 820. & sch. 2. §. 833.); etiam credentes condemnabiles sunt, in se nempe considerati, sine respectu ad Sponsorem, in quo repræsentantur (sch. §. 863. §. 963.), totus Mundus Deo ὑπόδικος Rom. 3: 19. vel Deo Creditori omnes ob debita obnoxii, vid. (sch. 1. §. 861. sch. 3. §. 948.).

Ad intercessionem autem Sponsoris Judex credentes absolvit à pœna : cùm enim Christus pro credentibus intercedat (§. 960. coll. 964.), & intercessio Ipsius semper effectum sortiatur (§. 966.), Judex iis, pro quibus Sponsor intercedit, confert id, quod Hic satisfactione suâ;

Judex quosnam & quare absolvat.

quâ intercessio nititur (§. 964.), impetravit, nempe liberationem à pœna (§. 942.), tantò magis, quòd satisfactionem hanc illis imputare possit, quia consensum in eam præbent per fidem (§. 1128. 1129.).

Nempe non solùm absolvit à pœna, verùm præterea adjudicat vitam æternam: quippe & huc tendit intercessio Sponsoris (§. 964.), ac, quâ nititur, satisfactio (§. 955. 959.); nonnisi absolutionis à pœna mentionem fecimus, quia antecedentia ita secum ferebant. Vi hujus absolutionis à pœna credentes lætabundi sibi applicare possunt illud Es. 54: 17. scil. quòd linguæ accusatrices (§. 1141.) nil efficiant; ita ut non amplius sit, qui ipsos in jus vocare possit, causam habere actionis coram Judice contra eos instituendæ (בעל משפט vel בעל דין) cui competat τὸ ἐγκαλεῖν Rom. 8: 33. Indigitatur absolutio illa per ψῆφον λευκὴν Apoc. 2: 17. calculorum nempe usus apud Veteres etiam quàm maximè in suffragiis ferendis pro reis, albarum (qui solidi, in urnam æneam immittendi) ad absolvendum, nigrorum autem (qui perforati, in urnam ligneam conjiciendi) ad condemnandum, inde locutiones, de Judicibus, φέρειν & δοῦναι ψῆφον, de reo λαβεῖν ψῆφος, ita ut locus hicce de futura sit sumendus vita, vid., qui prolixè de eo ac eruditè Dresigus *diss. de usu calculi, alborum apud Veteres*, Lipsi. 1731. Est liberatio ea à pœna aggratiatio: siquidem per illam acclamatur quasi peccatori, gratia ipsi fiat. Peccator adeò dum per fidem, quæ justitiam Christi apprehendit, tutus præstatur præ accusatoribus illis (sch. §. 1141.), hostibus, & hinc fides eundem ipsi præstat usum, quem scutum homini in prælio coram hoste constituto, ideò fides analogicè benè potest appellari scutum uti & ob alias rationes Eph. 6: 16. in quem locum vid. Lydius *Agonist. S. Cap.* 10. & qui eum additamentis Theologicis ac Philolog. Belgice locupletavit, Auctor Doctissimus *van* Halen. Per aggratiationem illam & bonum privatum cum publico conciliatur (sch. 1. §. 846.).

Quid inde. 1144. Pœnæ itaque ad intercessionem Christi pro credentibus omnes abolentur,

tur, & peccata eorum pro non factis habentur, seu moraliter annihilantur (§. 942. 943.).

Sch. 1. Moraliter, seu æstimiô morali (sch. §. 1124.). Remissio hæc peccatorum plenaria [desumta à remissione debitorum, quæ annô jubilæô obtineat Deut. 15: 2. & benè quadrat, ubi peccata ut debita considerantur] (sch. 1. §. 861. sch. 3. §. 948.), exprimitur v. g. per tegere illa Ps. 32: 1. delere, expungere 51: 11. Act. 3: 19. Col. 2: 14. delere sicut nubem Es. 44: 22. [similitudine à sole desumtâ nubes dissipante, ut non amplius quid nos separet à luce solis: peccata enim sunt מבדילים Deum inter ac nos Es. 59: 2. vid. ad ea loca Cel. Vitringa] post tergum projicere Es. 38: 17. [cujus oppositum היה נגד יהוה Ps. 109: 15.] vid. iterum Vitringa; in profundum maris mergere Mich. 7: 19. eorum non recordari Es. 43: 25. Jer. 31: 34. dealbare ad instar nivis Ps. 51: 9. Es. 1: 18. ad cujus illustrationem quædam Schlichter *diss. de nive* præcipuè *sect.* 2. §. 2. ad instar lanæ, ib. Es. 1: 18. quo de quædam Bochartus *Hieroz.* P. I. p. 475. 656. P. II. 624. huc & pertinet illud תחטאני באזוב Ps. 51: 9. ubi lustratio indigitatur, & ad quem locum Dassovius *diss. de lustrat. hebr.*

Sch. 2. Justificatio adeò tendit ad abolendum reatum peccati (§. 784.), non verò proximè & per se ad abolendam corruptionem originalem (§. 812.), nisi quâtenus mediante priore fit, interim non perfectè [ut infra vid., ubi de sanctitatis imperfectione] sicut è contrà prius fit perfectè; quâpropter Pontificii notionem justificationis pervertunt, dum non solùm eam quoque ad eluendam maculam peccati extendunt [sit enim hoc nil nisi significatum voci ampliorem tribuere, ut tamen imputatio obedientiæ Christi maneat, tamen justificatio & sanctificatio ita confunduntur, saltem Bossuetus nimis siccô pede ac festinanter doctrinam de justificatione percurrit *doctr. Cathol. expos. Cap.* 6.] verùm præterea pœnam non omnem aboleri seu remitti volunt, nimirùm non temporalem, sive in hac sive futura vita luendam, ut ita satisfactionibus humanis (quæ sunt operationes exteriores laboriosæ sive pœnales voluntariè susceptæ ad puniendum pec-

catum à se commissum & ad placandam Divinam offensam] hinc indulgentiis & purgatorio, rebus, quæ magnum trahunt momentum, fundamentum sternant; in hunc finem contendentes, culpam non autem pœnam remitti omnem; verùm ubi non culpa, ibi nec pœna; siquidem ob disconvenientiam cum Lege, quæ est in culpa (§. 831. 832.), demum imputatio ad pœnam, conf. (§. 782. 834.); ut reatu culpæ sublatô pœna simûl tollatur: cùm ille sit obligatio ad pœnam (§. 784.). De pœnis autem, quas Deus exigat ob peccata, vid. contra Pontificios DALLÆUS *de pœn. & satisf. hum. Lib.* 1. ubi objectiones diluit; *Lib.* 2. ubi argumenta confutantia adducit; *Lib.* 4. tot. ubi Veterum Ecclesiæ Doctorum sententias doctè excutit; satisfactiones idem profligat *Lib.* 3. inde, quòd nullus homo pro peccato valeat satisfacere, à sacrificiorum V. T. typica ratione, è satisfactione Christi, quòd perpessionum fidelibus obvenientium longè alia sit ratio, *Cap.* 14--17. satisfactiones proprias, quòd Christus iis, quibus peccata remisit, nunquam legatur ullam imposuisse satisfactionem *Cap.* 18. aliorum pro aliis ex eo, quòd nemo fidelium pro nobis sit passus 1. Cor. 9: 15. quòd unusquisque onus suum sit portaturus Gal. 6: 6. secundum suum laborem sit remunerandus 1. Cor. 3: 8. & alia *Cap.* 19--21. objectiones diluit *Lib.* 3. *Cap.* 2--13. præcipuè ad loca Prov. 16: 6. Dan. 4: 24. Col. 1: 24. prolixe *Cap.* 2. & 10. priore nempe non dicitur redimi pœnam, sed ipsam iniquitatem, & redimere hoc est sine pretio & satisfactione, conf. 2. Sam. 7: 23. Ps. 103: 2. 119: 133. Es. 53: 3. in loco Danielis autem פרק est abrumpere, desinere; θλίψεις Χριστῦ Col. 1: 24. sunt passiones, quas Paulus ob Christum subibat, idem, quod παθήματα τῦ Χριστῦ 2. Cor. 1: 5. νέκρωσις τῦ κυρίυ Ιησῦ 4: 10. ὀνειδισμὸς τῦ Χριστῦ Heb. 11: 26. vid. ad eum locum etiam ELSNER *observ. ad N. T. Lib.* apud Ecclesiæ Doctores satisfacere & satisfactionem in genere nil notasse nisi facere, quod alteri placeat, quò acquiescat, non autem compensare æquivalenti quôdam ostendit idem DALLÆUS *Lib.* 7. C. 4. ac ita eos intellexisse, ubi pœnitentiæ operibus Deo satisfieri dicebant, item ejeratô idolorum Cultu, confessione; idem sibi voluisse locutionibus, peccata pœnitentiæ operibus

operibus purgari, deleri vel aboleri, tegi, redimi, compensari, ostendit Vir. laud. C. 7--9. 11. Monemus adhuc Bossuetum uti reliqua Ecclesiæ Romanæ placita ita & hoc de satisfactionibus admodum emollire *doctr. cath. expos. C.* 8. quæ verò excutere instituti brevitas non permittit.

1145. Quando quis, qui non erat infans vel filius naturalis & legitimus, tamen pro tali assumebatur, seu habebatur quâ consequens vel cum effectu, ac si esset infans naturalis, id Veteribus audiebat *adoptio*, talisque dicebatur *adoptari*; quare cùm Deus credentes liberando à pœna, iisque vitam adjudicando æternam paternum erga ipsos ostendat affectum: siquidem & hæreditatem, quæ filiis cedit, illis tribuit, Rom 8: 17. 1. Pet. 1: 4. 5. *justificatio & præcipuè jus vitæ æternæ constituit adoptionem.* *Adoptio sit.*

Sch. 1. *Adoptio* apud Romanos erat unus è tribus modis constituendi patriam potestatem, introducta, tum ut Sacra privata manerent, tum ob præmia πολυπαιδίας damnaque orbitatis, tùm ut e Patricio ordine in plebejum ad munus quoddam ambiendum transiri posset; erant autem adoptiones vel strictè tales, vel quæ dicebantur *adrogationes*, in strictè dictis liberi alieni transibant in alterius potestatem, gentem, nomen & Sacra, in adrogationibus autem homines sui juris ita transibant; qui arrogabat, interrogabatur, velletne eum, quem adoptaturus esset, justum sibi filium esse, & vicissim is, qui arrogabatur, an id fieri pateretur, auctorque esset, rogatione dein ad populum latâ, unde nomen adrogationis; adrogari autem non poterant pupilli, peregrini, fœminæ, surdi, &c. arrogati jure Legeque filii erant ejus, qui adoptaverat, ac si ex eo Patre Matreque familiâs essent nati, unde fiebant agnati ratione familiæ adoptantis, non autem cognati uxori ejus, quod idem de adoptivis valebat: Quoad adoptionem, fiebat ea inter præsentes, adhibitis certis solemnitatibus coram Prætore, Præside, aut alio Magistratu, dicebat Pater naturalis

adoptivo, *mancupo tibi hunc filium, qui meus est*, regerebat adoptivus, *hunc ego hominem jure Quiritum meum esse ajo, isque mihi emtus est hoc ære;* tum æs dabat quasi pretii locò, & prior cedebat filium, ac adoptio perficiebatur, quam sequebatur hæreditas nominis, pecuniæ, Sacrorum; vid., qui hæc suppeditat JCtus Cel. HEINECCIUS *antiq. Rom. ad instit. Lib.* 1. *Tit.* 11. §. 1--15. conf. etiam STRYKIUS *Jurisprud. Pauli Cap.* 1. §. 24. 25. *C.* 2. §. 7. patria potestas autem apud Romanos extendebat se usque ad jus vitæ & necis, jus liberos venundandi, per eos acquirendi, idem *Lib.* 1. ad *Tit.* 9. §. 5--7.

Sch. 2. Adoptio itaque quia Romanis admodum in usu, ideò PAULUS ad Romanos scribens negotium salutis iis sub ea proponit, quò ita meliùs ab ipsis intelligatur, ideò ex antiq. illustranda (§. 174-176.), interim similitudo non nimis & ad omnia prorsus extendenda, conf. (sch. 1. §. 183.); in Sacris exempla adoptionis occurrunt in Mose Ex. 2: 10. coll. Act. 7: 21. Heb. 11: 24. Esthera 2: 7. patet autem adoptionem illam Veterum non potuisse fieri nisi æstimô morali, conf. (sch. §. 1124.), sic & spiritualem hancce; circa hanc autem considerandum, 1. quòd præsupponat, eos, qui adoptantur, prius non fuisse filios Dei, verùm filios iræ, iniquitatis (§. 811. & sch. 1. 2. ib. §. 816. 820. 821. sch. 1--3.), »nos [sunt verba ULR. HUBERI *diss. Jurid. Theol. exerc.* 4. §. 3.] » Testatoris cœlestis hæ»redes sumus omnes *extranei;* tales nempe in Jure dicuntur» omnes [sunt verba ejusdem, ib. §. 1.] ex»ceptis liberis, iisdemque legitimis ac in potestate »detentis; conf. STRYKIUS *jurispr. Pauli Cap.* 2. §. 7. 2. eum, qui adoptet, esse Deum, Eph. 1: 5. 1. Joh. 3: 1. 3. cùm jus vitæ æternæ ob Christum tribuatur (§. 1134.), etiam adoptionem fieri ob Eum, Joh. 1: 12. Eph. 1: 6. 4. cùm omnia Opera Dei pro fine habeant gloriam Ipsius (§. 49. 270.), etiam adoptionem eundem habere, Eph. 1: 6. 5. cùm è fide veniat jus vitæ æternæ (§. 1129.), etiam è fide venire adoptionem Joh. 1: 12. Gal. 3: 26. »Testamenti bo»na [ita loquitur idem HUBERUS ib. §. 3.] morte »commissa extraneis hæredibus non præstant domi»nium nisi per additionem ——— ideò dominium »ignorantibus non acquiritur, sed opus est actu animi,

quo

»quò nos hæredes esse, nosque pro hæredibus gerere »velle declaremus —— hoc animi propositum —— esse fidem in Christum novimus.» 6. Cùm è naturali adoptione oriatur obligatio à parte ejus, qui adoptatur, etiam ex hac spirituali adoptione maximam oriri obligationem, se ùt filios Dei gerendi filiali timore &c. (*Mor.* §. 964.), conf. Lampius *to.* 1. p. 443. 444. tantò magis, quòd novum adipiscantur nomen Apoc. 2: 17. uti & in naturali fiebat adoptione, in familiam nempe hi transibant, sic & in spirituali &c. Ita nimirùm adoptio commodè considerari & connecti potest cum justificatione, uti & facit Cl. Lampius Gnaden-Bund, *to.* 1. p. 440. seq.

1146. Quòd si homo non solùm fit justificatus coram tribunali Dei, verùm prætereà conscius sibi sit ejus ac certus, dicitur *justificatio secunda*, etiam *justificatio justi*, quæ adeò est persuasio, aut & certitudo justificationis suæ. *Justificatio secunda.*

Hæc adeò nil addit justificationi in genere nisi certitudinem subjectivam, conf. (sch. 2. §. 466.); facilè autem patet, quomodo certitudo illa haberi possit, nimirùm è sensu fidei suæ: siquidem justificatio è fide fit (§. 1129.), hinc è sensu omnium eorum, quæ fidem salvificam vel præcedunt, vel sequuntur, de quibus (§. 1046. 1047. 1059. 1060. 1075. 1076. 1078. 1085--1088. 1092. 1106.), & quæ pluribus prosequi hìc opùs non est: cùm pertineant ad materiam de conscientia salutis; vid. de signis justificationis Lampius *to.* 1. p. 460--463. qui & p. 455. 456. benè dicit, homini justificationem suam notam reddi vel mediatè vel immediatè: mediatè nempe per evangelium, dum post seriam sui explorationem promissiones evangelicas (§. 992.) sibi applicat, immediatè per Spiritum sanctum Rom. 8: 16. addimus, quòd justificatio hæcce sanò sensu posset dici justificatio per Opera, & quòd de ea Jac. 2: 21. 24. 25. aliud autem denotant Pontificii terminò justificationis secundæ, nimirùm incrementum justitiæ inhærentis.

1147. Quum in negotio justifi- *Justificatio*

quomodo considerandа.

cationis occurrat Judex (§. 1122.), lex (§. 1141.), reus (§. 1140.), accusatores (§. 1141.), interceſſor (§. 1143.), pronuntiatio ſententiæ (ib. & §. 1142.), ejus fundamentum (§. 1134. 1135.), ac notificatio (§. 1146. & ſch.), ideò *benè ùt judicium vel proceſſus judicialis conſideratur.*

Sch. 1. Hinc & ſub tali forma doctrina de juſtificatione proponitur à Viris quibusdam piis ac doctis, ex. gr. LAMPIO *to.* 1. p. 429. ſeq. HULDRICO Glaubens-Pred. p. 133. ſeq. 158. 159.

Sch. 2. Quòd ſi animô recolantur ea, quæ in negotio juſtificationis peraguntur, item quæ præſupponuntur, patebit 1. fundamentum ejus jactum eſſe in æterno Teſtamento grætiæ (§. 454. 460.); 2. materiam ejus actu ſuppeditatam eſſe, ubi Sponſor naturam aſſumſit humanam, ac in ea ſatisfactionem præſtitit (§. 878. 898. 918. 959. ſch. 2. §. 1137.); 3. aperiri, ubi Deus in verbô ſuo deſignat modum ejus cauſamque (§. 115.); 4. hominis fieri, quando ſollicitus de felicitate per Chriſtum impetranda (§. 1070.), ſe explorans, invenit ſibi ineſſe, quæ juſtificationis perſuaſionem ingenerant (ſch. §. 1146.); 5. ulteriùs procedere, quando conſcientia fidei ſuæ corroboratur per teſtimonium Spiritûs Sancti Rom. 8: 16. 6. executioni dari tùm in articulo mortis [quo de autem ùt & ſequenti demum Loco XII. hîc verò ſaltem nominetenus tangendum]: ſiquidem tùnc peccatum vim condemnandi amittit Rom. 6: 7. 8. tùm plenè 7. in ultimo judicio, ubi jus vitæ actu judiciali & pro forma tribunalis conferetur, Matth. 25: 34. atque hîc habentur *gradus*, uti vocantur, vel *articuli juſtificationis.*

Ex illa pax cum Deo.

1148. *E juſtificatione ſequitur pax Deum inter ac hominem*, Eſ. 27: 5. Rom. 5: 1. ubi enim peccata abolentur (§. 1144.) per liberationem à pœna (§. 1143.), ibi odium Dei erga hominem ceſſat (§. 328.), ubi verò hoc, ibi non amplius animus malefaciendi (*Met.* §. 454.), conſequenter nec offendendi,

hinc

hinc pax (*Mor.* §. 880.); tantò magis, quòd è justificatione veniat adoptio (§. 1145.), affectus & amor paternus, adeòque studium benefaciendi, per reconciliationem (§. 957. coll. 1119.).

Sch. 1. Peccatum nempe rupit relationem illam amicam Deum inter & hominem (§. 718. 839.): siquidem τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς Θεὸν Rom. 8: 7. Christus autem venit, ut amicitiam & pacem restitueret, εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ Col. 1: 20. in se suscepit מוסר שלומנו Es. 53: 5. convenienter æterno consilio, quod ideò pacis dicitur (§. 460.), unde & dicitur ipsa pax nostra Eph. 2: 14. siquidem & pacem hancce annuntiavit v. 17. (§. 910.), ut eam jure possit appellare suam Joh. 14: 27. & Ipse dici שר שלום Es. 9: 6.

Sch. 2. Quòd è justificatione pax hæc sequatur, etiam inde videre est, quia justificatio è fide sequitur (§. 1129.), per fidem autem inimicitia non solùm erga Deum tollitur, verùm amicitia adhuc restituitur (sch. 3. §. 1092.), hinc & pax, ut è definitione utriusque quilibet perspicit (*Mor.* §. 778. 880.). Notandum autem, quòd credentes ac justificati sensum hujus pacis non semper habeant, etsi à parte Dei omnino locum habeat: cùm enim fides, unde justificatio & pax hæc oritur (§. 1129.), sæpè fluctuet (sch. 2. §. 1112.), etiam conscientia pacis hujus perexigua aut nulla sit oportet [quo de plenius infra, ubi de conscientia salutis], ut homo instrumentum quasi ratificationemque ejus invenire nequeat. Præstantia verò illius satis perspicitur ex adjunctis ipsius ac effectis, unde & depredicatur ut ὑπερέχουσα πάντα νοῦν Phil. 4: 7. meliùs autem, ut omnes in anima mutationes, percipitur sensu internô, quàm verbis describitur, conf. (sch. 3. §. 193.), unde & Theologia experimentalis hîc suas haberet partes (prol. §. 15.); vid. autem egregiè naturam pacis hujus exponens Huldricus Glaubens-Predig. p. 191. seq.

1149. *E justificatione sequitur etiam pax cum propria conscientia;* Pax conscientiæ.

pax

pax enim conscientiæ [quæ non est nisi tranquillitas ejus] locum habet tunc, ubi homo liber est à tædio affectibusque ingratis conscientiæ consequentis (*Mor.* §. 127.), id autem fit, ubi morsus conscientiæ sanantur (ib. §. 109.), è peccato venientes (§. 836.), prorsus vero sanantur tunc, ubi factum infectum fieri potest (*Mor.* §. 113.), quare cùm id fiat in justificatione (§. 1144.), pax conscientiæ restituitur.

Ita ergò justificati fiunt ἐῤῥαντισμένοι ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς Heb. 10: 22. recuperant συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεον 1. Pet. 3: 21. statum animi, quô homo in rectitudine originali [sine Mediatore] gaudebat (§. 693.); atque ita, dum justificatio sanat morsus conscientiæ, patet, uti & ex aliis præcellentia sicuti Religionis Christianæ (§. 115. *Mor.* §. 113.), ita in specie dogmatis de justificatione. Hæc pax cum illa priori (§. 1148.) est adeò מעשה הצדקה Es. 32: 17. ubi conf. Cel. VITRINGA in *Comment.*; idem etiam quoad hanc observandum, quod quoad priorem (sch. 2. §. 1148.).

In adversitatibus gloriatio.

1150. *E justificatione cum fide firma conjuncta oritur inde & gloriatio in afflictionibus* Rom. 5: 3. [quæ est patientia non solùm in malo physico (§. 642.) seu adversitatibus præferendis verùm adhuc constantia animi] fides enim firma lætatur ob bona in Christo impetrata vel impetranda (§. 1115.), justificatio autem bona hæc ùt sua jam habet per absolutionem à pœna & jus vitæ æternæ (§. 1119. seq. §. 1143. & sch.), hinc pacem cum Deo (§. 1148.), ubi autem hoc, ibi mala leviora redduntur: dum considerantur ùt media ad bona in Christo, ùt remedia peccatorum, adeòque ùt provenientia

tia à bonitate Paterna (§. 312. 1145.); porro fides quia Deum glorificat (§. 1092.), ideò & Sapientiam Dei in gubernatione omnium (§. 648. 649.) glorificabit, consequenter inde motiva desumet (§. 673.) acquiescentiæ in voluntate Dei (*Mor.* §. 727. 728. 732.).

Conf. huc facientia (§. 646. sch. §. 648. sch. 3. §. 651. sch. §. 839.); ita ergo, quod venenatum est in adversitatibus, earumque effectus in animo ùt sequelæ peccati (§. 836.) rectificantur quasi. Non frustrà autem dicimus è justificatione per fidem NB. firmam dispositionem illam animi oriri: cùm plurimi verè fideles in adversitatibus demissô sint animô, teste non solùm Scripturâ Ps. 38: & alibi, verùm & experientiâ quotidianâ; interim tamen semper verum manet è justificatione per fidem talem oriri gloriationem, ùt nexus verborum Pauli clarè indicat Rom. 5: 1--3. & exempla fidelium testantur (sch. 2. §. 122.) merentur autem de hacce materia legi, quæ Huldricus Glaubens-Predig. p. 554. seq.

1151. E dictis perspicitur, *doctrinam de justificatione esse solatii plenam, & in Theologia paracletica utramque facere paginam*: solatium nempe est repræsentatio boni, ob quam tristitia dimittitur ac metus (prol. §. 13.), jam verò doctrina justificationis talia repræsentat bona, quæ maxima, liberationem scil. à pœna & jus vitæ æternæ (§. 719. 837. 1119.); cùm repræsentet Deum reconciliatum (§. 957. coll. 1119.), præcipuum suppeditat fundamentum contra peccata eorumque morsus (§. 820. 836. 1141. seq. 1149.), adversitates (§. 835. 1150.), ac mortem (§. 1140. & sch. ib.); & cùm Theologiæ paracleticæ sit, hominibus quôcunque malô pressis ejusmodi applicare (prol. §. 13.), inde doctrina illa præcipuum in Theolog. paracl. constituit articulum. *Consolatio.*

Contra peccata justificati lætabundi occinunt illud Rom.

Rom. 8: 1. 33. contra afflictiones ib. v. 35--39. contra mortem 1. Cor. 15: 55. 57. Nempe id non intelligendum, ac si justificati plenam ideò semper percipiant consolationem: cùm sæpè ob fidei infirmitatem aliasque rationes hanc parientes (sch. 1. 2. §. 1110.) solatium sibi applicare nesciant & non audeant; inservire hîc posset historia regenitorum (sch. 2. §. 1036.).

Quale sit beneficium. 1152. *Justificatio est beneficium fœderis gratiæ, & quidem tale, quod non simùl habet rationem officii ab homine præstandi:* cùm enim è gratia Dei proficiscatur (§. 1137.), seu bonitate Ejus ac amore (§. 312. & sch.), est beneficium (*Mor.* §. 834.), & cùm, quod ea continet, offeratur in fœdere gratiæ (§. 992. coll. 1119.), est beneficium hujus fœderis, cùm porro eorum, quæ rationem causalitatis habent, nil sit in homine, verùm omnia in Sponsore (§. 1134. & sch.), justificatio non potest habere rationem officii ab illo præstandi.

Justificàtio nempe est actus Dei judicialis (§. 1122. 1140. 1143.), non autem actus hominis, sicùt è contrà in vocatione & fide homo adhuc magis potest dici agere, licèt non vi propriâ; hinc justificatio non aliter potest dici officium, nisi quòd homo, dum ad felicitatem suam promovendam est obligatus (§. 60.), inde & ad justificationem impetrandam (§. 1119.) sit obligatus; ùt beneficium *purum* ideò & proponitur Es. 43: 25. Jer. 31: 33. 34. & in catena salutis exhibetur quàmmaximè Rom. 8: 30. Cùm etiam è justificatione veniat pax cum Deo (§. 1148.), adeòque hæc quoque sit beneficium fœderis, patet ulteriùs, quare fœdus gratiæ audiat fœdus pacis (sch. §. 996.) Mal. 2: 5.

Fundamentum ejus. 1153. *Fundamentum autem hujus beneficii est officium Christi Sacerdotale:* fundamentum namque, ob quod tanquàm causam meritoriam Deus justificat, est obedien-

obedientia Christi (§. 1120. 1134.), at ob hanc est Sacerdos (§. 930.), & per utramque homini aditus ad Deum fuit parandus (§. 953. & sch. 1.), at id erat Sacerdotum (§. 965.); porro impetrat Christus fidelibus justificationem per intercessionem suam (1143. & sch.), jam verò intercessio hæc itidem ad officium Ejus Sacerdotale pertinet (§. 964. & sch.).

Quâ Sacerdos enim Christus in locum credentium fuit substitutus (§. 848. coll. 930.), cum iis commutatus (sch. §. 848.), in eadem est societate (§. 863.), Caput repræsentativum (§. 963.), quæ omnia justificationem ingrediuntur (§. 1124. 1139. &c.); unde qui Sacerdotium Christi evertunt, uti Socin. (§. 927. 931.), ipsam etiam justificationem non possunt non pervertere (sch. 2. §. 1135. sch. 3. §. 1138.).

1154. *Doctrina de justificatione Deum glorificat.* *Deum glorificat:* Deus namque glorificatur, ubi perfectiones Ipsius agnoscuntur, & pro motivis actionum sumuntur (§. 673.), jam verò doctrina hæcce noscendas præbet Dei perfectiones: elucent enim ex ea Sapientia, bonitas & justitia Dei: siquidem elucent è satisfactione Christi (§. 970.), jam verò satisfactio hæc est fundamentum justificationis (§. 1153.); etiam omni-sufficientia Dei (§. 334.): dum per liberationem à pœna & adjudicationem juris vitæ æternæ Deus fit peccatori, quodcunque optare potest; perfectiones autem hæ inde resplendescentes non possunt non motiva suppeditare actionum.

Advocetur huc (sch. §. 970.), quò confirmetur, quod dictum (§. 1133.); doctrina de justificatione dum Opus redemtionis exhibet, Opus autem hocce sapientiam Dei patefacit, Eph. 3: 10. ideò de ea exclamare facit è Rom. 11: 33. de bonitate Dei è Ps. 31: 20. Joh. 3: 16. justitia Ipsius è Ps. 36: 7.

1155.

Cum ea & ex ea amor Dei Christique.

1155. *Cum justificatione è fide conjunctus est amor Dei ac Christi, justificatio quoque ad eum impellit:* fidei namque amor inest (§. 1075.), tantò magis, quòd ferat persuasionem (§. 1110.) de bonis maximis à Deo impetrandis per Christum (§. 1106. 1107.) [ac ita Deum repræsentet ùt benefactorem maximum, id quod amorem excitat, cùm apud talem inveniatur, quod voluptatem gaudiumque creat] (*Met.* §. 446. 449. *Mor.* §. 403.), & quòd secum ferat conatum Deum per Christum glorificandi (§. 1092.), qui sine amore Dei sibi non constat (*Mor.* §. 653. coll. 679. seq.); jam cum justificatio è fide proveniat (§. 1129.), de ea idem valet, tantò magis, quòd ea involvat impetrationem bonorum illorum (§. 1143. 1144. sch. §. 1147.), veniat è pura Dei gratia (§. 1137.), fructus ferat insignes (sch. §. 1143. §. 1148--1151.), beneficium sit purum (§. 1152.).

Fides ideò dicitur δι ἀγάπης ἐνεργουμένη Gal. 5: 6. nempe vera, unde non objicienda loca cit. (sch. 1. §. 1094.), aut fides miraculorum 1. Cor. 13: 2. licèt de vera sermo sit v. 13. PAULUS etiam amorem Dei ùt fructum justificationis ac excitatum obedientiâ Christi sistit Rom. 5: 1. 5. 6. unde & ulteriùs probari potest, justificationem ad eum impellere: siquidem dum è satisfactione Christi elucet, amor Ipsius ineffabilis (§. 970.), adeòque ea ad amorem erga Ipsum reciprocum impellit, justificatio autem satisfactione hâcce ùt causâ meritoria nititur (§. 1134. sch. 2. §. 1137.), ea itidem ad talem omnino impellit amorem. Nemo non videt autem, quòd, dum amor ille existit ob bona à Deo impetranda, tantò major debeat esse, quò majora concipiuntur, & magis firma de iis persuasio adest (per princ. psychol.), unde fidei firmæ ac justificationi secundæ (§. 1114. 1115. 1146.) amoris

ris major ineſt gradus, vel & major per eam excitatur, niſi alia adſint impedimenta.

1156. Amor intus in anima reſidens non poteſt non impellere hominem ad eum forâs oſtendendum, ſeu actionibus externis teſtatum faciendum, vid. (*Mor.* §. 690. 693.), ſiquidem vis animæ tendit ad ſenſationes extra ſe producendas (*Met.* §. 878. 879.), quare cùm *juſtificatio* impellat ad amorem Dei (§. 1155.), *etiam impellet ad amorem hunc forâs oſtendendum.* *Qui ſe & externè oſtendit.*

Cujus namque cor plenum eſt, id per os [id eſt in genere forâs] erumpit, Matth. 12: 34. & amor cùm ſit diſpoſitio ex alterius felicitate voluptatem percipiendi (*Met.* §. 449.), tantam quæret, quantam poteſt, quod cùm ſciat fieri poſſe etiam actionibus externis, ad tales inde impellet. Conf., quomodo Opus redemtionis amorem erga Deum animo ingeneret, ac ad illum externè teſtatum faciendum moveat, Wolfius *hor. ſubſec. Ann.* 1730. *trim. vern. de volupt. è virt. Chriſtiana percipienda* §. 8.

1157. Cum id fiat ob beneficia (§. 1137. 1152.) Dei ac Chriſti, vel Dei in Chriſto (§. 1143.), amor autem ob beneficia ſit gratitudo (*Met.* §. 469.), *juſtificatio impellit ad gratitudinem erga Deum ac Servatorem.* *Conſtituitque gratitudinem.*

Juſtificatio impellit ad gratitudinem, hinc & omnia ea ad eandem impellunt, ſine quibus juſtificatio ſibi non conſtaret, uti redemtio, miſſio Filii Dei in terram [& reliqua, de quibus Locô VIII.] Teſtamentum gratiæ (§. 460.), operationes Spiritûs S. in anima (§. 1021.), in univerſum regnum gratiæ totum (§. 667.).

1158. Cùm jam amor Dei ac Chriſti impellat ad eum forâs oſtendendum (§. 1156.) & hicce amor ſit gratitudo (§. 1157.), *gratitudinem ſuam homo teſtari* *Qua quomodo teſtanda.*

stare debet, nec aliò modò potest, nisi actiones liberas determinando juxta præscriptum Dei ac Christi: amor namque cùm impellat agere, quæ alter vult, & vitare, quæ non vult (*Met.* §. 693.), quod verò quis vult, etiam eò ipsò sit præscriptum ipsius, juxta id omnino actiones suas liberas determinabit.

Præscriptum quippe non est nisi voluntas expressa, seu quæ declaratur verbis.

Deus & Christus tunc glorificantur.

1159. *Actiones ita determinando glorificantur Deus & Christus:* glorificatur enim Deus, quando perfectiones Ipsius adeòque bonum, quod in Eo deprehenditur, & etiam id, quod ab Eo venit, agnoscuntur, ac pro motivis adhibentur agendi quædam, alia verò omittendi (§. 673.), ergo & Christus non aliter potest glorificari; cùm jam Deus ea præscribat, quæ cum perfectionibus suis conveniunt, vi sanctitatis suæ (§. 333.), hinc ex motivo earum quædam præscribat, quia nempe bona (§. 311.), quædam verò vetet; consequenter & Christi præscripta resultent è perfectionibus Ipsius (§. 346.), ille, qui ex motivo perfectionum ipsorum actiones determinat, eò ipsò eas determinat juxta præscriptum Ipsorum, & cùm per prius Deus ac Christus glorificentur, etiam per posterius glorificantur.

Sch. 1. Alia probatio adhuc desumi potest è (*Mor.* §. 653.), quam autem brevitatis studiò non adscribimus. Notandum etiam, quòd unum idemque sit, perfectiones alicujus agnoscere, aut bonum, quod in eo est, aut quod ab eo venit: bonum enim perfectionem includit (*Met.* §. 422. conf. & *Mor.* §. 590.), & bonum, quod ab altero venit, testatur de bonitate ejus: cùm hæc sit pronitas bonum & perfectiones communicandi

nicandi (§. 308.). Perspicitur autem, quòd Christus glorificetur, ubi actionibus externis testatum quis facit, se Eum habere pro perfecto ac unico Salvatore: siquidem id est bonum, quod ab Eo venit, vid. ex. gr. (§. 967. 968. 983.), & vi perfectionum suarum Se talem præstitit Servatorem (§. 879. 880. 983.).

Sch. 2. Glorificatio Dei ac Christi non potest non esse conjuncta: cùm unum sint voluntate & essentiâ (§. 343. 348.), hinc iisdem gaudeant perfectionibus, ubi autem eædem perfectiones, ibi idem Cultus (§. 350.), consequenter glorificatio (§. 674.) utriusque debet esse conjuncta. Sive autem dicatur, *Deum & Christum* glorificandum esse, sive etiam *Deum* aut *Christum ob Opus redemtionis*, unum idemque dicitur.

1160. Quum jam studium actiones liberas determinandi ad gloriam Dei ac Christi liberatoris hinc è motivo boni, quod ab Eo venit, sit ac dicatur *sanctitas*, inde *justificatio impellit ad sanctitatem*, vel *homo ad hanc est obligatus*, *sanctitasque est gratitudo erga Deum ac Servatorem*, & *ostenditur actiones determinando juxta præscriptum Dei ac Christi* (§. 1157. 1158. coll. 1159.). *Quod fit per sanctitatem.*

Sch. 1. Sanctitatis definitio jam tradita (sch. §. 435.), à qua non receditur, dum locô verborum *è motivo* præcipuè *præstitæ liberationis* ponitur vox *Liberator*, ut quivis videt. Voces, quibus *sanctus*, *sanctitas*, in Scriptura exprimitur, sunt hebr. קדוש, קודש, [unde latinum *castus* per metathesin & vernaculum keusch) derivatum volunt] חסיד; græca sunt ἅγιος, ἁγιότης, ἁγιωσύνη, ἁγιασμὸς, ἁγιάζω, item ὅσιος [à hebr. חסיד derivari contendunt] ὁσιότης, etiam ἁγνος & ἱερὸς, de quibus vid. D'Outrein tract. belg. *waare heyligmakinge*, p. 6--13.

Sch. 2. Adversarii quidem contendunt, doctrinam nostram de justificatione studio sanctitatis admodum esse noxiam, dum docemus, justificari hominem è sola fide, sine operibus, verùm satis ipsis occurritur per ea, quæ supra quoad justificationem stabilita (§. 1131.

& sch. 2. ib. sch. 2. §. 1136.), ut ad singula respondere brevitatis studiô possimus supersedere; idem & valet quoad homines carnales, dogmatibus Religionis abutentes ad propriam perniciem, vid. autem contra illos HOORNBEK *Socin. conf. to.* 2. p. 718--720. contra hosce verò graviter Vir pius J. F. OSTERVALD *Sources de la corrupt. to.* 1. p. m. 128. seq. monemus tantùm, studium sanctitatis æquè manere necessarium, sive homo justificaretur per Opera, sive per fidem, quæ sanctitatem secum ferat, hinc nec justitiam Christi imputatam officere justitiæ inhærenti: cùm illius certitudo è sensu fidei (sch. §. 1146.), hinc resipiscentiæ, conatûs Deum per Christum glorificandi proveniat (§. 1059. coll. 1073. 1092.).

Discrimen ejus à virtute & pietate.

1161. *Inde perspicitur discrimen sanctitatis à pietate & virtute:* cum enim etiam pietas sit studium actiones determinandi ad gloriam Dei (*Mor.* §. 670.), adeòque & juxta præscriptum Ipsius (ib. §. 671. 704.), ac virtus sit habitus actiones determinandi juxta legem naturæ, hinc præscriptum Dei (ib. §. 29. 64.), patet, discrimen positum non esse in ipsis actionibus, verùm in motivis, per quæ determinantur, conf. (*Mor.* §. 674.).

In sanctitate nempe motiva, quorum intuitu actiones determinantur, sunt beneficia Dei in Christo, vel, quod eòdem redit, perfectiones Dei in Opere redemtionis exhibitæ, in pietate perfectiones Dei per Rationem cognitæ (§. 52.), hinc beneficia Dei in regno naturæ exhibita (§. 667. & sch. 1. §. 669.), in virtute verò, ut promoveatur perfectio statûs nostri (*Mor.* 65. 66.).

Quid spectetur.

1162. Motivum adeò est, quod spectatur in sanctitate, & ubi de ea judicandum.

Materiale actionis itaque non spectatur, verùm *ratio* formale (§. 602.): uti enim eædem actiones constituunt vel nonnisi virtutem, vel & pietatem, prout motiva earum differunt (*Mor.* §. 673. 674.), ita & si motivum

vum ipsarum sit studium Deum per Christum glorificandi, vel beneficia Dei in Christo seu regno gratiæ (sch. §. 668. sch. §. 1157.) exhibita, actiones eædem, quæ aliàs virtutem solùm aut pietatem faciunt, tùm constituunt sanctitatem, quod de omnibus valet virtutibus. Indidem & id liquet, quod materiale actionis, etsi non spectetur, tamen in tantum in censum veniat, ut, nisi actioni virtuosæ inesse possit, sanctitatem nunquam constituere possit. Atque ita motivum si perspicere detur, natura & gratia discerni potest, seu num homo agat nonnisi è natura emendata (§. 1046. 1047.), an verò è gratia (§. 1048.), quod utile non solùm verùm & necessarium esse per se patet.

Obligatio in actione quotuplex.

1163. Perspicitur & è dictis, *triplicem esse obligationem, quæ homini Christiano in qualibet actione incumbat:* namque incumbit 1. ut perfectionem statûs sui promoveat per mutationem ex actione orientem (§. 60. & *Mor.* §. 12. 13.); 2. ut Deus glorificetur quà Creator & Conservator benignus (§. 496. 568. 576.), seu ob beneficia in regno naturæ exhibita, hinc agatur ex intuitu perfectionum Ipsius inde [adeòque per Rationem] cognitarum (§. 51. 528. 671. & *Mor.* §. 671.); 3. ut glorificetur per Christum (§. 1092.), seu ob beneficia in regno gratiæ exhibita, hinc adsit gratitudo erga Deum ac Christum (§. 1157.).

Prima obligatio adeò est, ut satisfiat virtuti, quæ tendit ad statûs perfectionem ac inde orientem felicitatem (*Mor.* §. 66.), dum consensus exin resultat in statu hominis, ubi nempe mutabilia eòdem tendunt, quò essentialia (ib. §. 2.); secunda est, ut satisfiat pietati (§. 52.) [sub qua etiam comprehenditur illa desumta à Dominio ac Imperio Dei (§. 576.), vi cujus ut servi ac subditi Ipsius tenemur voluntati Ejus nos conformare]; tertia, ut sanctitati (§. 1160.). Addi potest, quòd, dum beneficia illa, ob quæ gratitudo erga Deum ac Christum debetur (§. 1157. & sch. ib. (§. 1160.), applicantur gratiâ Sp. S. (sch. 3. §. 453.

§. 1021. sch. §. 1146.), adhuc sub ultima obligatione etiam comprehendatur, ne gratiâ Sp. S. inhabitante homo indignum se reddat.

Quænam superior. 1164. *Sequens obligatio adeò semper superior est, seu parit actioni majorem excellentiæ gradum* · quòd si enim pietas actiones virtuosas sublimiores seu excellentiores reddit (*Mor.* §. 673.), dum excelsius addit motivum, oportet & sanctitas omnino actiones reddat excellentiores, hinc obligatio, quâ ei satisfit, superior sit eâ, quâ satisfit virtuti aut pietati.

Inferior obligatio & excellentiæ gradus ideò semper simùl consistere potest, ut eadem actio, quæ fit è studio Deum per Christum glorificandi, omnino & fieri possit è motivo perfectionum Dei per Rationem cognitarum, cùm iis hinc consentiat, ac etiam fieri ad statûs proprii perfectionem: siquidem aliâs perfectiones Divinæ ipsæ secum non consentirent & regnum naturæ cum regno gratiæ, contra (§. 332. 333. 670.), aut Lex naturæ cum perfectionibus Divinis, contra (*Mor.* §. 29.); interim à homine Christiano, etsi agat è studio Deum per Christum glorificandi, triplex illa obligatio neutiquam semper intenditur, actioque manet sancta, si solùm tertia obligatio præ oculis habeatur.

Inferiori quando satisfiat. 1165. *Inferior obligatio etiam manere potest ac ei satisfieri, etsi superior præ oculis non habeatur:* siquidem & virtus esse potest absque pietate (*Mor.* §. 64. 673.), ac pietas sine sanctitate (§. 52. 1160. 1161.).

Sch. 1. Uti & natura emendata [præsertim quoad inferiores gradus] (§. 1046. 1047.) omnino potest esse absque gratia (§. 1048.), præcipuè in iis, qui revelatione destituuntur (§. 1051. & sch.), ad quorum actiones dijudicandas hisce viam paramus.

Sch. 2. Ideò non statim actio, quæ non satisfacit triplici illi obligationi (§. 1163. & sch.), est mala vel peccami-

caminosa : duæ namque adhuc interjacent obligationes, quarum si vel uni satisfiat, ut scil. agatur, vel è motivo statûs perfectionem promovendi, vel perfectionum Dei ut Creatoris Conservatorisque, abest vitiositas ac peccaminositas : siquidem id demum vitiosum est, quod contrariatur Legi naturæ (*Mor.* §. 64.), hinc quod virtutem destruit, & id demum peccaminosum, quod contrariatur Legi Dei (§. 620. 812.) ; talis actio equidem minùs bona est, at inter minùs bonum seu absentiam ulterioris boni & malum adhuc differentia intercedit, uti inter τὸ malum omittere & pium esse (*Mor.* 672.) ; aliter hic res se habet ac in Logicis, ubi aliquid aut verum est aut falsum, nec datur medium &c. actio quævis dum aut bona est aut mala (§. 62.), bona verò est, quæ statum nostrum perfectiorem reddit (ib.), hinc Legi naturæ conformis (§. 60.), adeòque virtuosa est (*Mor.* §. 64.), ideò tùm demum malam ac peccaminosam esse sequitur, ubi per eam non satisfit infimæ obligationi (§. 1163. 1164.), nec verò, ubi per eam non satisfit supremæ obligationi, unde illæ demum actiones nobis malæ dictæ (§. 598.), quæ nullam ex iis obligationibus implent.

Sch. 3. Per ea & via paratur ad benè judicandum de actionibus irregenitorum, item gentilium, vel aliorum cognitione supernaturali destitutorum, tales nimirùm si aliquando actiones edidêre conformes Legi naturæ, adeòque è motivo perfectionem statûs sui promovendi, tum &, quod rarius, è motivo perfectionum Divinarum, ejusmodi longe tamen distant à Christianorum verè talium actionibus [quæ fiunt è motivo Deum per Christum glorificandi] dum infra gradum supremum subsistunt, nec satisfaciunt obligationi præcipuæ (§. 1164.) ; interim dici non possunt vitiosæ : quod enim Legi naturæ conforme est, vitiosum esse nequit ; siquidem inde perfectio statûs promovetur, quod vero eam promovet, bonum ac virtuosum est (*Mor.* §. 3. 65.) [magis, quod intuitu perfectionum Divinarum peragitur] (*Mor.* §. 673.) ; bonæ ideò fuerunt tales actiones, id est, gradu quôdam bonitatis gaudebant, interim minimè bonæ sensu Christianô (§. 598.), ut peccata dici non debeant, ac illud Augustini, ubi gentilium virtutes nonnisi splendida dicebat peccata, nimis fuerit durum, ùt & judicat Ill. Leibnitius

NITIUS *Theod.* §. 283. & *cauſ. Dei* §. 95. conf. quoque CANZIUS *uſ. to.* 1. *Cap.* 5. §. 10. 11. Nec inde naturæ vires, ultrà, quam par eſt, evehuntur: etenim quin reliquiæ imaginis Divinæ (§. 817.), bona educatio, θεοσεβεια, quibus aliquando gentiles [Chriſtianis pudori] vacabant, nonnunquam cò pertingere poſſint, ut actiones edantur conformiter Legi naturæ ac etiam intuitu perfectionum Divinarum, id ſine Pelagianiſmi nota aſſeritur, conf. (§. 1046. 1047. 1051.). Quòd ſi objiciatur illud Apoſtoli, Rom. 14: 23. quicquid non è fide veniat, peccatum eſſe, tenendum, eum ibi non loqui de fide ſalvifica, verùm [ùt ſcopus Ipſius clarè oſtendit] de conſcientia vel perſuaſione, num actio quædam bona ſit aut mala, conf. 1. Cor. 8: 7. ut ſibi velit, eum, qui dubitet de actione, num ſit bona, & tamen eam committat, etſi vel maximè mala non fuerit, nihilominùs male agere, quia agat contra conſcientiam dubiam (*Mor.* §. 75.), quoniam, qui contra conſcientiam [fidem vel perſuaſionem, num quid licitum ſit nec ne] talem agat, reſpectu Ipſius tantundem ſit, ac ſi egiſſet contra impellentem aut vetantem (*Mor.* §. 78.), hinc committat peccatum, vid. quoad hocce dictum WOLFIUS *hor. ſubſec.* An. 1731. *trim. brum.* p. 109 -- 113. faciunt huc verba LEIBN. l. cit. »quanquam verum ſit, quic»quid non eſt ex fide, vel recta conſcientia, coram »Deo eſſe peccatò inquinatum, ſaltem virtualiter, ut »ſic dicamus, ſeu quòdam cum cæteris pravis nexu.» Item quoad actiones irregenitorum *cauſ. Dei* §. 96. »ſemper tamen ex radice infecta procedunt, quæ agunt, »& aliquid pravi [etſi interdum habitualiter tantùm] »admiſcetur.

Perfectio actionis. 1166. Quòd ſi actio fieret è motivo triplicis illius obligationis (§. 1163.) ſimùl, ut hæc præ oculis haberetur, & quidem ita, ut non adeſſet motivum ex appetitu ſenſitivo aut affectibus proveniens, dicenda eſſet *planè perfecta*, vel talis *ſine mixtura*; ſi autem fieret equidem è triplici illo motivo, interim non ſine appetitu aut affectibus,

bus., *perfecta*; quòd si fieret è motivo duplicis inferioris obligationis (§. 1164.), adeòque juxta naturam emendatam (§. 1046. 1047.), & id sine appetitu aut affectibus, dici posset *naturaliter perfecta*, si verò cum hisce, *minùs* talis; si tandem fieret è motivo supremæ obligationis (§. 1164.), adeòque proveniret è vita spirituali (§. 1054.), hinc sanctitate (§. 1160), ac id sine facultate appetitiva inferiori, dici deberet *spiritualiter perfecta*, vel *merè sancta*, si autem simul è facultate ea, *minùs perfecta spiritualiter*, vel simpliciter *sancta*.

Sch. 1. *Plane perfecta* dici debet actio in primo casu, quià omni consensui tunc satisfaceret, nempe consensui cum Lege naturæ (§. 74.), cum perfectionibus Divinis per Rationem cognitis (§. 54.), & cum gratitudine ob liberationem à Christo præstitam (§. 1157.); interim non dicimus, tales dari actiones; ratio perfectionis adeò in iis est composita: dum quælibet obligationum illarum ac inde orientium actionum suam habet rationem perfectionis (*Met.* §. 154.), unde perfectio major (ib.); hinc ubi uni solùm satisfit rationi perfectionis, ibi actio tamen nondum dissensum nanciscitur, ut liquet è (§. cit.), è quo & confirmatur, quod positum (sch. 2. 3. §. præced.). Quòd verò triplex illa obligatio præ oculis habenda esset, patet etiam inde, quià gratia non tollit naturam, verùm elevat (§. 1042. 1047. 1048.); actio *naturaliter perfecta* ut & *minùs* talis complectitur adeò tum piam tum virtuosam (*Mor.* §. 64. 670.).

Sch. 2. Quamvis actionem minùs perfectam plùs aut minùs talem fieri, prout appetitus sensitivus magis aut minus item affectus plùs aut minùs vehementes nec non plures aut pauciores se immiscuerint, quivis per se intelligit; affectus equidem ita debent inflecti, ut eòdem tendant, quò Ratio (*Mor.* §. 431.), hinc & qùò Ratio collustrata, interim id sibi non vult, quòd actio non esset magis perfecta, si appetitus cum affectibus se non immisceret [siquidem hisce commacu-

latur, nec manet pura] verùm tantùm, quòd, ubi adsint, ita inflecti debeant, item utiles esse possint, ubi resistentia contrarii; si talis, pretium actionis suô sensu augetur, dum agens majorem meretur laudem, quòd resistentiâ, non obstante tamen rem confecerit, item dum inde arguitur major sive Rationis sive gratiæ vis ac mensura; interim in altero casu, ubi nulla talis resistentia pretiô majori gaudet actio, quòd tum majori cum alacritate & ardore perficiatur, ac maneat pura. Actio adeò potest esse magis aut minùs perfecta, etsi materialiter seu externè eadem sit, ut & intelligitur è (sch. §. 1162.).

Sanctitas cujusnam continuatio.

1167. *Est autem sanctitas continuatio conversionis seu regenerationis:* namque cùm sit studium actiones determinandi ad gloriam Dei ac Christi (§. 1160.), & verò tale studium imprimatur in regeneratione (§. 1041. coll. 1057.), oportet in sanctitate continuetur, hinc hæc sit continuatio illius.

Sanctitas quippe etiam id est, quod fides forâs ostendit (§. 1092. 1155. 1156.), jam verò fides est continuatio vocationis efficacis seu conversionis (§. 1073.). Eôdem modô & Theologi sanctitatem considerant, vid. ex. gr. LAMPIUS Gnaden-Bund *to.* 1. p. 485. uti ergo in operibus naturæ conservatio se habet ad creationem (§. 570.), ita in operibus gratiæ sanctitas ad conversionem; sanctitas ideò est status conversionis seu vocationis efficacis (sch. 2. §. 1010. sch. 2. §. 1057. Unde necessitas concursûs Divini vel gratiæ (§. 1067.) ad bonum peragendum, cui ideò semper adscribendum, non insitiantibus id gentilium Sapientioribus, hinc BIAS ὅ τι ἂν ἀγαθὸν πράττῃς, εἰς θεὸς ἀναπέμπε, *si quid boni feceris, id Diis acceptum refer*, apud LAERTIUM *Lib.* 1. p. m. 22. F. inde &, ut Deus succurrat, si homo bonum peragere debeat, necesse tenuêre, vid. *Histoire de la Philos. Payenne, to.* 1. *Chap.* 17. p. 375. seq.

Sanctificatio quid.

1168. Mutatio, quæ in homine fit, ubi ad sanctitatem perducitur, seu

seu per quam id fit, dicitur *sanctificatio*, ac homo tunc *sanctificari*, ut sanctificatio itidem sit conversio continuata (§. 1167.).

Sanctificatio autem sumi potest, vel activè, seu à parte ejus, qui eam imprimit, vel passivè, seu à parte ejus, cui imprimitur, uti & vocatio efficax seu conversio ita duplici modò sumi potest (sch. 3. §. 1058.), sanctificatio activa ideò est continuatio conversionis activæ, & passiva conversionis passivæ.

1169. *Sanctitas itaque & sanctificatio peraguntur in homine ipso, ut sint bonum internum:* cùm enim sint continuatio conversionis (§. 1167. 1168.), hæc autem peragatur in homine, seu intra ipsum: siquidem per eam vis hominis aliter dirigitur (§. 1022.), dum Intellectus illuminatur (§. 1033. 1035.), voluntas flectitur (§. 1026.), oportet & sanctificatio fiat in homine, vel intra ipsum. *Fit in homine ipso.*

Id amplius patebit, ubi in seq. ostendetur, per sanctitatem & sanctificationem Intellectum, voluntatem cum actionibus externis immutari. Prodit se jam inde discrimen inter justificationem & sanctificationem: illa namque peragitur extra hominem [siquidem fit à Deo pro tribunali] (§. 1143. 1147.) ut sit beneficium externum, hæc autem intra eum.

1170. Cùm sanctitas sit continuatio conversionis (§. 1167.), hujus autem auctor sit Deus (§. 1020.), ac fiat per operationes Sp. S. (§. 1021.), oportet & *sanctitatis auctor sit Deus ac Sp. S.* Ez. 20: 12. 1. Thess. 5: 23. 1. Cor. 6: 11. 1. Pet. 1: 2. *Auctor ejus.*

Sch. 1. Uti enim Deus est auctor continuationis existentiæ rerum (§. 572.), ita & continuationis conversionis, quæ cum conservatione habet analogiam (sch. §. 1167.); unde & sicuti in conservatione res ipsæ quoque agunt non obstante concursu Dei (§. 592. 593.), ita & non obstante, quòd Deus sit auctor sanctificationis, homo ipse quoque agit, vi à Deo concessâ (sch. 1. §. 1024.).

Sch. 2.

Sch. 2. Sanctificatio adscribitur adeò Spiritui Sancto juxta œconomiam personarum S. S. Trinitatis (sch. 1. §. 861.), unde initium seu productio sanctificationis in regeneratione audit operatio Sp. S. (§. 1021.), & regeneratio ipsa Ei adscribitur, vid. (sch. 2. §. 1058.); hinc iterum discrimen se ostendit justificationem inter & sanctificationem: illa enim fit sanguine Christi (sch. 1. §. 957. coll. §. 1119. & sch.), hæc verò per Sp. Ipsius 1. Cor. 6: 11. quem mittendi potestatem nactus est exaltatione sui, vid. (sch. 4. §. 908.), ut sanctificatio Sp. S. sit gubernatio Christi (§. 978. conf. & sch. §. 668. sch. §. 972. sch. §. 1028.). Conveniens est, ut Spiritus S. Opus sanctificationis, & id, quod sanctificatio præsupponit, nimirum conversionem fidemque peragat: namque convenit, ut quælibet SS. Triados persona respectu peccatoris & quoad salutem ipsi procurandam peculiarem habeat relationem, jam cùm Pater habeat relationem Judicis, Filius Liberatoris (sch. 1. §. 861.), Sp. S. nil aliud relinquitur, nisi ut liberationem applicet operando conditiones fœderis gratiæ (§. 993. coll. sch. 1. §. 1003.), unde & patet, quare Pater ab æterno id à Spiritu Sancto petierit (sch. 3. §. 453.).

Sch. 3. Est verò Deus etiam Sanctitatis exemplar, seu causa ejus exemplaris, Lev. 11: 44. 19: 2. Matth. 5: 48. 1. Pet. 1: 16. vid. D'OUTREIN *waare heyligmak.* p. 89. seq. nempe dum Deus gloriam suam illustrare intendit omnibus suis operibus tanquam mediis (§. 49. 270.), hinc bonum amat ac sectatur (§. 275. 333. & sch. §. 624.), ita homo similiter gloriam Dei ut illustret, ac bonum sectetur, omnibus suis actionibus studere debet (§. 60. sch. 2. §. 271.), quod fit per sanctitatis studium (§. 1161. & sch. §. 1162.), atque ita Deo se conformare, nempe quâdantenus, quantum status hominis præsens & imperfectio sanctitatis (qua de in seq.) admittit, ut adeò, etsi similitudo quædam deprehendatur, tamen dissimilitudo restet ferè infinita (§. 332. 333. & sch.), non aliter ac respectu similitudinis quoad Deum & animam (§. 320.). Nec minùs Christus in statu exinationis est exemplar sanctitatis nostræ, quo de jam (§. 918. & sch. ib.), vid. D'OUTREIN tract. modò cit. p. 139. seq. eadem autem ferè recurrunt quoad conformationem ad exemplar Christi, quæ quoad Deum.

1171.

1171. *Est autem sanctitas homini necessaria, seu ad eam est obligatus, idque etiam propter se ipsum:* est enim studium Deum ac Christum glorificandi (§. 1160.), & juxta præscriptum seu legem Eorum actiones determinandi (§. 1158.), jam verò glorificatio Dei est æternæ obligationis (§. 52. 56. coll. §. 674.), ùt & observatio Legis Ipsius (§. 75. 722.), quæ est lex Christi (§. 914. 915.), & cùm hic beneficia immerita maxima (§. 837. 942. 1143. 1152.) passionibus attrocibus sit commeritus (§. 898. 952. 1120.), gratitudo justissimè Ipsi debetur, per princ. Moral. (*Mor.* §. 134.), hæc autem ostenditur per sanctitatem (§. 1160.); cùm porro glorificatio ea prodat veram fidem (§. 1092.), sine qua justificatio non obtinetur (§. 1129.), absque sanctitate vitæ æternæ nulla spes Heb. 12: 14. ut adeò & propter se ipsum homo ad sanctitatem sit obligatus. Necessitas.

Sch. 1. Conf. (§. 1092. 1156. seq.), in quibus, quæ (§. præs.) posita, determinata sunt; sanctitas ideò & conditio est fœderis gratiæ, nempe dum promissiones fœderis hujus (§. 992.) nonnisi iis obtingere possunt, qui consensum præbent in causam eorum meritoriam (§. 802. 1134. sch. 2. §. 1137.), consensus hic autem præbetur per fidem (§. 1128.), & verò fidei veræ comes est sanctitas (§. 1092. 1155. 1160.), hinc & per sanctitatem consensus ille præbetur, vel saltem ostenditur, quòd quis consensum per fidem præbuerit ac præbeat, inde & sanctitas est necessaria; consentit nimirùm homo per sanctitatem, dum ad eundem tendit finem, ad quem Christus, jam autem Christus redemtione suâ etiam pro fine habuit, ut homo sanctitati studeret 2. Cor. 5: 15. Tit. 2: 14. quæ hinc nonnisi talibus in bonum cedit Heb. 10: 14. Sanctitas est necessaria quoque, quià per eam gratia satisfactoris impetrari potest (sch. §. 959.): dum beneficium nonnisi petenti & grato conferre quis tendit, jam per

per glorificationem Christi gratia ejus impetratur (sch. 3. §. 1092.), ergo per sanctitatem (§. 1160.); hisce rationibus nititur & illa, quæ desumta à certitudine electionis (§. 466.); vid. etiam de necessitate sanctitatis D'OUTREIN tract. cit. p. 223. seq. hominum carnalium aliorumque contra necessitatem sanctitatis exceptiones lubricas ac profanas graviter diluit OSTERVALD *Sources to.* 1. p. 84. seq. E modò dictis autem & perspici potest quod memoratum (sch. 1. §. 963.).

Sch. 2. Quoniam adeò sanctitas necessariò requiritur in homine ob justificationem, seu ut hujus certus esse possit, hinc & una sine altera non est, ideò benè ac eleganter dicuntur esse quasi sorores, quæ se constanter manu teneant, ut neutra alteram deserat, item duo annuli in catena aurea salutis individuò cohærentes nexu, quorum si unus rumpatur, tota rumpatur catena, ut salus sibi ampliùs non constet, quæ catena est nexus beneficiorum (sch. 2. §. 1057.), quorum neutrum sine altero sibi constat. Eò & pertinet, quòd V. D. [inter quos D'OUTREIN p. 29.] velint vocem ἀγιάζειν quibusdam locis, uti Heb. 2: 10. 9: 13. coll. 14. 10: 10. 13: 12. justificationem quoque innuere; item quòd ii, quibus obtigerit מרפא *sanatio* à sole justitiæ, id est, justificatio, dein proficiant [in bono per sanctificationem] כעגלי מרבק *sicut vituli*, qui grana triturando in *vinculis*, eorum esu *pinguescunt*, (juxta BOCHARTUM, qui eruditè hac de re *Hieroz. P.* 1. *L.* 2. *C.* 31. p. 302-304.) Mal. 4: 2.

Bona Opera. 1172. Actiones, quæ determinantur è studio vel motivo Deum per Christum glorificandi, adeòque actiones sanctæ (§. 1116.), dicuntur *Opera bona*, quæ adeò sunt effectus sanctitatis, signa externa conatûs Deum per Christum glorificandi (§. 1092.), ac sanctitas studium vel exercitium bonorum operum (§. 1160.).

Hinc & Opera hæcce sunt signa externa grati erga Deum ac Liberatorem animi, seu demonstrationes gratitudinis erga Deum in Christo (§. 1160.), item sunt gratiæ

gratiæ effectus, ùt patet è (§. 1170.). Tale Opus est individuum actionis, hinc quoad omnia determinatum (*Log. C.* 1. §. 27.). Dicuntur autem actiones hæ vel Opera *bona*, non quòd cæteræ actiones, quæ fiunt è motivo statum perficiendi aut è motivo perfectionum Dei per Rationem cognitarum, per & in se sint malæ, vid. (sch. 2. 3. §. 1165.), verùm sensu eminentiori sunt bona, ac dicuntur *Opera bona*, dum excelsius addunt motivum, scil. gloriam Dei in Christo, seu Opus redemtionis (§. 1163. 1164.), vi cujus fiunt sanctæ (§. 1166.), ac spiritualiter bonæ (§. 598.).

1173. Quare cùm glorificatio Dei in Christo cum fide sit conjuncta (§. 1092.), adeòque ex hac veniat, item ibi locum habeat, ubi actiones determinantur juxta præscriptum Dei ac Christi (§. 1158. coll. 1159.), vel legem Divinam, *Opera bona sunt ea, quæ proveniunt è vera fide, ac Lege Dei sunt conformia.* *Quanam talia.*

Sch. 1. Præscriptum nempe Superioris esse legem quivis agnoscet. Requiritur adeò ad bonum Opus 1. bonus finis, scil. gloria Dei; 2. bonum principium, nimirùm fides, per quam gloria Dei fit simùl gloria Christi; 3. bona regula, quæ est lex Divina; ut verissimè hæc omnia ad bonum Opus requirat *Catech. Heidelb. Quæst.* 91. Ubi primum adest requisitum, ibi & secundum ac tertium: cùm hæc inde deduxerimus; & ubi secundum, ibi & primum ac tertium per (§. 1092. 1158. coll. 1159.); non autem, ubi tertium, ibi reliqua: siquidem actio potest aliquando esse conformis Legi Divinæ materialiter, ut tamen lex hæc præ oculis non habeatur, minùs glorificatio Dei in Christo, & minus, adhuc conatus felicitatem in Christo quærendi eò impellat.

Sch. 2. Ita ergo requisitô illo actionum sanctarum suprà positô (§. 1166.), & unde definitionem earum desumebamus, plura simùl ponuntur ac involvuntur. Quomodo autem & quando actiones vel Opera è fide proveniat, exprimere juvat verbis Cl. Wolfii *hor. subsec. Ann.* 2730. *trim. vern.* p. 184. » Quando » Opera Legi Divinæ conformia per motiva à veritate » revelata

» revelata petita determinantur, tunc veræ fidei fructus » sunt: neque enim veritates Divinitùs revelatæ per » modum motivorum influunt in appetitum, nisi quâ- » tenus assensu salutari easdem complectaris, ut non » modo certus sis, vera esse & à Deo revelata, quæ ex » Scriptura S. didicisti, verùm etiam eadem ad te sta- » tumque tuum applicare studeas; atque hinc suâ veluti » sponte patet, quòd bona Opera sequantur fidem, » neque adeò cadant nisi in hominem regenitum.» Ex hisce adeò & liquet, quòd rectè omnino & cur Theologis bona Opera audiant *fructus fidei*, per defin. fructûs (§. 967.).

Sch. 3. Inde & per se clarum est, quòd, dum ad fidem cognitio requiritur (§. 1078. 1079.), bona Opera autem è fide provenire debeant, ideò cognitio prærequiratur, si bona Opera locum habere debeant: tantò magis, quia Opera hæcce tum demum gignuntur, ubi quis assensu salutari veritates revelatas amplexus fuerit; ut audivimus (sch. 2.), id autem, quòd cognitionem præsupponat, eamque vivam, per se liquet, repetenda, & quæ quoad assensum in fide dicta (§. 1082--1088.); speciatim, cùm Opera bona debeant fieri ad gloriam Dei, ac conformia esse Legi Divinæ, requiritur, ut cognoscatur, quomodo Deus glorificetur, & cognoscatur lex Ipsius, num ea quid jubeat an vetet, item natura actionis; adeòque Opera bona neutiquam debent fieri cum vel è conscientia dubia (*Mor.* §. 75.), quod & PAULUS sibi vult Rom. 14: 23.

Obligatio ad ea. 1174. Patet è dictis, *ad bona Opera hominem teneri triplici obligatione respectu Dei Christique, & unâ respectu sui-ipsius*: quippe 1. respectu Dei, ut lex Ipsius observetur; 2. respectu Christi, ut verâ assumatur fide, gratusque erga Eum animus testatus fiat; 3. respectu Dei ac Christi simul, ut gloria utriusque illustretur; 4. respectu hominis ipsius, ut fidei suæ inde certus fiat; vid. (§. 1171. 1173.).

Motivum sanè exinde oritur ad bona Opera præstanda, motivi autem cum actione connexione facit obligationem

ad

ad hanc (*Mor.* §. 8.). Necessitas bonorum operum adeò est eadem, quæ sanctitatis (§. 1171.), unde Amsdorfius etsi non malè sensisse judicandus sit, tamen incautè & malè locutus est. Pontificii verò Protestantibus injuriam faciunt, dum hisce imputant, quòd necessitatem bonorum operum doctrinâ suâ aut tollant, aut saltem valde diminuant; legi autem hanc in rem potest ac meretur Röberi *disput. de vitæ evangelicorum emendatione summè necessariè*, recusa Lips. 1714.

1175. Cùm actio, ad quam quis obligatur, sit officium (*Mor.* §. 221.), *bona Opera sunt officia.* *Sunt officia.*

Sch. 1. Quare, quòd dentur officia Christiani, uti & hominis nonnisi sanâ Ratione ducti (§. 57. 81.), erga Deum, se ipsum ac alios, per se patet. Apostolus ea exprimit per *vivere* σωφρόνως [erga se ipsum] δικαίως [erga alios] καὶ εὐσεβῶς [erga Deum] Tit. 2: 12. ut bona Opera spectent aut Deum, aut hominem ipsum, qui ea præstat, aut & alios; quod adeò est objectum personale bonorum Operum, ut hinc tale habeant non minùs, ac peccata eorum opposita (sch. 1. §. 818.). Ratione hujus divisionis Pontificii bona Opera restringunt præcipuè vel pro talibus habent, orationem, jejunium & eleemosynam, oratio quippe est officium erga Deum (*Mor.* §. 740.), jejunium erga seipsum, includit nempe temperantiam, eleemosyna erga alios (ib. §. 960.).

Sch. 2. Officia Veteribus Philosophis τὰ καθήκοντα; Zenoni [Citiæo Stoicorum Duci] primùm appellatum fuisse τὸ καθῆκον, ἀπὸ τῆς κατά τινας ἥκειν *quia ad certos quosdam pertineat*, hi tenebant, Laertius in *Zen.* p. m. 189. 190. iidem Stoici officia dicebat esse, ὅσα λόγος αἱρεῖ ποιεῖν *quæcunque Ratio fieri postulat*, *ib.* à quibus distinguebant κατορθώματα à solo peragenda Sapiente. Quoad virtutes autem & officia, ubi Scriptoribus gentilibus, præsertim iis, qui non Philosophi, memorantur, tenendum, quòd neutiquàm [etiam quoad materiale actionum] tam latè pateant, & termini ita sumendi sint, ùt apud Scriptores S. vel aliàs Christianos, imò ipsis Scriptoribus gentilibus pro diversis Sectis, quibus addicti, aut populis &c. de quibus loquuntur, aut aliâs, diversimodè sumantur, quæ si non observentur, non rectè Scriptores exponuntur;

vid. eruditè de hisce CLERICUS *art. Crit. P. 2. Sect. 1. C. 6.* ubi speciatim quoad virtutem justitiæ (§. 1--7.). Etiam Judæi officia erga proximum ita arctè restringebant, ut extraneos [id est aliùs Religionis ac regionis] ea quoque spectare sibi persuadere nollent, unde hostilis erga omnes alios odii, μισανθρωπίας item infamiâ notantur Scriptoribus gentilibus; vid. GROTIUS *ℒ. B. P. Lib. 2. Cap. 15. §. 9.*

Faciunt ad perfectionem 1176. Bona Opera quum debeant esse conformia Legi Divinæ (§. 1173.), lex autem Dei revelata æque ac naturalis statum hominis perficiat (§. 60. 78.), *bona Opera statum hominis Christiani perfectiorem reddunt*, vel *faciunt ad perfectionem hominis Christiani.*

Inde & Deus ac Christus Opera bona dum postulant, testatum faciunt affectum paternum, qui felicitate suorum gaudet, non minùs ac per legem naturæ (§. 79.). Uti verò per Legis naturæ observationem utpotè imperfectam non plus obtinetur, nisi ut imperfectio magis magisque evitetur (*Mor. §. 44. 63.*), ita & per bona Opera idem fit, ut inde nulla exurgat perfectio hominis regeniti, uti & in seq. videbimus.

Inde virtus Christiana. 1177. Quare cùm virtus sit habitus se aliosque perfectiores reddendi (*Mor. §. 65.*), *habitus bona Opera præstandi constituit virtutem Christianam*: tantò magis quòd virtus sit habitus actiones conformandi Legi naturæ (ib. §. 64.), bona Opera autem Legi Divinæ debeant esse conformia (§. 1173.).

Sch. 1. Sumitur nempe hîc virtus sensu generali pro habitu actiones Legi conformandi, cùm alias respectu officiorum (§. 1175. & sch. ib.) multæ speciales exoriantur virtutes. Dicitur virtus hæc Christiana etiam ideò, quià pro exemplari habet Christum (sch. 2. §. 1170.), unde & hâc ratione Christus glorificatur, vid. solùm (§. 1159. & sch. 1.).

Sch. 2. Discrimen adeò satis perspicitur inter virtutem *naturalem* dictam seu *Philosophicam* & *Christianam* seu *Theolo-*

Theologicam, conf. (*Mor.* §. 677.); Christiana nempe [ut reliqua omittamus] è vera nonnisi provenit fide; inde cùm fides tendat Deum in Christo glorificare (§. 1092.), quod & ad bonum Opus requiritur (1172.), hinc ut perfectiones Dei in Opere redemtionis exhibitæ præ oculis habeantur (sch. §. 1161.), ideò habitus bona Opera præstandi posset & dici *pietas Christiana*, ut, ubi virtus Christiana, ibi & pietas Christiana.

Sch. 3. Virtus in genere cùm sit habitus se aliosque perfectiores reddendi, etiam pulchritudine gaudet: è perfectione namque pulchritudo resultat, cùm *pulchrum* sit, quod placet, seu voluptatem affert, id autem oritur è sensu perfectionis (*Met.* §. 404.); legendus de pulchritudine virtutis J. P. De Crousaz *traitè du beau Chap.* 10. Unde è contra Vitium deforme: siquidem imperfectionem homini inducit (*Mor.* §. 69.); atque sic ab una parte σεφαναι virtus, & αἱ ἄλλαι πᾶσαι ἀρεταὶ *cætera speciales omnes*, ab altera ostendit, eos, qui ab opposita parte agunt, ὡς κακῶς καὶ ἀθλίως ζῶσι, καὶ ὡς ναυαγοῦσιν ἐν τῷ βίῳ, *male & miserè, ac vitæ naufragium facere*, Cebes *in tabula* p. 203. 206. edit. Delph. 1723.

1178. *Virtus Christiana igitur non differt à sanctitate:* quippe hæc est studium vel exercitum bonorum Operum (§. 1172.), adeòque habitus, & ostenditur actiones determinando juxta præscriptum Dei ac Christi (§. 1160.), seu legem, at idem de virtute Christiana valet (§. 1177.). *Eadem cum sanctitate.*

Proinde quæ est necessitas sanctitatis (§. 1171.), & obligatio ad bona Opera (§. 1174.), eadem & necessitas virtutis Christianæ ac obligatio ad eam; cui addenda obligatio ob voluptatem inde percipiendam, quæ sanè apud eos, qui gustum harum rerum quendam habent, nec solùm de iis loqui & scribere sciunt, verùm internè sentiunt, magni ponderis est motivum, legi merentur hanc in rem, quæ Cl. Wolfius *hor. subsec. Ann.* 1730. *trim. vern. de volupt. è virt. Christ. percipienda.* Specialiùs autem de officiis ac virtutibus & praxi in iis agere pertinet ad Theologiam moralem [quæ non est nisi ampla evolutio ejus, quod

in Theolog. dogm. materia de sanctificatione traditur] quod ideò & pro seq. monuisse sufficiat.

Opus bonum quando perfectum.

1179. Quum Opus bonum sit actio sancta (§. 1172.), ad talem autem, si debeat esse perfecta vel merè, sancta, requiratur, ut fiat è motivo Deum per Christum glorificandi sine impulsu appetitûs sensitivi ac affectuum (§. 1166.), porro motivô Deum ita glorificandi simùl determinetur, ut proveniat è fide, ac Legi Dei sit conforme (§. 1173.), sequitur, *quòd bonum Opus tum foret perfectum, ubi sine impulsa appetitûs ac affectuum fieret è motivo Deum per Christum glorificandi, hinc è fide proveniet quoad omnia, ac in omnibus Legi Divinæ conforme esset.*

Sch. 1. Quoad omnia Opus debet provenire è fide & in omnibus Legi Divinæ conforme esse, quia actio hinc Opus sæpissimè componitur è pluribus simplicibus (per princ. ontol.), è quibus quædam possunt cum Lege convenire, quædam non, &c. ideò ut actio tota sit Opus bonum perfectum, omnes actiones simplices, è quibus est composita, debent Legi esse conformes, fieri è motivo Deum per Christum glorificandi, hinc vera fide, & quidem sine impulsu appetitûs sensitivi ac affectuum.

Sch. 2. Nempe ad Opus bonum seu actionem sanctam (*Met.* §. 1177. coll. 1178.) sufficit, si suprema præ oculis habeatur obligatio (§. 1166.), quòd si & reliquæ præ oculis haberentur (§. 1163.), tum equidem fieret mixtum è natura emendata & gratia (§. 1146--1148.), ac posset dici *gratiæ non meræ effectus*, interim non commacularetur, nec pretium ejus imminueretur (§. 1166.), si nempe supponeretur impulsus gratiæ æque fortis esse; quòd si verò naturæ corruptæ reliquiæ, appetitus sensitivus ac affectus, simùl impellant, tum fit ac dici debet *commaculatum*, præsertim si non ex concordia cum Ratione, licèt aliâs, ùt infra dicetur, affectus adesse possint ac debeant, quò scil. aliud aut majus malum evitetur; conf. autem & dijudicentur, quæ CANZIUS *uſ. Philoſ. Leibn.* tv. 1. *Cap.* 14. §. 7--10. 13.

1180.

1180. *Sanctitas* jam cùm sit studium bonorum operum (§. 1172.), sequitur, quòd *esset perfecta, ubi* 1. *nonnisi bona peragerentur Opera;* 2. *horum Operum quodlibet esset perfectum:* perfectio enim exurgit è consensu variorum, item ipsa horum tanquam partium perfectione (*Met.* §. 152. 154. 173.), at si alia quàm bona peraguntur Opera, tum dissensus est in complexu actionum hominis: quià non ex eodem determinantur motivo; & si non quodvis Opus sit perfectum, partibus deest perfectio. *Sanctitas quandonam perfecta.*

Vita hominis scil. est complexus vel aggregatum plurimarum actionum, [intelligimus nempe morales] (§. 64.) uti jam tum est perfecta, ubi omnes inter se consentiunt (*Met.* §. 152.), seu tanquam partes eòdem tendunt, ita similiter sanctitas est complexus plurimarum actionum: cùm sit exercitium bonorum operum (§. 1172.), & si debet esse perfecta, omnes ea actiones tanquàm partes eòdem tendere debent, scil. ut Deus per Christum glorificetur (§. 1160.), porro harum actionum eæ, quæ compositæ è pluribus simplicibus, nil in se continere, nisi quod inde provéniat, hinc sine impulsu appetitûs ac affectuum, Legique Divinæ sit conforme (§. 1170. & sch. ib.). Ita ergò & duæ sunt rationes perfectionis (*Met.* §. 154. 160.) in sanctitate.

1181. Perfectionem illam sanctitatis, quâ, quicquid ageretur, seu omnes actiones, essent Opera bona, dicimus *perfectionem partium*, illam verò, quâ insuper Opera hæcce gradum perfectionis debitum (§. 1179.) haberent, *perfectionem graduum.* *Perfectionis in illa divisio.*

Sch. 1. In priori nulla est actio contraria, per quam interrumpatur, nil eam subterfugit, hinc omnes Leges Divinæ observantur; in posteriori verò ipsa quælibet talis actio adhuc nil contrarii in se continet, ut perfectionis magnitudine gaudeat (*Met.* §. 154.), hinc in ea Leges Divinæ omni sensu & completè ob-

servantur. Exemplum potest præbere artificium quoddam aureum, partes ejus omnes si sint aureæ, esset hæc perfectio partium, [ad materiam nempe solam hîc respicimus] si verò præterea aurum, unde constant, sit sine mixtura, purissimum, esset perfectio graduum. Perfectio partium esset extensiva, graduum verò adhuc adderet intensionem, vel intensivam.

Sch. 2. Perfectio graduum in sanctitate ideò continet illam partium, & hæc prius adesse debet, si illa locum habere debeat: aliâs equidem Opus quoddam posset esse perfectum, interim non sanctitas, cum interrumperetur actionibus contrariis &c. ubi autem hoc, ibi nondum perfectio (*Met.* §. 152.). Graduum perfectio propterea excellentior multò est illâ partium.

Ulterior. 1182. Perfectio graduum aliâs & dicitur *legalis*: siquidem lex Dei omnium actionum conformationem postulat, ac ut in qualibet nil deficiat (§. 722.) Matth. 22: 37. seq. Jac. 2: 10. cui opponitur *evangelica*, consistens in enixo studio actiones illi ita conformandi, non verò actuali conformatione, & in qua quod deficit, perfectâ Christi sanctitate seu justitiâ (§. 879. 918. 954.) resarcitur.

Sch. 1. Lex Dei vult, ut Deus honoretur, perfectè nempe: siquidem voluntas Dei non aliud potest approbare (sch. §. 333.), consequenter ut nullum aliud homo habeat motivum, quod Christus solus præstitit [§. 879. & sch. ib. §. 918.], ut hinc ipse solus præstiterit justitiam legalem, ac sanctitas Ipsius habuerit perfectionem partium & graduum.

Sch. 2. Perfectio evangelica adeò reapse est imperfectio: siquidem in ea multi dissensus. Perfectio autem legalis vel graduum, etsi poneretur respectu futuri, tamen non tolleret justificationis per fidem necessitatem; siquidem hâc nihilominùs opus esset respectu præteriti seu ob peccata anteacta; cæterùm de perfectione illa utraque conf. & LAMPIUS **Gnaden-Bund**, *to.* 1. p. 528--533.

Imperfectio 1183. *Sanctitas omnis in statu re-*

stituto

ſtitutio eſt imperfecta : namque expe- *ſanctitatis.*
rientia propria ſat ſuperque teſtatur, 1. actiones multas edi, quæ in ſe ſint malæ, Legi Dei contrariæ (§. 82. 820.), item aliâs non tendant ad gloriam Dei in Chriſto; aut ſi id non eſſet apud quaſdam, tamen 2. non fieri è ſolo ſtudio gloriæ Dei in Chriſto illuſtrandæ.

Sch. 1. Sanctitatis imperfectio adeò eſt tam extenſiva, quàm intenſiva; dum partes ſanctitatis, id eſt, actiones ſingulares non omnes adſunt, quod conſtituit defectum extenſivum; dein quòd ipſæ hæ partes, etſi vel maximè adeſſent, tamen imperfectione laborent, quod facit defectum intenſivum. Priori defectu ſanctitas per peccata eſt interrupta, poſteriori Opera ipſa, quæ bona ſpiritualiter, tamen ſunt commaculata. Scriptura imperfectionem ſanctitatis edocet v. g. 1. Reg. 8: 46. Eccl. 7: 20. Jac. 3: 2. 1. Joh. 1: 8. item locis, ubi de lucta carnis & Spiritûs, unde in ſeq. porro patebit. Dum ita de corruptione originali ſemper adhæret, quod retrahit ab ulteriori progreſſu in bono ſpirituali (§. 598.), ideò non ſolum *inertia*, quæ ſupra (§. 613.) dicta ſpiritualis, quia ſpiritibus ſeu animæ ineſt, reſpectu boni in genere, verum *in ſpiritualibus* in regeneratis deprehenditur.

Sch. 2. In Ipſa hacce imperfectione autem adhuc dantur gradus, ùt facilè quivis videt: dum magis aut minùs à perfectione receditur, longiùs aut propiùs ab ea abitur, ut unus plura edat Opera ad gloriam Dei in Chriſto quàm alter, ipſaque hæcce Opera minùs ſint commaculata ac alterius; hinc alterum ſuperet & quantitate & qualitate bonorum operum, & quidem aliquando longè, inde comparativè ad talem poſſit audire perfectus [ſuti & Judæi diſtinguebant inter צדיקים & צדיקים גמורים] multò magis ad talem, qui nondum ſtudio ſanctitatis incumbit; quô modô Scripturæ loca ſumenda, quibus perfectio regenitis aſſeritur, v. g. Gen. 6: 9. Pſ. 15: 2. Luc. 1: 6. Gal. 6: 2. Col. 1: 28. 1. Joh. 3: 22. ut de perfectione evangelica (§. 1182.) ſint intelligenda: vi analogiæ Scripturæ (§. 167.) [tantò magis, quod τελειότης prædicetur nonniſi ob habitum linguam compeſcendi Jac. 3: 2.] cùm aliâs contrariarentur aliis Scripturæ locis claris, item experientiæ, ad quam in explicatione Scripturæ maximè reſpiciendum (§. 205.). Sunt aliæ adhuc rationes, ob quas fidelibus ſatis convenit appellatio τῶν τελείων, quas

erudite ac scitè exponit HERM. REINEIRS *Biblioth. Brem. Classf.* 4. *fascic.* 6. p. 949. seq. Scriptores græcos nempe vocem eam adhibuisse v. g. de animali adultæ staturæ, de initiatis, de athletis, de iis, qui in virtute proficere studebant &c. jam credentes esse τελείους, quod participes sint justitiæ Christi, per quam τελείωσις parta, Heb. 7: 19. 10: 14. porro quoad cognitionem comparatè tum ad νηπίους V. T. tùm ad alios inter ς, qui incipientes, τελ~ enim & notare doctrinâ proficere; item quâ athletas tum ob alia, tum ob mala patienter perferenda, in quo gentiles etiam τελειότητα posuerint, eò pertinere loca Phil. 3: 15. coll. v. 12--14. Col. 4: 12. Jac. 1: 4. denique [ut alia prætereamus] ob sinceritatem, εἰλικρινεῖς, ἄμεμπτοι, Matth. 10: 16. Phil. 4: 13. Apostolus loquitur nonnisi de præsentis vitæ conditione patienter & moderatè ferenda, constantia hinc animi pii, nec verò de perfectione morum & impeccantia; mandata etiam Dei gravia non sunt, 1. Joh. 5: 3. respectu habitò ad personas, quæ nempe Sp. S. corroborantur, quales & JOHANNES animo obversantes habet, uti quoque Philosophi virtutem non difficilem dicunt homini Rationi obsequenti, licet affectuum servo sit difficillima.

Sch. 3. Ex hacce sanctitatis imperfectione proporro se ostendit discrimen inter eam & justificationem: dum hæc est perfecta, siquidem non solùm omnia remittuntur peccata, verùm & quodlibet ita prorsus remittitur, ut nulla ampliùs pœna, nequidem temporalis, sit perferenda (§. 1144. & sch. 1. 2. ib.), ac justificatio possit dici gaudere perfectione partium & graduum. Interim semper æqualiter manet sanctitatis necessitas, etsi sit imperfecta: Scriptura namque eam postulat, qualis in præsenti statu apud homines locum habet, & requiritur per dicta (§. 1171.); inde imperfectio piorum neutiquam in quendam debet trahi prætextum, qui sanctitatis studio officiat, legatur hanc in rem OSTERVALD *sources &c. to.* 1. p. 110--116.

Inde necessitas respiscentiæ quotidianæ.

1184. Ideò cùm sanctitas sit imperfecta, & defectu non unò laboret (§. 1183.), omnino semper resarcienda est, ne porrò per peccata interrumpatur, è contrà Operà fiant modò debitò

bitô (§. 1173. 1179.), quod cùm constituat *resipiscentiam quotidianam*, patet, *in studio sanctitatis omnino opùs esse resipiscentiâ quotidianâ.*

Sch. 1. Resipiscentia hæcce contradistinctè ad illam, quæ in regeneratione se prodit, & inchoata dicitur (§. 1059. & sch. 1.), potest dici *iterata*, vel *iteranda*; unde, quomodo utraque differat, intelligitur, nimirùm non quoad rem ipsam & objectum: siquidem utraque occupatur in malo amoliendo, bono autem prosequendo, verùm quòd hæc illius sit continuatio, uti & sanctificatio hâc ratione differt à regeneratione (§. 1167.), item quòd illa præcedat justificationem, ut intelligitur è (§. 1072. 1076. 1131.), hæc verò sequatur; ideò quæ de resipiscentia inchoata dicta, quomodo se habere debeat (sch. 2. 3. §. 1059. sch. 1. §. 1060. §. 1061. & sch.), de iterata itidem valent, ut, quomodo hæc comparata esse debeat, satis intelligatur. Dicitur resipiscentia hebr. תשובה græc. μεταμέλεια.

Sch. 2. De confessione & satisfactione, quas Pontificii ad resipiscentiam seu pœnitentiam requirunt, repetantur dicta (sch. 2. §. 1060. sch. 2. §. 1144.); addimus, quòd Vetus Ecclesia ad puritatem morum conservandam, & ne gentiles haberent justam causam Christianos criminum arguendi, ab iis, qui in peccata graviora prolapsi, exegerit pœnitentiæ publicam testificationem, unde 4. illi gradus pœnitentiæ [μέθεξις nempe iis non annumeratur] nimirùm 1. προσκλαυσις *antestetus*; 2. ἀκρόασις *auditio*; 3. ὑποπτωσις *procidere in genua*; 4. σύνασις *cohabitatio*; ita Molinæus *novit. Papism. Lib.* 7. *controv.* 6. eôdem ordine pœnitentium gradus exhibet ac μέθεξιν iis contradistinguit Dallæus, scil. τῶν κλαιόντων, ἀκροατῶν, ὑποπιπτόντων & συνισαμένων, *de pœn. & satisf. Lib.* 7. *Cap.* 5. Hæc verò instituta utilissima deinceps planè immutata, dum satisfactiones Deo ipsi fieri contendebant, nec solùm ad reparandum scandalum datum; porrò inde deducebant damnosum satisfactiones in alias permutandi, pecuniâ redimendi [unde, quod horrendum, facinora etiam atrocia certô pretiô æstimantur, seu ad absolutionem impetrandam certâ pecuniâ redimenda offeruntur in Libro authoritate Paparum publicato ac sæpiùs recuso, cujus inscriptio, *Taxa Cancellariæ*

Apostolicæ] ac ita ab iis dispensandi, hinc *indulgentiarum* [quarum & thesaurum liberè dispertiendum Pontifex Romanus accumulavit] in longum quoque tempus futurum institutum.

Sanctificatio successivè fit. 1185. Quandoquidem adeò quotidiè requiritur resipiscentia, quâ emenderur semper, quod deficit in sanctitate (§. 1184.), patet, *sanctificationem successivè procedere, & neutiquam simùl fieri.*

Habitus quippe omnes tam animæ quam corporis & illius tam intellectuales quàm morales successivè formari nemo negabit, conf. (*Met.* §. 525. *Mor.* §. 188. 434.). Inde iterum alia se prodit differentia inter justificationem & sanctificationem: illa enim simùl & semel fit coram tribunali Dei (sch. §. 1121. 1144.), hæc verò successivè admodum, longô temporis successu, plurimisque conatibus iteratis, ubi resipiscentiâ quotidianâ continuò redintegratur, quod in pejus ruit.

Merito nullus est locus. 1186. *Bonis operibus & sanctitate nequidem perfectâ homo apud Deum quid mereri possit:* namque ad meritum requiritur, ut Opus non sit perfectè debitum (§. 734.), jam verò Opera bona & sanctitas sunt talia, quæ perfectè debentur: siquidem constituunt glorificationem Dei (§. 1160. 1172.), hæc verò obligationis est æternæ (§. 52. 56. coll. 674.); porro ad illud requiritur, ut, erga quem quis præstare vult, ei quoad hoc non sit obnoxius (§. 735.), jam autem homo Deo omnimodè est obnoxius uti vi creationis conservationisque ac inde orientis dominii absoluti (§. 576.), sic & vi redemtionis (§. 971--973.); ulteriùs deberet aliqua intercedere æqualitas inter bona Opera, ac id, quod per ea homo imperrare vellet (§. 736.), at verò inter illa & salutem nulla intercedit æqualitas.

Sch. 1. Vid. & (§. 737. & sch. 1. §. 738.), quæ jam sufficiissent, nisi hic ut suô locô ex instituto hæc poni debuis-

debuissent, etiam ex aliis datis adhuc, quàm ibi, deduci potuissent. Meritum, dum dicit Opus indebitum, simùl sibi vult, ut propriis præstetur viribus, jam autem vires, quibus homo agit, sunt à Deo concessæ (§. 1020. 1170.); nec non ut ad alterum, de quo quis mereri vult, aliqua inde redundet utilitas, at ad Deum nulla nequidem species utilitatis redundare potest (§. 334.).

Sch. 2. Datur autem meritum duplici sensu, 1. rigidô illô (sch. §. 734.), ubi non solùm dignitas Operis vel convenientia inter id ac mercedem, verùm adhuc lex aut pactum expressum; tunc merces adjudicatur non tantùm ob convenientiam, & quià vires agendi aliorsum verti potuissent, verùm ob legem, aut conventionem expressam, quæ præcipiunt; tale meritum est operarii, ac esset *de condigno*. 2. Laxiore paulò, ubi quid præstatur, cujus compensatio Lege non postulatur, verùm compensatur remuneratione ob quandam convenientiam, & quia præstitum fuit viribus propriis, quas aliorsum vertere licuisset; ita merentur, qui beneficia in alios conferunt, & esset *de congruo*. Præter hæc, cui meriti nomen competat, non datur: *impropriè* namque tale est, ubi quis præstat equidem quid viribus propriis, quas autem aliorsum impendere non licuisset, & ubi nec lex nec pactum remunerationem addicunt, quæ tamen confertur è puro remunerantis favore; ita impropriè merentur, qui præclara erga Patriam Opera præstant, item qui munus demandatum benè administrant: utrumque enim est debitum, vid. de hisce Canzius *usf. phil. Leibn. to.* 1. C. 10. §. 3--6.

Sch. 3. Nullum ideò meritum propriè tale cùm locum habere posset, etsi vel perfecta præstaretur sanctitas, vid. & (§. 737.), quantò minùs cùm sanctitas hominis sit imperfecta (§. 1183.), & operetur nonnisi viribus à Deo concessis (§. 1170.)? ut nequidem, quod modò (sch. 2.) meritum impropriè tale diximus, locum habeat, nec nisi remuneratio è puro Dei favore juxta Ipsius promissionem, quô nexum voluit statuere inter bonorum operum studium ac salutem; tale meritum si Pontificii intelligerent [quod verò nomen neutiquàm meretur] haud ægrè Protestantes concederent. Justificatio gratuita (§. 1137.) & meritum

tum Christi (§. 958.) abrogant meritum proprium: cùm Christus ideò meritus sit, quià propriò caremus, imò adhuc demeritò laboramus (§. 784. 820. 952.), quod méritum cùm præstiterit è puro gratioso affectu erga nos (§. 970.), & ex eodem affectu imputatio illius nobis fiat (§. 1090. 1137.), ideò inutiliter objiceretur, cùm Christus meritus sit, haberi, ac si ipsi essemus meriti, hinc meritum non prorsus abesse: siquidem & imputationem meriti ab alio venientis accipere nunquam audit mereri, & meritum involvit, ut fiat ab eo ipso, qui id sibi vendicat, vel meritus esse dici vult, ut satis intelligitur è defin. (§. 734.); unde nec inde meritum stabiliri potest, etsi dicatur, quod BOSSUETUS *doctr. Cathol. expos. Cap.* 7. §. 54. ad mentem Concilii Tridentini AUGUSTINI vocem adoptantis, *Deum, cùm suorum coronat merita, nihil coronare quàm sua Ipsius dona*, aut operum bonorum meritum exurgere à gratia sanctificante, ibid. §. 51. gratia enim opera imperfecta relinquit (§. 1183. sch. 1. 2. ib.), hinc meritoria non facit, & ea nihilominus ut meritoria respicere repugnaret veracitati, Intellectui ac Sapientiæ Dei (§. 48. 245. 267.); ideò & locum habere nequit effugium, ubi regeritur, Deum non agere nobiscum summò jure, sed actiones nostras nostro subjicere arbitrio: siquidem eædem virtutes non admittunt, ut jus ac imperium Dei illimitatum (§. 576.), per institutum quoddam superveniens ullàtenus infringatur, vid. CANZIUS, ubi modò §. 7. 8. nec habet idem BOSSUETUS §. 53. quòd se tueatur antiquitate Christianâ: mereri enim apud Patres notat impetrare, vid. FORBESIUS *instruct. histor. --- Theol. Lib.* 8. *C.* 7 -- 9. ac terminis plurimis apud ipsos occurrentibus neutiquàm tribuendus est significatus ex usu hodierno, quo de DALLÆUS *de usu Patrum Lib.* 1. *Cap.* 5.

Sch. 4. Merces ideò, quæ bonis operibus promittitur Matth. 5: 46. 6: 1. impropriè talis, ob quandam analogiam ita dicitur, quia remuneratio sequitur bona Opera non aliter ac merces Opus meritorium, unde quòd l. cit. μισθὸς dicitur, χάρις appellatur Luc. 6: 32. Deus redditurus est cuique κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ Rom. 2: 6. *juxta*, non διὰ *propter* Opera sua, vid. & Apoc. 22: 12. præterquàm quòd particulæ γάρ, διὰ, de bonis operibus adhi-

adhibitæ Matth. 25:35. Apoc. 7:15. non sint causales sed ratiocinativæ, ut sæpe, vid. Matth. 16:2.3. Joh. 16:27. 1. Cor. 10:5. etiam verbum κατεργάζεσθαι 2. Cor. 4:17. non notat efficientiam propriè talem & meritum, verùm nonnisi iter & medium, uti Rom. 4:15. ubi quid sequitur per accidens, ita simpliciter dicit studium enixum Phil. 2:12. Promissio quoque facit rem debitam non è dignitate Operis verùm fidelitate promittentis, unde quid respondendum sit quoad illam justitiæ coronam 2. Tim. 4:8. patet, præterquàm quòd justitia etiam sit evangelica, à parte Dei autem justitia veracitatis, bonitatis ex promisso, coronæ item dentur donaticæ. Patet ex hisce, quòd necessitas sanctitatis & bonorum operum (§. 1171. & sch. §. 1174.) non sit *meriti* aut *causalitatis* propriè talis, sed *medii*, *constantiæ*, & *connexionis* seu *ordinis*, ut intelligitur è (§. 1131. 1174.); interim quòd hæc posterior necessitas æque forte sit vinculum ad sanctitatem, quàm esset prior, inidem perspicitur.

1187. Ubi malum, quod longâ consuetudine habitum formavit vitiosum, est vitandum, è contrà bonum ei oppositum sectandum, ibi imaginatio, appetitus sensitivus cum affectibus omnino renituntur (per princ. psychol. & mor. vid. *Met.* §. 502. *Mor.* §. 181. 182. 185. 383.), quibus sit Ratio collustrata iterum reluctatur, motiva bonum agendi desumendo à felicitate per bonorum operum exercitium impetranda, ab opere redemtionis, talis contrarietas facultatis cognoscitivæ & appetitivæ inferioris cum Ratione collustrata dicitur *lucta carnis & spiritûs*, adeòque *apud regenitos & in studio sanctitatis sæpissimè se prodit lucta carnis & spiritûs.* *Lucta carnis & spiritûs.*

Sch. 1. Nempe Scriptura per carnem exprimit, quod Philosophi per appetitum sensitivum ac affectus bono reluctantes, ut è prædicatis facilè perspicitur; unde homo carnalis & quoque vita carnalis (sch. §. 780.), oppositè ad vitam spiritualem (§. 1054.), [quarum illa

illa non differt à servo arbitrio] (sch. §. 780. §. 825. 826.), & sibi opponuntur, κατὰ σάρκα εἶναι & κατὰ πνεῦμα, τὰ τῆς σαρκὸς φρονεῖν & τὰ τῷ πνεύματος &c. Rom. 8: 5. Perspicitur etiam facilè, quid sit *Ratio colluſtrata*, nempe Intellectus assensu firmô, vel convictione supernaturali (§. 1088.) hinc salutari (§. 1093.) veritates scitu necessarias (§. 1079.) amplectens, adeòque mens illuminata (§. 1035.).

Sch. 2. Discrimen facilè perspicitur inter luctam hancce & illam Rationis ac appetitûs sensitivi, de qua (*Mor.* §. 185.): nimirùm hæc non alia adhibet motiva malo resistendi, nisi quæ desumta à convenientia actionum cum natura humana (*Mor.* §. 28.), seu quâtenus per eas perfectio statûs nostri aut promovetur aut impeditur (ib.), item aliquando & desumta à perfectionibus Divinis per Rationem cognitis (ib. §. 656. 671. 674.), sub quo etiam comprehenditur motivum desumtum à malis, quæ Deus nonnunquam immittit, unde metus servilis (ib. §. 705. seq.), ut adeò inferiores duas præ oculis habeat obligationes (§. 1164.); verùm in lucta carnis & Spiritûs etsi Ratio colluſtrata hæcce non posthabeat motiva (§. 1163.), tamen potiora adhuc addit desumta ab opere redemtionis & inde resultante gratitudine (§. 1157. & sch. §. 1161.); etiam falsam bonorum apparentium speciem multò melius detegit ope Verbi Divini, quàm Ratio per mutationem statûs in pejus: cùm ad hanc majori discussione & acumine opùs sit, ùt monet Philosophus *hor. subsec.* Ann. 1730. p. 204--207. interim ubi lucta Rationis contra appetitum, ibi spes est, fore, ut & ad luctam carnis ac spiritûs homo perducatur, seu ad statum regenerationis: cùm natura emendata se tum ostendat (§. 1046. 1047. & sch. 1. 2. ib.), ut lucta Rationis ad illam spiritûs sit pædagogica mediantibus aliis actibus (sch. 1. §. 1049.). Ad luctam illam Rationis cum appetitu ac affectibus spectant &, quæ (sch. 2. §. 823.); etiam de ea EUSEBIUS *præp. Evang. Lib.* 12. *C.* 27. è PLATONE *de legibus*, ubi *de pugna, qua cum noſtris cupiditatibus* sit *gerenda*, πολέμω πρὸς τὰ ἐν ἡμῖν πάθη.

Sch. 3. Per luctam hanc vita spiritualis variè admodum limitatur ac restringitur; graphicè illa describitur Rom. 7: 8. seq. ubi Orthodoxi maximam partem PAU-

LUM

lum de se aut aliâs de regenito loqui statuunt, argumenta apponere brevitatis studiô omittimus, vid. ea apud Turretinum *Theol. Elencht. Loc.* 17. *Quæst.* 2. §. 13. 14. verùm si vel maximè poneretur, sermonem ibi esse de homine irregenito, inde tamen lucta carnis & spiritûs in regenitis, ejusque frequentia ac vehementia nullâtenus infringeretur: siquidem non solùm alibi de ea Scriptura, ex. gr. Gal. 5: 17. verùm & vel nimis deprehenditur experientiâ propriâ (sch. 1. §. 1036.); Scriptura ideò & fortitudinem in pugna uti in adversitatibus ita contrà peccata proponit terminis ab agnostica Veterum desumtis, [ob quandam analogiam] adeòque metaphoricè (sch. 3. §. 172.), ex. gr. 1. Cor. 7: 37. 9: 25. 15: 58. Phil. 4: 1. 2. Tim. 2: 5. 4: 6. 7. Heb. 12: 1. in quæ loca vid. Lydius *agoniſt. S. Cap.* 2. 6. 27. 28. & qui eum belgicè transtulit, Philologicè item ac Theologicè illustravit Ad. *van* Halen.

1188. *Difficilior autem redditur lucta illa per tentationes:* cùm enim hæ sint suggestiones motivorum ad peccandum (§. 770.), & motiva hæcce non possint esse nisi bona apparentia (*Mor.* §. 378.), hinc quæ sensibus & imaginationi grata (ib. §. 180. 181.), inde omnino appetitus ac affectus vehementiores fiunt (*Met.* §. 437. 441.), ut Rationi colluctratæ tantò magis sint vires impendendæ, conf. (*Mor.* §. 186--188.), consequenter lucta illa difficilior fiat. *Quomodo difficilior fiat.*

Tentationes vulgò à triplici venire dicuntur principio, scil diabolo, Mundo & propria carne; quòd diabolus tales objiciat, Scriptura satis docet loc. cit. (sch. 1. §. 563.), vid. & (§. 769. ac sch. 1. §. 770. ac sch. 1.) unde emphaticè appellatur ὁ πειράζων Matth. 4: 3. & ipsi adscribitur μεθοδεία Eph. 6: 11. quod notat artem deceptricem, machinationes ad alios circumveniendos comparatas, vid. Wolfius *cur. Philolog. to.* 4. p. 100. 149. 150. quod Scripturæ & Theologis dicitur *Mundus*, non sunt nisi alii homines, quibuscum vivitur, quiⁱ sectantur bona apparentia, & quorum exempla

exempla oculis obversantur, Prov. 1: 10. seq. Joh. 15: 19. 1. Joh. 2: 15. 16. à carnè veniunt tentationes, dum oblatas libenter acceptat, Jac. 1: 14. Quòd si autem tentatio sumatur pro tali, quæ ab extra venit [ùt notio ejus ferè secum fert: siquidem motiva suggerens est extra eum, cui suggeruntur] tum caro non potest dici suppeditare tentationes; si verò quis & internos impulsus sub tentationibus comprehendere velit, tum rectè hæ à triplici illo principio venire dicuntur. Occasiones etiam inter tentationes referendæ, & quarum notio data (§. 638.): hæ quippe dum impetrationem boni facilem reddunt, ut hinc in iis facillimè committatur, quod aliâs commissum non fuisset, inde motivum agendi suppeditant, atque sic Rationi colluſtratæ multum negotii facessunt; possunt verò comprehendi sub Mundo; cæterum de tentationibus videri potest BUDDEUS *Theol. mor. P.* 1. *Cap.* 2. §. 21. seq.

Impedimenta sanctitatis

1189. *Tentationes ideò sunt impedimenta sanctitatis:* ubi enim lucta jam aliâs difficilis (§. 1187.) adhuc difficilior redditur (§. 1188.), ibi pars adversa eò faciliùs ac sæpiùs superior evadit, consequenter tunc fit, ut Ratio colluſtrata succumbat, hinc malum seu peccatum non evitetur, verùm committatur, è contrà bonum, quod aliâs fieret, omittatur, adeòque sanctitas per peccata admodum interrumpatur, cujus cùm ita tentationes rationem in se contineant, sunt impedimenta sanctitatis, per defin. impedimenti (*Mor.* §. 161.).

Sch. 1. Diabolus, Mundus & caro igitur impedimenta objiciunt hominibus sanctificatis, idque potissimum per occasiones (§. 1188.). Priores autem nil efficerent, [ùt facilè patet] nisi posterior adesset; inde generalissimum sanctitatis impedimentum est sensualitas, quâ bonum & malum juxta Sensus ac imaginationem dijudicatur (*Mor.* §. 119. 180.), cui quomodo occurrendum, jam è Philosophia morali constare debet (ib. §. 122. 186.), ut pertineat ad naturæ emendatæ primum

primum gradum (§. 1046.), adminicula adhibenda essent, temperantia, jejunium, afflictiones quædam corporis, cujusmodi Veteribus Philosophis commendata, vid. Buddeus *exerc. de ἀσκήσει Philosophica* §. 4-9. & Scriptura proponit v. g. 1. Cor. 9: 25. 2. Cor. 6: 4. locutionibus ad agonisticam Veterum alludentibus, vid. Lydius *agonist. S. Cap. 3-5.* & commentatores ad ipsum.

Sch. 2. Quomodo autem juxta generalem impedimentorum divisionem (*Mor. §. 162.*) specialia detegi possint, ac justô ordine sub iis disponi debeant, pluribus indicare instituti brevitas non admittit; commemoremus nonnisi, quòd dividantur tum in interna & externa, tum generalia & specialia, quæ utraque ad majorem aut minorem reduci possunt numerum, prout vel latiùs vel strictius sumuntur; porrò quòd de iis præ cæteris magno cum judicio exposuerit Vir Cl. pietate & zelô pro bono Ecclesiæ conspicuus J. F. Ostervald in tract. præstantissimo, ac omnibus, qui muneri ecclesiastico se dicant, commendando, *Sources de la corruption, qui régne aujourd'hui parmi les Chrêtiens*, [quem & encomiis singularibus ornat Cl. d'Outrein in *waare helligmak.* tum in præfat. tum p. 244. ac aliâs frequenter adducit] ubi propositum ipsi est agere non de primariis fontibus peccatorum, corruptione originali, philautia prava (§. 819. & sch. ib. sch. 3. §. 821.); verùm de iis, quæ eam fovent, ac variè extrinsecus prorumpere faciunt (sch. 2. §. 821.); particularia & interna [de quibus *to.* 1.] ipsi sunt, 1. ignorantia; 2. præjudicia; 3. sentiendi modi (*maximes*) adhiberi soliti ad corruptioni authoritatem conciliandam; 4. abusus Scripturæ S.; 5. pudor vitiosus (*mauvaise honte*); 6. procrastinatio conversionis; 7. ignavia & negligentia in rebus religionem ac salutem spectantibus; 8. occupationes temporales; 9. vitæ genus; generalia verò & externa [de quibus *to.* 2.] sunt 1. status præsens Ecclesiæ & Religionis; 2. defectus disciplinæ ecclesiasticæ; 3. quòd Ecclesiæ Pastores officio suo desint; 4. quòd item Magistratus ac Principes; 5. educatio; 6. exempla & consuetudo; 7. libri.

1190. Quia jam ad Sanctitatem *Sunt remo-*

venda. ac Opera bona sumus obligati (§. 1171. & sch. 1. §. 1174.) hinc tantam, quanta præstari potest: siquidem Deus omnibus actionibus est glorificandus (§. 51. 53. 1163.) & per resipiscentiam quotidianam semper, quod deficit, resarciri debet (§. 1184.), hæc autem non præstantur, si impedimenta non removeantur, *impedimenta sanctitatis omnino sunt removenda.*

Nisi enim impedimenta removeantur, corruptioni originali obex non ponitur: cùm hæc prorumpat mediantibus circumstantiis occasionibusque (sch. 2. §. 821.). Impedimenta illa, præcipuè generalia, quia parum removentur, faciunt, ut apud Christianos, quorum maximum decus ac ornamentum deberet esse sanctitas, Ps. 93: 5. 1. Thess. 4: 3. 1. Pet. 1: 15. non solùm hæc sed & virtus pedibus conculcetur, adeòque ne quidem infima præ oculis habeatur obligatio (§. 1163. 1164.), experientiâ tristi quotidianâ vel nimis eheu id testante! quomodo autem removeri possent ac deberent, quàm necessarium hoc sit, graviter & prolixè Vir Venerabilis J. F. Osterwald tract. modò laudatô.

E contrà media ad sanctitatem adhibenda.

1191. *Non sufficit autem impedimenta removere, verùm præterea media ad sanctitatem diligenter oportet adhibere:* non sufficit quippe malum simpliciter omittere, verùm præterea bonum oportet peragere: siquidem Deus nondum glorificatur, ubi malum saltem omittitur, per definit. glorification. (§. 673.), at si bonum peragendum, tunc media vel adminicula quoque adhibenda, quò possibilitas actionum sanctarum in actum transeat, cùm ad tales homo sit obligatus (§. 1171. 1174.), hinc tòt & tantæ perfectionis (§. 1179.), quantum fieri potest, in hoc jam quia semper ulteriùs pervenitur ope mediorum

rum, talia omnino adhibenda, tantò magis, quòd tunc faciliùs occurri possit renitentiæ carnis (§. 1187.); necessitas etiam usûs mediorum adstruitur per resipiscentiæ quotidianæ necessitatem (§. 1184.), quoniam per hanc semper emendandum, quod deficit (ib.).

Sch. 1. Media talia iterum uti & impedimenta sanctitatis ad plura vel pauciora reduci possunt; Cl. Lampius Gnaden-Bund *to.* 1. p. 550–576. ad novem ea reducit!, ut sint 1. preces ad Deum & Sp. S. ardentes pro conferendo majori sanctitatis gradu, Ps. 143: 10. adde & preces pro assistentia in tentationibus, quò facit illud ex Epicteti *enchir. paraphr.* No. 70. ἐπὶ – παντὶ πειρασμῷ ἐπαγομένῳ ἡμῖν πρόχειρον ἔχωμεν τὸ λέγειν. ἄγε ἡμας ὦ σῶτηρ σὺ, καὶ τὸ ἅγιον σε πνεῦμα, ὅπε σὺ καὶ ὅπος φίλον σοι. ὡς ἐψώμεθά γε ἄοκνοι. *in omni tentatione, in quam inducimur, in promptu sit hac oratio: duc nos Salvator & S. tuus Spiritus, quò & modò quòcunque libuerit, enimvero sequemur impigri;* 2. consideratio attenta Verbi Divini, utpote hominem aptum reddentis ad omne Opus bonum, 2. Tim. 3: 16. 17. [quo de speciatim d'Outrein tract. sæpiùs cit. p. 180–200. 3. appropinquatio & proximitas ad Deum, per meditationes de Ejus omnipræsentia, quæ quasi elevatio mentis ad Deum; 4. continua sui ipsius exploratio, 1. Cor. 11: 31. quæ esset cognitio sui ipsius; 5. pœnitentia ob peccata quotidiana, Thren. 3: 40. [qua de] (§. 1184. & sch. 1.): 6. quotidiana fœderis cum Deo renovatio; 7. repræsentatio perfectissimi sanctitatis exemplaris, Christi, Heb. 12: 2. 3. 8. traditio sui-ipsius Spiritui S. ad directionem; 9. conversatio cum hominibus S. Notamus adhuc, quòd sub consideratione attenta Verbi Divini (quo de No. 2.) ipsarum etiam veritatum Divinarum (prol. §. 3.) consideratio comprehendi debeat, saltem quòd veritatum harum cognitio ac consideratio mediis ad sanctificationem quoque annumerari possit: siquidem omnia dogmata Theologica impellunt ad praxin, ac eò tendunt ut homo sanctitati studeat, etiam ad id motiva efficacissima suppeditant [ut hinc, sicuti ἀληθεία est κατ' εὐσέβειαν Tit. 1: 1. ita possit deprædicari ὁσιότης τῆς

ἀληθείας] quod ostendi posset, ni aliter ferret institutum (prol. sch. 1. §. 39.), interim assumi potest: cùm & ab aliis ostensum fuerit.

Sch. 2. Inter media sanctitatis studium promoventia etiam referri posset consideratio exemplorum, seu hominum præ aliis sanctitate conspicuorum, quorum memoria scriptô conservari, vitæ eorum adeò scribi possent ac deberent, quò ab aliis legerentur ut essent historiæ regenitorum (sch. 2. §. 1036.): exempla namque in genere utilia sunt ad emendationem voluntatis (*Mor.* §. 167. 373.); infinita nempe potest esse circumstantiarum varietas, tentationum, impedimentorum, mediorum ad sanctificationem, progressuum in ea, ut varia inde possint suppeditari consilia, incitamenta ad sanctitatem in casibus specialibus. Pontificii hinc suas habent *vitas sanctorum*, quas plebejis legendas commendant; quod utile esset, si superstitio abfuisset ab ejusmodi Sanctis [dum tales homines in ἐθελοθρησκείᾳ &c. sanctitatem posuerunt] & si non fabulæ essent interspersæ plurimæ; biographiæ ideo recte se habentes haud exiguum ferrent fructum; perfectissima est Christi ab Evangelistis composita [qua de modo] (sch. 1. No. 7.), interim ea alias adhuc non tolleret, ad circumstantiarum varietatem (*Mor.* §. 154.) addiscendam.

Sch. 3. Media talia etiam quàm maximè essent ceremoniæ, item variæ ἀσκήσεις: ceremoniæ enim faciunt recordari ejus, quod peragendum, & ne propositum oblivioni tradatur (*Mor.* §. 177. 186.), præsertim essent antidota adversus peccatum, ac in lucta contra carnem (§. 1187. 1188.) spiritui adjumentum afferrent, si vividè repræsentarent sequelas peccatorum pernicioſas, item, quæ aliâs ab iis absterrere debent, omnipræsentiam Divinam, passiones Salvatoris, judicium ultimum &c. ἀσκήσεις autem [Veteribus Philosophis multùm memoratæ ac adhibitæ, & de quibus lectu digna exponit BUDDEUS *exercit. histor. -- moral. de ἀσκήσει philosophica, Analect. histor. philos.* p. 410. seq.] facerent ad habitum in bono acquirendum (*Met.* §. 525.), tam mentales quàm corporales, quæ posteriores præterea multùm conducere possunt ad fomitem peccati extinguendum; ut talium ἀσκήσεων studium tam quoad theoriam quàm pra-

praxin magno nostrorum temporum pudori negligatur! digna ideò esset materia tàm illa de ceremoniis, quàm ea de exercitationibus in virtute, quæ à Viris piis ac ingentô pollentibus excoleretur: cùm &, quæ voluntatis emendationem nonnisi per naturam promovent, tali studiô sint digna (*Mor.* §. 434.).

Sch. 4 Media illa sunt auxilia interna & externa, quæ adhiberi possunt ac debent ad profectus in sanctitate faciendos: ubi enim homo in vocatione efficaci gratiam Dei recepit, & ipse dein agere potest (sch. 1. §. 1024. sch. 1. §. 1170.); antequam etiam profectus ferant, impedimenta removere oportet [ut per se patet] unde de hisce removendis priùs fuit agendum (§. 1190.). Dum & media ea ad luctam spiritualem (§. 1187.) feliciter gerendam egregiè faciunt, ideò ob analogiam proponuntur sub emblemate (sch. 3. §. 172.) armaturæ spiritualis Eph. 6: 13. 18. qua de vid. Lampius Gnaden-Bund, *to.* 1. p. 496--506. & qui allusiones ex antiquitate erudite explicavit (§. 176. & sch. 1.) tract. peculiari Jac. Lydius in *Agonistica S.* locupletata à Lomejero & van Halen; licet Lydium in allusionibus detegendis ferè nimium fuisse quidam censeant, vid. Rambach *Hermeneut S.* p. 359.

Sanctitas non differt ab emendatione voluntatis.

1192. Ex iis, quæ usque huc dicta, patet *sanctificationem non differre ab emendatione voluntatis:* hæc namque in eo consistit, quòd homo pro motivo actionum suarum velit habere, quod optimum est (*Mor.* §. 372. coll. 373.), at illud optimum est, quod convenit cum Lege Dei ac perfectionibus Divinis (§. 60. 76. 78.), quod tendit ad supremum finem, respectu Dei, gloriam Ipsius (§. 271.), respectu hominis, felicitatem ejus (*Mor.* §. 40. 52. 660.), temporalem & æternam (§. 60. 98.); cùm jam sanctitas huc tendat (§. 1160.), & juxta hasce regulas actiones determinet (§. 1172.), patet, eam ferri in optimum, hinc per eam voluntatem emendari.

Sic igitur semper discrimen manet inter emendationem voluntatis Philosophicam & Theologicam: cùm vis differat (§. 1014.), ac præcipue motivum (§. 1161. 1162. & sch.); interea ubi emendatio voluntatis Philosophica præcesserit, faciliùs Theologica in homine se exeret: cùm gradum primum boni jam tunc conscenderit (§. 1164.), & natura emendata viam sternat ad gratiam (§. 1046-1048.); etiam qui actiones quasdam jam omittat ob turpitudinem earum, faciliùs è motivo Operis redemtionis eas omittet; ut malè regulæ hanc in rem à Philosophis præscriptæ spernantur à quibusdam sanctitatis propriæ opinione turgentibus.

Inde oriuntur virtutes morales.

1193. Ubi voluntas emendatur seu perfectior redditur, ibi exurgunt *virtutes morales*, quare cùm in sanctificatione voluntas emendetur (§. 1192.), etiam *virtutes morales per sanctificationem se produnt*, quæ sunt habitus actiones conformandi ad legem Dei & præscripta Christi è motivo perfectionum Divinarum in opere redemtionis exhibitarum, ad testandum gratum erga Liberatorem animum.

Vel & possunt dici fidei manifestationes, aut speciales sanctitatis determinationes; unde discrimen facilè perspicitur inter virtutes morales Philosophicas & Theologicas, vid. solùm (§. 1161. & sch. ib. §. 1162. & sch.), item huc inde dicta; etiam præstantia virtutis moralis Theologicæ præ philosophica se prodit: dum decisionibus Verbi Divini nititur, quòd aliquid sit pernicioſum & vitandum, aut utile & sectandum, nec opùs habet longâ discussione, hauriendâ è consideratione, num status noster inde perfectior aut imperfectior reddatur: siquidem imperfectio præsens potest facere ad perfectionem futuram, quo de (*Mor.* §. 720.); præterea felicitatem futuram non solùm in hac vita sed & post eam præ oculis habet (ib. §. 732.), ac firmò amplectitur assensu (§. 1083. 1091.); unde in lucta facultatum inferiorum contra superiores feliciùs pugnat Theologica (sch. 2. §. 287.), & contra irritamenta malorum ac seductores faciliùs se præservat.

1194.

1194. Virtutes morales præsupponunt intellectuales: siquidem voluntas sequitur Intellectum (*Met.* §. 878.), & emendatur per hujus emendationem (*Mor.* §. 373.), quare cùm virtutes morales invehantur *per sanctitatem* (§. 1193.), *etiam intellectuales invehantur oportet*; vel aliter, virtutes intellectuales exurgunt, ubi Intellectûs emendatio fit, jam hæc fit, ubi illuminatur, id autem fit in vocatione efficaci (§. 1035. 1036.), cùm jam sanctitas sit hujus continuatio (§. 1167.), in sanctitate virtutes illæ se prodant oportet. *Et intellectuales.*

Virtutes intellectuales sunt acumen, soliditas, scientia, ars inveniendi, experientia, sapientia, prudentia &c. vid. (*Mor.* P. II. C. 2.), & uti hæ virtutes sunt naturales seu philosophicæ, ita dicantur spirituales seu Theologicæ iis analogæ: hinc v. g.; ut nonnisi quasdam memoremus, *acumen spirituale*, quod esset habitus Intellectûs collustrati plura in veritatibus singularibus distinguendi, ùt & pulchritudinem objectorum, v. g. Christi beneficiorumque Ejus percipiendi, quo faceret τὸ reflectere ad ea (*Met.* §. 272.), ac impelleret gustus spiritualis, ubi mens afficitur consideratione spiritualium; porrò præcipuè huc pertineret *experientia spiritualis*, qua de quædam (sch. 1. §. 1036.), & cognitionem suppeditaret, quæ niteretur propriis perceptionibus, motibus internis, qui in vera fe produnt fide, concupiscentia carnis item contra spiritum, ac ipsô usu edoceretur de individuis viarum Dei evidentibus, ùt monet Canzius *us. to.* 1. C. 14. §. 28. *prudentia spiritualis*, quæ propositum bonum feliciter exequi sciret, occasiones hinc & circumstantias benè in usum suum convertere &c. unde, quòd cæteræ virtutes sine hac sæpe non valeant, adeòque præstantia ejus perspicitur, quam ideò [in naturalibus] rectè agnovit Epicurus apud Laertium p. m. 298. D. τούτων δὲ πάντων ἀρχὴ καὶ τὸ μέγιστον ἀγαθὸν φρόνησις, διὸ καὶ φιλοσοφίας τιμιώτερον ὑπάρχει φρόνησις — ὡς οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ φρονίμως —

horum omnium verò initium & maximum bonum est prudentia, quæ ideò & Philosophia præstat, ut non possit jucundè vivi sine prudentia; materia dignissima, quæ excolatur, ac, uti & reliquæ virtutes eæ, in formam artis redigatur. Monemus adhuc, quòd virtutes hæ intellectuales tam ùt media ad sanctificationem considerari possint, quàm ùt officia, in quibus exercitium sanctificationis consistit.

Unde conscientiæ emendatio.

1195. *E virtutibus intellectualibus non potest non sequi conscientiæ emendatio:* judicium enim, num actio bona aut mala, hinc facienda an verò omittenda sit, & in quo conscientia consistit (*Mor.* §. 73.), non amplius ita infirmum, dubium, minùs erroneum potest manere, ubi cognitio adest, amplificata per virtutes intellectuales, acumen, experientiam spiritual., nec conscientia consequens tædium seu morsus creabit ita sæpè, ubi sapientia & prudentia spiritualis fecerint, quod in se fuit, in bono, circumstantiis obvenientibus, peragendo, malo verò evitando (*Mor.* §. 85. 109. 251.).

Sch. 1. Conscientiæ emendatio etiam jam habetur in iis, quæ dicta (sch. 3. §. 1173.), quòd Opera bona debeant ex & cum cognitione peragi, interim hîc specialiter & de proposito ex virtutibus intellectualibus deduci poterat ac debebat.

Sch. 2. Perspicit autem quivis facilè, quòd si homo virtutes illas intellectuales ac morales cum conscientiæ emendatione (§. 1193. 1194. & præs.) acquisiverit per continuas exercitationes (sch. 3. §. 1191.), tum eum attingere perfectionem evangelicam, item quòd per corruptionem originalem semper limitentur, plus vel minùs, nec non quòd per eas vita spiritualis ac natura restituta (§. 1054. & sch. 2.) se actu exerat.

Quomodo officium quod-

1196. Ubi virtutes intellectuales locum habent, ibi officium quod-

quodlibet non potest non præstari *vis sit præstandum.* *cum Ratione & judicio;* ubi verò virtutes morales, ibi non possunt non peragi *voluntariè*: siquidem lumen Intellectûs voluntatem trahit; unde & fervor seu *zelus* oritur, quando Intellectus assensu firmô noscit præstantiam, necessitatem officii; ac ob eandem rationem *constantia*: dum conscientiæ erroneæ tunc remedium fit (*Mor.* §. 74. 96.); & dum homo considerat, quòd Opera bona à se præstita præstandave semper sint imperfecta (§. 1183.), Deusque nihilominus ea ob perfectam Christi obedientiam velit acceptare (§. 1182.), licèt Ipsi nullum inde ne vel minimum commodum (§. 322. 334.), præterea vires bonum agendi operationi Illius supernaturali debeantur (§. 1014. 1021.), *humilitas* se prodet, igitur *in sanctitate homo bonorum operum exercitio studere debet cum Ratione & judicio, voluntariè, cum zelo, constanter & humiliter, & ubi virtutes intellectuales ac morales, ita studebat.*

Sch. 1. Hæ quinque virtutes dicuntur etiam *cardinales*, ac judicantur, quòd debeant inesse cuivis officio præstando, vid. Lampius *to.* 1. p. 516-518. ut adeò sint ingredientiæ quasi actionum; patet autem, quòd prima [quæ aliàs & *rationabilitas* audit] cæteras progignat, & ubi vel desit lumen, vel sit perversum, erroneum, ibi & cæteræ virtutes aut non adsint, aut perversè se habeant, ut quoque monet Canzius *tuf. to.* 1. *C.* 14. §. 22. Sic si zelus fuerit in agendis iis, quæ omittenda, quantum non id malum! pariter & si constantia, unde demum ὅσα ὀρθῶς προτίθεσαι, τούτοις ὡς νόμοις ἐπίμενε, *quæ rectè & dictante Ratione tibi proposuisti, in iis ut legibus observandis constans esto.* Epict. *enchirid. paraphr.* No. 68.

Sch. 2. Ubi Ratio seponitur, ibi & Ratio colluſtrata

non ampliùs sibi rectè constat: hæc enim præsupponit illam, non destruit, verùm elevat, conf. (§. 108. 199. 1042. & sch. 2. §. 1082.); hinc, quibus sanctitatis studium exercere ac excolere curæ fuit, ubi ex virtutibus illis se non rectè habuit prima, quæ reliquarum fundamentum, ideò & hæ non rectò processêre tramite. Orta inde Theologia *Mysticorum*, quorum hi vel illi rationabilitatem magis aut minùs sepofuerunt, Princeps eorum DIONYSIUS, AREOPAGITA dictus, qui per sequentia dein secula sequaces haud pauços habuit, vid. vel solùm Reverend. MOSHEMIUS *hist. Christ. antiq.* p. 448. 693. 704-706. 802. 822. 823. 833. præiverunt hi modernis, qui à pietate dicuntur, *Pietistis*; inter moderatiores Mysticos est auctor libelli egregii *de imitatione Jesu*, qui sub nomine THOMÆ à KEMPIS notissimus est.

Totus homo sanctificatur

1197. Quandoquidem adeò in sanctitate Intellectus, voluntas cum conscientia perficiuntur (§. 1193--1195.), ac id dein & externè se ostendit (§. 1160. 1172.), patet, *quòd sanctitas totum pervadat hominem* 1. Cor. 6:20. 1. Thess. 5:23.

Vid. D'OUTREIN *heiligmak* p. 74-84. sanctificatur adeò homo internè & externè: internè quoad Intellectum ac voluntatem, quod debere præcedere sanctitatem externam rectissimè à Theologis monetur: motivum enim vel intentio mentis præcipuum est, ùt & intelligitur ex (§. 604. 1162.); interim id dein & externè se ostendere debet, tùm ut alii quoque eòdem perducantur, tum ut consensus eò major sit (*Mor.* §. 748.), præterea quia & corpus Deo debetur, 1. Cor. 6:20. nec aliter potest ob harmoniam corporis cum mente (*Met.* §. 535. 539.); unde exurgit harmonia corporis & animi in prosequenda virtute Christiana, quæ est progressus vitæ spiritualis (§. 1054.) per sanctitatem, ac etiam dici potest determinatio virium agendi animæ & corporis ad faciendum id, quod Deo & Servatori placet. Uti jam vitæ sunt Sensus ac sensationes, ita & omnino vitæ spirituali, conf. CANZIUS *us. to.* 1. C. 14. §. 20. 21. & quemadmodum per corruptionem originalem Sensus sunt depravati (§. 816. sch. 2. ib.), ita per vitam

vitam spiritualem iterum emendantur ac perficiuntur. Sic ergo homo ὁλοτελὴς sanctificatur, ejus spiritus, anima & corpus inculpatè servantur 1. Thess. 5:23. ubi quidem non necesse est statuere, Apostolum respexisse ad Platonicorum placita, tres hominis partes essentiales statuentium [quibuscum paria sentiebant Mosaicæ Philosophiæ sectatores, de quibus quædam Buddeus *Philos. Ebr.* p. 470.] minùs ad Cabbalistarum: quippe qui ipsius animæ triplicem statuebant partem [nec non & quinque animæ gradus, idem p. 429. 430.] cùm Paulus l. cit. nonnisi duas ponat; verùm per πνεῦμα benè intelligi possunt dona spiritualia, anima regenerata, ita ut sensus sit: omnia dona vestra spiritualia, quæ sunt partim anima vestra sanctificata, partim corpus vestrum nunc etiam sanctificatum, ἀμέμπτως τηρηθεῖεν; vid. ad eum loc. Cl. Wolfius *cur. philolog.* E dictis id etiam patet, quòd non solùm totus homo possit dici sanctificari, verùm & totum hominis: dum omnes ejus partes inflectuntur, ad sanctificationem testatam faciendam disponuntur.

1198. Patet inde, *sanctificationem esse mutationem in homine physicam, interim non essentialem:* est mutatio physica, quia in ea mens & corpus mutationes subeunt (§. 1197. & sch.), hinc in homine ipso quoad vires agendi ipsius seu naturam (*Met.* §. 628.) mutatio fit, & natura restituta tunc continuatur (§. 1048. coll. 1167.); neutiquam autem est mutatio essentialis, eò quòd per naturam restitutam seu vocationem efficacem nulla homini inducatur mutatio essentialis (§. 1043.), hinc nec per sanctificationem, quia illius continuatio (§. 1167.). *Qualis sit mutatio.*

Mutantur ita facultates inferiores cognoscitivæ & appetitivæ: de sensibus id jam monitum (sch. §. præc.); imaginatio inde itidem non ampliùs ita repræsentabit & reproducet objecta mala, à sensibus quippe ortum ducens (*Met.* §. 238.), & Rationi colluctratæ

(sch.

(sch. 1. §. 1187.) se conformans, quod idem de memoria dicendum; appetitus sensitivus ad concordiam redigitur cum Ratione colluſtrata: siquidem facultas appetitiva sequitur cognoscitivam (per princ. psychol.); affectus ideò eidem se conformant lumini, hinc aliter diriguntur (*Mor.* §. 431.), non autem eradicantur, quod volebant Stoici, ἀπάθειαν Sapienti suo vendicantes: affectus quippe utiles sunt ad bonum eò alacriùs peragendum, ut inde zelus ille oriatur, qui in Opera bona influere debet (§. 1196.): cùm Ratio alioqui sæpissimè segnis esset in lucta (§. 1187.) vel aliâs timida, ideò contrariis opùs sit affectibus ad impedimenta illa superanda (§. 1188--1190.), licèt affectus non priores impellere debeant, verùm Rationem nonnisi sequi ac eam adjuvare. Atque ita ubi facultates hominis per tales mutationes pulchritudinem induant, inde ad majorem adhuc perfectionis evangelicæ gradum (sch. 1. §. 1195.) proveheretur, προκόπτων, τέλειος nuncupandus, terminis apud Stoicos solennibus, quò v. gr. facit illud EPICTETI *enchir. Cap.* 75. p. m. 90. 91. νῦν οὖν ἄξιόν σεαυτὸν βιῶν ὡς τέλειον καὶ προκόπτοντα, *nunc igitur Viri perfecti & proficientis vitam vive.*

Sch. 2. Inde, quia sanctificatio est mutatio physica, iterum aliud [idque ultimum, quod nobis se offert] se ostendit discrimen inter illam & justificationem: hæc enim quia peragitur æstimatô morali (sch. §. 1124. & §. 1144.), ideo non est mutatio physica, quippe & extra hominem peragenda (sch. §. 1169.), veterùm moralis nonnisi.

Quale sanctificatio sit beneficium.

1199. *Sanctificatio est beneficium fœderis gratiæ, quod interim simùl vel maximè habet rationem officii ab homine præstandi:* vocario namque efficax est beneficium fœderis illius, hinc & sanctificatio (§. 1167.), unde simul probatur, quòd, cùm illa sit officium (§. 1050.), & hæc tale esse debeat, tantò magis, quia non solùm homo ad eam est obligatus (§. 1171.), & bona Opera sunt officia (§. 1175.), verùm

rùm & quia in ea homo quoque ipse per gratiam semel acceptam agere & se activum exhibere potest (§. 1160. sch. 1. §. 1170. & §. 1190. 1191.

Vid. Lampius Gnadenb. *to.* 1. p. 519. 520. ut beneficium hinc proponitur v. g. Es. 40: 29-31. Jer. 31: 33. 32: 40. Ez. 36: 27. ut officium verò v. g. Ps. 15: 1-4. Heb. 12: 14. 1. Pet. 1. 15. 16.

Quid requiratur quoad beneficia fœderis gratiæ.

1200. *Qui beneficiorum fœderis gratiæ particeps factus est, operam quoque dare debet, ut conscius sibi sit possessionis eorum, ac etiam ut spem concipiat, se ea non amissurum:* etenim ubi bonum quidem possidetur, interim non certò noscitur, quòd possideatur, verùm dubitatur, ibi felicitas tanta neutiquam est, quanta, cùm scitur, quòd possideatur: felicitas enim est voluptas gaudiumque durabile (*Mor.* §. 52.), id verò si durare debet, conscientiam non solùm quoad præsens sed & futurum secum habere oportet: namque ubi quis videt, quòd bonum facilè amittere possit in posterum, ibi & videt, quòd voluptas facilè finem habere possit, si verò hoc præconcipit, tum non potest non ob prævisam hancce facilè obventuram voluptatis felicitatisque privationem ipsa aliâs præsens minui voluptas: siquidem inde oritur metus, qui est affectus ingratus, tædium secum ferens (*Met.* §. 476.).

Mens tunc inter spem & metum agitatur, ac in talibus casibus semper locum habet formido oppositi, ideò & dubitatio, metus ac tristitia apud eos, quorum fides infirma (sch. 2. §. 1112.).

Id quomodo dicatur.

1201. Beneficiorum fœderis gratiæ participem esse dicitur aliâs & ver-

verſari in ſtatu gratiæ, ergò *operam dare debet homo*, *ut conſcius ſibi ſit*, *tum ſe verſari in ſtatu gratiæ*, *tum ſe in eo manſurum*, ſeu *ut obtineat tum conſcientiam tum conſtantiam beneficiorum fœderis gratiæ.*

Felicitas enim verè talis debet eſſe conſtans, hæc verò requirit bonum conſtans. Beneficiorum fœderis gratiæ poſſeſſio facit ſtatum gratiæ, quia hic eſt id, quod per officium Chriſti mediatorium impetratum fuit (ſch. §. 987.), jam hoc conſiſtere in beneficiis illis quilibet perſpiciet.

Porrò. 1202. Conſcientia beneficiorum fœderis gratiæ eorumque conſtantia aliàs dicitur *obſignatio*, ergo *obſignatio ut obtineatur*, *allaborandum* (§. 1200. 1201.).

Terminus obſignationis occurrit 2. Cor. 1: 22. Eph. 1: 13. 4: 30. Signabantur apud Veteres v. g. Deo cuidam devoti 3. Mach. 2: 29. victimæ, notabantur ſtigmatis ſervi, Apoc. 7: 3. 13: 16. vid. erudita DRESIGII *diſſ. de uſu ſtigmatum apud veteres*; ſic & merces emtæ, necdum abductæ, ſigillò notabantur. Beneficia jam Dei fidelibus ſunt ſigna, quibus agnoſcuntur ût redemti.

Ad quidam ſit reſpiciendum. 1203. Conſcientia de poſſeſſione beneficiorum fœderis gratiæ non aliter habetur, niſi quando ſtatus hominis, qui illorum particeps factus, diſtinguitur à ſtatu illius, qui nondum particeps ad τὸ conſcium eſſe namque requiritur cognitio diſtincta (*Met.* §. 732.), diſtinguuntur autem res, quando deprehenditur in una, quod in altera poni non poſſe perſpicitur (ib. §. 733.), adeòque per id, in quo differunt, quod non poſſunt eſſe niſi characteres, notæ & ſigna, igitur *ad characteres & ſigna reſpicere quis debet*, *ut ſciat*, *num verſetur in ſtatu gratiæ nec ne.*

Sch. 1. Id aliàs & dicitur *ſeipſum explorare quoad ſtatum ſuum ſpiritualem*, item *cognitio ſui ipſius.*

Sch.

Sch. 2. Uti & iis, qui morbos tum corporis tum voluntatis curant, seu Medicis & doctrinæ moralis Magistris solenne est ad signa respicere, hinc *semeiotica &c.*

1204. *Signum sanctitatis est ex amore erga Deum Christumque agere, quæ Ipsis placent:* namque sine amore Dei Christique sanctitas sibi non constat, cùm amor hicce sit gratitudo erga Eos (§. 1157.), consequenter & sanctitas (§. 1160.), ex præsentia ergo amoris hujus noscitur præsentia sanctitatis, consequenter ille est signum hujus (*Met.* §. 292.). *Sanctitas undenam dignoscatur.*

Sch. 1. Præsupponimus hîc, quæ facilè conceduntur, & propositionibus expressis brevitatis studiò probare omittimus, tum quòd beneficium fœderis gratiæ quodlibet sua habeat signa, quæ sint mutatio in homine internè & externè se exercens, adeòque beneficia illa agnosci possint è signis internis & externis; tum quòd ex unius beneficii fœderis gratiæ præsentia etiam de reliquorum constet præsentia, quia omnia cohærent: siquidem sanctitas est externa fidei demonstratio (§. 1092. coll. 1159. 1160.), è qua posteriori justificatio (§. 1129.), & tam fides quàm sanctitas continuatio conversionis (§. 1073. 1167.), unde per ultimum beneficium priora aguntur, à cujus signis incipimus, ùt & quia complura sunt, interna ac externa.

Sch. 2. Non sine ratione dicimus, *ex amore erga Deum Christumque*, nam homo aliquando potest agere, quæ Deus vult, hinc equidem Ipsi placent, interim non ex amore erga Ipsum, quia nonnisi ex virtute ab ipso sit.

1205. *Signum sanctitatis est studium officiis erga Deum, seipsum ac alios satagendi è gratitudine erga Deum ac Christum:* namque officia illa sunt actiones debitæ è sanctitate provenientes tum, ubi gratitudo erga Deum ac Christum ad ea præ- *Undenam porro dignoscatur.*

præstanda impellit (§. 1160. 1172. 1174.), ut, ubi tale studium, ibi & sanctitas, consequenter id sit hujus signum (*Met.* §. 292.).

Benè attendendum, quòd dicamus, *studium satagendi* officiis illis esse signum sanctitatis, siquidem ipsum rò satagere locum non habet (§. 1183.); adeòque male quis ex eo, quòd hic vel ille officiis omnibus non satagat, concluderet, sanctitatem mentem ejus non occupare; attendendum nempe, num officia illa eorumque regula deliberato violentur, cum intentione, nec ne: ad sanctitatem enim sufficit intentio generalis, quâvis occasione & pro viribus faciendi, quod debetur, & nunquam contra eundi præmeditatò.

Undenam ulterius. 1206. Cùm officia illa postulentur à Lege Dei (§. 1173.), & quoque sanctitas sine Legis Divinæ observatione sibi non constet (§. 1160.), *signum ejus est, si legem Divinam observare quis studeat è studio Deum per Christum glorificandi.*

Pertineret huc 1. Joh. 2: 3. 5. quare autem nonnisi ea Legis Divinæ observatio, quæ ex studio Deum per Christum glorificandi, pro sanctitatis signo assignetur, intelligitur è (sch. §. 1162.).

Aliud sanctitatis signum. 1207. *Signum sanctitatis est, ubi quis impedimenta ejus pro virili removere, è contrà media ad illam diligenter adhibere studet:* namque media adhibentur ob finem, & impedimenta removentur, ne fine frustremur, ergo tunc quis ostendit, quòd ad sanctitatem tendat semper ulteriorem, consequenter studium sanctitatis significat.

Intelligendum adeò id, quantum propositum generale (sch. §. 1205.) firmumque, vigilantia, perspicientia item major vel minor secum fert: sæpe namque perspicientiâ haud exiguâ opùs ad pervidendum, num per quid sanctitas promoveatur nec ne.

Certitudo de 1208. *Scire quis potest, num sanctitas*

tas mentem occupet nec ne: namque dantur signa sanctitatis certa (§. 1204-1207.), hæc verò num sibi insint, quis benè scire potest, utpote talia, quæ in propria mente geruntur. *sanctitate sua.*

Sch. 1. Scire enim omnino quis facilè potest, num officiis erga Deum &c. satagere, num legem Dei observare studeat, sic & reliqua, ut, nisi ignorantia & ignavia adsint, philautia & præjudicia non obstent; unde per se patet, quòd cognitio prorequiratur in rebus salutis, ea si præstò sit, tum in exploratione sui-ipsius signa illa constituunt majorem, applicatio verò eorundem, num sibi insint nec ne, minorem, unde conclusio, quòd igitur sanctitati studeat, vel non; licèt neutiquàm intelligatur, faciendum id esse, idque à quolibet, per syllogismos formales, verùm tantùm quòd status mentis, si distinctè explicandus, tales involvat, conf., licèt in alia materia, *(Met. §. 334.)*.

Sch. 2 Notandum etiam, quòd vel ex unico eorum signorum de sanctitate possit constare: siquidem [ut perspici potest] per unum reliqua determinantur, interim semper conducit ad reliqua simùl respicere, ut in re tanti momenti eò minùs quis fallatur, & ubi unum aut plura obscurè perspiciuntur, aliud aut reliqua clarè quin distinctè dignoscuntur.

1209. Sequitur inde, *quòd & scire quis possit, num fide gaudeat nec ne*, seu *quòd conscientia fidei propriæ sit possibilis:* sanctitas enim cùm sit studium Deum per Christum glorificandi (§. 1160.), è fide resultat (§. 1092.): siquidem est gratitudo ob beneficia Dei in Christo (§. 1157. 1160.), seu felicitatem, qualem impetrandi conatus constituit fidem (§. 1071.); præterea & signa fidei sunt sollicitudo de salute, timor justitiæ Divinæ: siquidem fidem non solùm præcedere debent (§. 1074-1076.), verùm &, ubi adsunt, fides sequitur, cùm conatus ille *Conscientia fidei sua.*

tùm non possit non exoriri (§. 1070.), adeòque indicant saltem, quòd fides sit adfutura, consequenter sunt ejus signa (*Met.* §. 292.).

Sch. 1. Sanctitas est signum fidei juxta illud Jac. 2: 18. siquidem est studium bonorum operum (§. 1172.), unde & fidei signa sunt omnia illa, quæ sanctitatis (§. 1204.-1207.). Non addimus pro fidei signo cognitionem cum convictione (§. 1078. 1085.): siquidem, num talis sit, demum ex actionibus, internis & externis, dignoscendum; nec etiam receptionem Christi solius & totius (§. 1106.): id enim jam dictis continetur; interim utile est in exploratione sui-ipsius, si hæc sub alia & alia forma instituatur, signaque complura advocentur: tunc enim tutiùs benè procedit.

Sch. 2. Ideò quia conscientia hæcce possibilis est, homo jubetur se explorare quoad fidem suam 2. Cor. 13: 5. Nec possibilitas ejus rei infirmatur ex eo, quòd multi seipsos decipiant: in syllogismo enim (sch. 1. §. 1208.) peccant vel quoad majorem, dum nesciunt, quænam sint fidei signa indubitata, vel quoad minorem, dum non sat candidè seipsos explorant, num signa illa sibi insint, nec ne; nempe deceptio sui-ipsius oritur, quòd in cognoscendis seipsis non procedant cognitione distinctâ [quæ, prout ad id requiritur, nec plebejis denegata] possibilitas tamen conscientiæ illius non magis refellitur quàm possibilitas supputationum arithmeticarum per falsos calculos, quos quidam subducunt. conf. & (*Mor.* §. 203.). Nec ex altera parte infirmatur inde, quòd sint, qui verâ gaudent fide, & tamen dubitent, quin negent: etenim hi, quòd in defectu peccent, oritur, quia itidem in alterutra præmissarum non recte procedunt; causæ autem, ob quas id fit, possunt esse præjudicia, v. g. quòd sanctitas debeat esse perfecta, quòd ex his aut illis actionibus separatim judicandum sit, porro dispositio naturalis ad dubitandum, tristitia & dispositio ad eam, afflictiones &c. unde & fit, ut se statumque suum non agnoscant, hinc quoad minorem non bene procedant.

Regenerationis. 1210. Sequitur porro, *hominem & scire posse, num regeneratus sit nec*

nec ne: namque cùm conscius esse possit fidei suæ ac sanctitatis (§. 1208-1209.), inde conscius omnino esse potest regenerationis suæ: fides enim & sanctitas absque præcedente regeneratione esse nequeunt, siquidem hujus sunt continuatio (§. 1073. 1167.); porro regeneratio varia secum fert signa, quæ non possunt non sentiri, pœnitentiam, tristitiam, dolorem ob peccata (§. 1059. 1061. & sch.), vitæ spiritualis initium (§. 1055.).

Inter signa vocationis efficacis, à qua non differt regeneratio (§. 1057.), pertinent &, quæ dicta (§. 1009. & sch. §. 1012. & sch. 3. §. 1046. 1047.).

1211. Indidem patet, *quòd & justificationis suæ homo sibi conscius esse possit:* cùm enim fidei, sanctificationis & regenerationis suæ conscientiam homo habere possit (§. 1208-1210.), & verò è fide sequatur justificatio (§. 1129.), sanctitas cum hac sit conjuncta (§. 1160. & sch. 1. §. 1171.), item nonnisi efficaciter vocati ac resipiscentes [consequenter regenerati] justificentur (§. 1131.), sanctitas, fides & regeneratio sunt signa justificationis, adeòque inde conscientia hujus. *Justificationis conscius nis,*

Sch. 1. Ideò & justificatio distinguitur in primam & secundam (§. 1146.). Hisce etiam jam continetur, quomodo Christus sit recipiendus, si conscientia justificationis verè locum habere debeat, vid. (§. 1103-1106.), nisi ergo pugnetur contra diabolum, Mundum & peccatum (sch. §. 1188.); remissionis peccatorum nulla spes.

Sch. 2. De conscientia justificationis eadem tenenda, quæ de conscientia fidei (sch. 2. §. 1209. Notandum porro, quòd, uti nimis bona existimatio de seipso minimè bonum ipsum conferre possit, ita nec ex adverso nimis tenuis vel dubitans existimatio bonô privare, nec nocere, nisi auferendo solatium,

huc pertinet exemplum de Testamento & hæreditate (sch. 2. §. 1113.). Rationes autem, ob quas Deus fidelibus sæpe non concedit lætam justificationis suæ persuasionem, variæ esse possunt, v. g. ut ipsos perducat ad humilitatem, aut in ea conservet, perducat ad experientiam spiritualem (sch. §. 1194.), quæ in cognitione salutari plus efficit quàm tòt lectio librorum, à PAULO ideò commendata Rom. 5: 4. ubi enim tribulantur, sentiunt pretiositatem boni illius, virtutes eorum elevantur, preces accenduntur, prudentiùs & cautiùs se gerere discunt, quæ eadem valent aliquando, ubi alios conscientiâ illâ carere vident, hæcce autem enarrare esset historiæ regenitorum (sch. 2. §. 1036.).

Salutis. 1212. Quòd si conscientia datur justificationis (§. 1211.), *datur & conscientia salutis:* siquidem justificatio addicit jus ad vitam æternam (§. 1119.), ubi verò jus, ibi certitudo rem ipsam impetrandi: siquidem jus, quod dicit facultatem moralem agendi (§. 576.), quia rationibus nititur (ib.), etiam certitudinem secum fert, ubi enim est ratio, ibi & ponitur id, cujus est ratio (§. 4. 5. & sch. 1.).

Sch. 1. Uti à priori sic à posteriori, seu exemplis probatur conscientia salutis, è Scriptura S., Abrahami Rom. 4: 21. Jacobi Gen. 49: 18. Davidis Ps. 23: 6. 62: 1. 2. Pauli Rom. 8: 38. gavisi persuasione non solùm conjecturali, sed certâ v. 28. 38. solatium secum ferente 4. 31. & dum illam deducit à conscientia interna, non autem quadam revelatione, inde frustra objicitur, quòd fideles illi gavisi sint privilegiò singulari per revelationem immediatam talia habendi.

Sch. 2. Pontificios hic à Protestantibus abire notum est, nempe dum à fide excludunt cognitionem (sch. 3. §. 1079.), nullum homini relinquunt medium conscientiæ salutis, hypothesi & authoritati Cleri favente. Nil autem efficiunt inde, quòd quidam justitiam sibi arrogare ausi non sint Job 9: 15. 28. 31: 14. Ps. 19: 13. 1. Cor. 4: 4. nam justitiam legalem (§. 1182.

&

& sch. 1.) nulli sibi arrogare possunt, nequidem ii, qui alioquin certitudine de gratia & salute gavisi, ac eam deprædicarunt, Job. 13: 15. 19: 25. Ps. 103: 1-3. 118: 17. Gal. 2: 20. 2. Tim. 1: 12. Particulæ dubitationem innuentes Dan. 4: 27. Joel 2: 14. Act. 8: 22. respiciunt pœnæ in hac vita relaxationem, quæ non semper credentibus fit, etsi dematur pœna æterna, quæ verò non intelligitur; præterea rei difficultatem indicant, ac studium fidelium seriò annitentium, ut ad gratiam illam perveniant, conf. Ex. 32: 30. Prov. 24: 18. Eccl. 5: 5. Rom. 11: 21. nec non conditionem, sub qua bonum desideratum impetratur. Timor & tremor injunguntur 1. Cor. 2: 3. Phil. 2: 12. non quòd dubitandum sit, sed quòd sollicitudo sit adhibenda, præterea ut humilitas semper injungatur; Paulus ideò etsi certus de salute sua tamen sollicitudinem adhibebat maximam 1. Cor. 9: 27. Phil. 3: 13. 14. hinc & junguntur servire in tremore & exultare Ps. 2: 11.

1213. Conscientia de salute, quæ *Quotuplex.* habetur per seriam sui-ipsius explorationem quoad sanctitatem & fidem (§. 1204-1207.), facit certitudinem salutis *mediatam*; ubi dein à Sp. S. confirmatur Rom. 8: 16. uti veritates salutares ab Ipso confirmantur (§. 130. 1088.), exurgit *immediata*.

Sch. 1. Certitudo mediata ideo semper prior adesse debet, nisi posterior illustio esse debeat, uti & verbum externum præcedit internam Sp. S. operationem (§. 1009. & sch. §. 1021. & sch. 2.). Ad certitudinem immediatam referunt Theologi præguſtationem vitæ futuræ, sub nomine primitiarum Spiritûs designatam Rom. 8: 23. porro vivam comprehensionem præcellentiæ beneficiorumque Dei [quæ pertinerent ad illuminationem (sch. 1. §. 1036.), & posterior parum differret à gustu spirituali] (sch. §. 1194.), item magnam amoris erga Deum mensuram, quæ Deus quibusdam circumstantiis impertiat, vid. Lampius *to.* 1. p. 611-619.

Sch. 2. Quòd jam conscientia salutis voluptatem non solùm ac spem sed & gaudium fiduciamque animo fide-

fidelis ingeneret, facilè perspicitur; pertinent hùc, quæ de gaudio in fide dicta (§. 1107. §. 1115. & sch. 2.), de confidentia & spe impetrationis (§. 1114. & sch. Gaudium id spirituale rectè dicitur pretiosissimum piorum κειμήλιον, fastigium felicitatis, quam in terris consequuntur; inde gloriatio in afflictionibus &c. (§. 1150.); pauciores ideo eò pertingunt, & etsi gaudiò illô perfundantur, tamen id non continuò durat, (sch. §. 1109. sch. 2. §. 1112.). Gaudium id David iterum anxius anhelabat Ps. 51: 10. 14. de eo & Ps. 32: 11. 97: 11. 1. Pet. 1: 8. de spe viva 1. Pet. 1: 3.

Perseverantia sanctorum quid.

1214. Constantia beneficiorum fœderis gratiæ, quæ etiam requiritur (§. 1201.), aliô nomine dicitur *perseverantia Sanctorum.*

Intelligitur nempe constantia ad vitæ finem usque, unde, quomodo à fide sanctitateque diversa concipiatur, patet. Etiam per se patet, constantiam hancce respicere omnia beneficia, quoniam cohærent (sch. 1. §. 1204.), ut in omnibus perseveretur, in conversione nempe per sanctitatem (§. 1167.).

Ejus ratio.

1215. *Ratio perseverantiæ sanctorum est in Testamento Dei:* oportet namque ratio ejus sit aut in homine, aut in Deo, aut in beneficiis; in homine esse nequit, quià, cum beneficia illa primò sibi non dederit (§. 1020.), inde nec, quòd ea ad vitæ finem usque certò continuare possit, dici potest, tantò minùs, quià semper adhuc infirmus (§. 1183.), ac adortus patitur ab intra & extra (§. 1188.); unde nec in beneficiis ipsis potest ratio esse sita, eò minùs, quia pertinent nonnisi ad perfectionem hominis accidentalem (§. 1043. 1198.), ergò ratio est in Deo; cùm jam fons ac origo eorum, quæ Deus agit, sit decretum Ipsius (§. 410. 412.), & decretum hoc, prout circa salu-

salutem hominis versatur, sit Testamentum gratiæ (§. 427. 458.), è quo & beneficia illa proveniunt (§. 437.), oportet juxta hoc Deus agat, ac adeò in hoc sit ratio perseverantiæ sanctorum.

Habitus in se sunt amissibiles [licèt habitus supernaturales difficiliùs reliquis per causas naturales extingui censeri possint] & è momento præcedendi sanctitatis reliqua non per se & certò sequuntur ob impedimenta illius (§. 1189. & sch. 2.); Reformati ideò unanimiter docent, hominem in se perseveraturum non esse. Electi propterea perseverant, Matth. 24: 24. Rom. 8: 28. 30. ac inde salutis certitudo *objectiva*.

1216. *Ratio perseverantiæ est Dei custodia* [quæ non est nisi cura Ipsius circa fideles seu providentia circa regnum gratiæ versans]: cùm enim ratio ejus sit in Testamento seu decreto Dei (§. 1215.), & vero decreti hujus executio fiat per providentiam (§. 484. coll. 565. 650.), oportet electi perseverent per providentiam hinc custodiam Dei. *Ulterior.*

Hæc etiam est Potentia Patris, Joh. 10: 29. ac voluntas, ut Filius faciat: 6: 39. inde patet, Deum esse, qui obsignat, 2. Cor. 1: 21. 22. De custodia illa & sumi possunt loca Ps. 37: 28. 97: 10. Custodia interim hæcce quòd non obstet, quòminus beneficia fœderis gratiæ suas patiantur mutationes, decrementa, eclipses, non opùs est pluribus ostenderet cùm præter rationes indicatas (sch. 1. 2. §. 1110. sch. 2. §. 1112. sch. 2. §. 211.) etiam una sit, quòd alioqui Deum adhuc alia oporteret impendere miracula, causas externas & internas, unde mutationes beneficiorum illorum, impediendo, nec non, quòd receptivitas hominis [supernaturaliter licèt effecta] non aliter ferat (§. 616. 617.).

1217. *Ratio perseverantiæ* porro *est interceſſio Filii*: nam ratio ejus *Alia illius ratio.*

est Testamentum Dei (§. 1215.), jam verò pro iis, qui Testamento hocce hæredes sunt designati, Filius intercedit; quià intercedit pro electis (§. 965.).

Huc pertinet Heb. 7: 25. item quòd dicatur orare, ne *fides cesset*, Luc. 22: 32. unde & ex hoc patet, intercessionem illam non obstare, quò minùs fides patiatur mutationes.

Adhuc alia. 1218. *Ratio perseverantiæ etiam est continua Spiritûs S. operatio:* dùm enim beneficia fœderis gratiæ à Spir. S. producuntur (§. 1021. 1073. & sch. 3. ib. §. 1170.), & verò ratio, cur continuent, non est nec in homine, nec in beneficiis, vid. (§. 1215.), verùm in Deo (ib.), oportet Sp. S. ea continuet adeòque continuò operetur.

Sch. 1. Concursui adeò Divino (§. 619. 1067.), qui quoad regnum gratiæ pertinet ad Spiritum S. (sch. §. 668.), perseverantia debetur. Dum etiam pii per fidem ad salutem custodiri dicuntur 1. Pet. 1: 5. & fidei Auctor est Sp. S. (sch. 3. §. 1073.), ideò Ipsius & obsignatio, Eph. 4: 30. Atque ita electus, etsi in se mutabilis ac labilis, tamen constans ac non labens, vel saltem refurgens redditur, dum de novo semper suffulcitur, manu tenetur, sustentatur per Sp. S. influxum continuum: apostasiæ nempe impossibilitatem Reformati tuentur non absolutam verùm hypotheticam, unde & perseverantiæ non aliam necessitatem, vi oppositorum.

Sch. 2. Fratres August. Confess. hîc abire notum est, interim discrepantia hæcce nil secum vehit, quod fundamentum nequidem indirecte tangat: cùm, etsi teneant, non omnes, qui semel in statu gratiæ versantur, in eo ad vitæ finem usque continuare, tamen per id nil mutent quoad beneficia fœderis gratiæ, & neutiquam ex eodem principio, quo Armin., apostasiam fidelium tueantur; etiam vel perseverantiam vel apostasiam hujus aut illius pro certa habeant vi præscientiæ Divinæ, præterea sententiâ suâ nonnisi socordiæ ac negligentiæ in spiritualibus præstruere.

re velint. Locus 2. Tim. 4: 10. non aliud sibi vult, nisi quòd Demas Thessalonicam sit profectus, atque Paulum reliquerit, equidem commodi temporalis causâ [quod innuitur per ἀγαπήσας τὸν νῦν αἰῶνα, uti & memoratur μέριμνα τοῦ αἰῶνος τούτου Matth. 13: 22.] sicut eôdem. vers. Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam dicuntur abiisse, non verò, quòd à fide defecerit, quemadmodum & exponit Rev. Wolfius *cur. Philolog.* ad eum loc. Locus autem Heb. 6: 6. commodè cum Lightfooto *hor. hebr. in* 1. *Cor.* 11: 29. sumitur de relabentibus atque apostatizantibus ab Evangelio ad Judaismum.

1219. *Obsignatio verum ac solidum* Fructus obsignationis. *gignit solatium*: namque *solatium* obtingit, ubi animus tristitiam ac metum dimittit, jam si conscius sibi sit homo, beneficiorum fœderis gratiæ se participem factum, tunc pœnas peccati sibi non amplius ùt obventuras considerat, ut timor (§. 1076.) cesset, tantò magis, ubi beneficia illa ùt constantia consideraverit.

Sch. 1. Imo non solùm tristitia ac timor dimittitur, verùm adhuc ad lætitiam ac spem animus perducitur, ut fideles promissiones Dei sibi lætabundi applicent, Es. 43: 2. 54: 10. Heb. 13: 5. [quò pertinet gaudium spirituale] (sch. §. 1213.) & solatium id in afflictionibus ore proferant, Ps. 94: 19. 2. Cor. 1: 3. 4. eò facit (§. 1150.); de solatio hocce & *Cateches. Heidelb. Quæst.* 1. Obsignatio ideo constituit summam hominis in hac vita felicitatem, ut rectè audiat *glorificatio hujus vitæ*, item *beatitudo hujus vitæ*, qua de Paulus Rom. 8: 24.

Sch. 2. Nempe per mediorum diligentem usum beneficia illa ùt constantia considerari possunt [siquidem media nunquam separanda à fine] ut per talem in mediis adhibendis diligentiam solatium illud obtineatur; unde Reform. doctrinâ de perseverantia neutiquam diligentiam & vigilantiam in spiritualibus ullô modô infringi volunt, clamant contra eorum scripta ac praxis; cùm etiam illam derivent è Testamento custodiaque Dei & continua Sp. S. operatione (§. 1215.

1216. 1218.), & verò per decretum providentiamque Dei usus mediorum semper quàm maximè requiratur (§. 420. 446. 664.), etiam Sp. S. sine mediis externis non operetur (§. 1009. 1019.), inde jugiter ingeminant illud *stantem oportet videre, ne cadat;* per prolapsum in peccata etiam gratiæ operationem pro tempore suffocari tenent, non autem semen, actum ejus, non potentiam, ac fidelem à lapsibus suis resurgere, Prov. 24: 16.

Quale obsignatio sit beneficium.

1220. *Obsignatio est beneficium fœderis gratiæ, quod interim & officii habet rationem:* venit namque è vera fide, sanctitate &c. quæ cùm sint beneficia fœderis gratiæ (§. 998. 1199.), etiam id, quod inde oritur, tale non potest non esse; perseverantia venit è Testamento & custodia Dei, intercessione Filii (§. 215-217.), at hæc omnia Deus & Christus agere voluerunt amore ducti (§. 460. & sch. §. 970.), quod facit beneficium (*Mor.* §. 834), & quidem fœderis gratiæ, quia per & ob Christum (§ 1000.); quòd autem obsignatio simul officii rationem habeat, inde patet, quia homo seipsum debet explorare (§. 1203. & sch.), ac mediis uti (§. 1191. & sch. 2. §. 1219.).

Sch. 1. Obsignatio est beneficium etiam ideò, quia conscientia salutis quoque efficitur à Sp. S. (§. 1213.).

Sch. 2. Equidem Cl. LAMPIUS Gnaden-Bund *to.* 2. p. 623. obsignationem dicit purum esse beneficium, quod non solum sit officium; verùm in reipsa non dissentit; siquidem ipse media adhibenda, impedimenta autem removenda dicit p. 628. 629. ubi verò talia incumbunt, ibi officium. Quòd si etiam obsignatio purum plane esset beneficium, ut circa illam homini nil agendum, faveret sophismati ignavo in spiritualibus contra (sch. 2. §. 1219.).

Numerus beneficiorum

1221. *Quinque ideò sunt fœderis gratiæ beneficia, nempe* 1. *vocatio*

tio efficax seu conversio (§. 1066.), *fœderis gratia.* 2. *fides* (§. 998.), 3. *justificatio* (§. 1152.), 4. *sanctificatio* (§. 1199.), 5. *obsignatio* (§. 1220.), *nec plura requiruntur, nec concipi possunt:* fœdus gratiæ enim eò nonnisi tendit, ut homo veræ felicitatis iterum particeps fiat, hanc enim & homo optat, & Deus conferre paratus est (§. 59. 309. 312.), ea autem tum liberationem à malo maximo (§. 837. 843.) tum felicitatem actualem maximam (§. 719.) involvit, invenitur autem in Liberatore (§. 937. 955.), per imputationem obedientiæ Ipsius, seu justificationem (§. 1125. 1126.), hæc autem locum non habet sine consensu in illam per fidem (§. 1128. 1129.), quæ producenda per vocationem efficacem (§. 1072.), ac externè ostendenda per sanctitatem (§. 1172. 1173.), in signum gratitudinis ob justificationem debitæ (§. 1157. 1160.), quibus nil accedere potest nisi conscientia ac constantia (§. 1201.), seu obsignatio (§. 1202.).

Sch. 1. Adoptio ac pax cum Deo non differunt à justificatione, vid. (§. 1145. 1148.); electionem autem æternam ac satisfactionem non annumeramus beneficiis fœderis gratiæ, quia sunt fundamentum hujus (§. 999. 1000.), adeoque fundamentum beneficiorum illorum.

Sch. 2. Conf. & de numero beneficiorum fœderis gratiæ (sch. 2. §. 1057.); idem & ostendi potest è natura fœderis gratiæ, quod constat promissis & postulatis, illa sunt justificatio (§. 992. coll. 1119.), hæc fides & sanctitas (§. 993.), producendæ in vocatione efficaci (§. 1072. 1167.); vel & dici potest, in fœdere gratiæ Deum quid postulare respectu præteriti, scil. respiscentiam (sch. 1. §. 993.), quæ faceret regenerationem (§. 1059.), porrò aliquid respectu præsentis, scil. fidem in Christum, & aliquid respectu

respectu futuri, scil. emendationem vitæ, quod faceret sanctitatem, quibus omnibus dein accedit conscientia & constantia. Idem &, quòd non plura possint esse beneficia, ostendi posset, si res consideretur sub σχέσει remotionis obstaculorum à peccatis contra felicitatem enascentium, [quomodo nempe tum præteritis tum futuris peccatis occurrendum, & quinam ad id in homine producendi conatus] item si negotium gratiæ consideretur sub forma vivificationis, nisi res per dicta satis clara reddita esset, & nisi semper brevitati studeremus.

Sch. 3. Ex hac beneficiorum fœderis gratiæ determinatione & perspicitur, quônam ordine juxta modum cognoscendi se sistant, scil. primò justificatio, dein fides &c. ut juxta ordinem intentionis de justificatione primò agendum fuisset, interim juxta ordinem, quô homo beneficiorum illorum particeps fit, hinc juxta ordinem executionis se sistant, uti (§. præs.) posita sunt, & juxta quem [methodô consuetâ] de iis tractavimus.

Per ea cujusnam fiat restitutio.

1222. *Per beneficia hæcce imago Dei magis magisque homini restituitur:* etenim imago hæcce consistebat in luce Intellectûs, sanctitate voluntatis, determinatione actionum liberarum ad gloriam Dei (§. 701. 702.), unde fluebat jus ad vitam cœlestem (§. 729. 739.), & propriam felicitatem dum homo intuebatur (§. 693.), ejus sibi erat conscius, jam illa magis magisque restituuntur per regenerationem, fidem, justificationem, sanctitatem & obsignationem, vid. (§. 1036. 1054. 1078. 1092. 1119. 1160. 1172. 1202. 1204. seq.).

Imago Divina restauratur adeò, unde homo dicitur *renovari*, ac sanctificatio per renovationem exprimitur Eph. 4: 23. Col. 3: 10. Tit. 3: 5. quia etiam sanctitas totum pervadit hominem (§. 1197.), inde audit καινὸς ἄνθρωπος Eph. 4: 24. & νέος Col. 3: 10. oppositè ad παλαιὸν Eph. 4: 22. & ib. Col. Discrimen remanet quoad imaginem Divinam in statu in-

innocentiæ & ejus restitutionem, quòd illa fuerit perfecta (§. 691.), hæc autem semper adhuc imperfectione laboret (§. 1183.), porrò quòd motivum Deum glorificandi paululum inflectatur, dum nempe nunc desumendum ab opere redemtionis (§. 1092. 1160.) &c. Dum imago Divina adeò restituitur paulatim per beneficia fœderis gratiæ, ideò ulteriùs patet, quòd status hicce rectè dicatur restitutus (sch. §. 987.).

1223. *Collatio & administratio beneficiorum illorum constituit regnum gratiæ:* namque vocatio efficax pertinet ad regnum gratiæ (§. 1015.), & quia ex illa fides ac sanctificatio (§. 1073. 1167.), è fide justificatio ob Filium Dei (§. 1129. 1134.), per sanctitatem obsignatio (§. 1203. 1204.), è Testamento gratiæ fluens (§. 1215.), omnia beneficia hæcce pertinent ad regnum gratiæ, & dum ita unum ex altero procedit, constituunt seriem eventuum, nec non dum idem beneficium continuatur, status sequens è priori sequitur, jam verò regnum gratiæ dicit talem seriem (§. 667.). *Quidnam conflituatur.*

Sch. 1. Pertinent omnia beneficia illa ad regnum gratiæ, quia nonnisi ob redemtionem Filii locum habent, ac operationes in anima concernunt, vid. (sch. §. 668.); & non sunt beneficia, nisi conferantur, unde collatio eorum regnum gratiæ constituere debet.

Sch. 2. In regno sicuti cura bonum publicum promovendi in una residet persona (*Pol.* §. 453. 455.), ita & in regno gratiæ: dum nonnisi per Deum illud cum bono privato conciliatur (sch. 1. §. 846.). Dum in regno hocce Deus gratiam suam ostendit quàm maximè & variè (§. 970. 1021. 1137.), Christus amorem ineffabilem (§. 970.), adeòque itidem gratiam (sch. §. 312.), in eo etiam homo cum Deo in gratiam reducitur (§. 937. 955. sch. §. 987. & sch. 3. §. 1092.), præterea gratiæ dona impetrat, dum totus sanctificatur (§. 1197.), patet, cur & quòd recte dicatur regnum *gratiæ*, quod supra (sch. §. 667.) nondum ostendi potuit.

1224.

Coroll. 1224. Unde patet, regnum gratiæ & fœdus gratiæ reipsâ non differre.

Sch. 1. Quod & perspicitur, quia fœdus gratiæ est executio Testamenti gratiæ (§. 996.), jam verò & regnum gratiæ, quia subest eidem Testamento (sch. 2. §. 669.), itidem hujus sit executio oportet; porrò quia in fœdere gratiæ fit applicatio operis redemtionis (§. 1003.), regnum gratiæ autem dum dicit collationem beneficiorum illorum (§. 1223.), pariter fert applicationem operis redemtionis. In regno illo bona piis applicantur, quantum regulæ generales permittunt, uti & in regno providentiæ universalis (sch. 3. §. 651.), unde præter dicta (sch. 2. §. 1211.) perspicitur, quare Deus sæpe fidelibus beneficia fœderis gratiæ non majori tribuat gradu, conf. (sch. §. 1216.).

Sch. 2. In eo nonnisi quis differentiam invenerit, quòd fœdus magis relationem ac ideam involvat, prout à Deo offertur in verbo suo. A regno gratiæ etiam ac fœdere, prout ab homine acceptatur (§. 1116.), non differre statum gratiæ (§. 987.), quilibet perspiciet. Quòd jam doctrina de regno ac fœdere gratiæ pertineat ad articulos puros (§. 188.), quivis facilè videt: siquidem res illæ supernaturaliter & cognoscuntur (§. 861. 1079.), & efficiuntur (§. 1015. 1035.).

Sch. 3. Id etiam, quòd Testamentum ac regnum gratiæ simùl sint fœdus gratiæ, inde venire, quia beneficia ejus simùl sunt officia (§. 1050. 1099.), hinc conditiones (§. 993.), nemo non perspicit: ubi namque fœdus locum habere debet, ibi requiritur conditio (§. 744-746.), quæ est officium, quia est lex ac postulatum respectu Dei (ib. §. 746. & §. 993.).

Regnum gratiæ manifestat perfectiones Divinas.

1225. *E regno hocce perfectiones Dei elucent ùt è regno naturæ* (§. 528. 671.): nam fundamentum regni hujus est Testamentum gratiæ & satisfactio Christi (§. 999. 1000), jam in Testamento hocce, quia provenit è gratia (§. 460.), Deus ostendit bonitatem (§. 312. & sch.), & quia est immutabile (§. 445.), constantiam (§. 301.); è satisfactione etiam, quàm maximè, virtutes Divinæ elucent (§. 970.);

(§. 970.); in beneficiis autem [quæ regnum id constituunt] (§. 1223), perfectiones suas Deus ostendit: in vocatione efficaci sapientiam, dum per verbum & circumstantias vim hominis aliter dirigit (§. 1008. 1022. 1064.), manente consensu regni gratiæ cum regno naturæ (§. 670.), potentiam, dum id miraculum (§. 1015. 1073. & sch.), bonitatem, dum sunt beneficia (§. 1066. 1152.); in justificatione omnes eas ostendit virtutes (§. 1154.); in sanctificatione sapientiam, dum hominem iterum aptum se glorificandi reddit instrumentum (§. 1160. 1170.), sanctitatem ac justitiam, dum aliàs eum ad sui communionem admittere non vult (§. 1171.); in obsignatione se prodit potentia ac bonitas Dei, dum fideles custodit (§. 1216.), Christi amor, dum pro iis intercedit (§. 1217.), Sp. S. bonitas ac potentia, dum continuò operatur (§. 1218.).

Sch. 1. Fidem nempe comprehendimus sub vocatione efficaci. E justificatione etiam adhuc aliter virtutes Dei, Christi ac Sp. S. quis deduxerit, conf. (§. 1142. seq. & sch. §. 1154.). Constantiam Deus & ostendit in missione Filii, dum promissiones adimplevit (§. 872. 875.), potentiam in conceptione ejus miraculosa (§. 878.).

Sch. 2. Regnum gratiæ Sapientiam Dei præcipuè exhibet, dum pulchrè per omnia, quæ in illo evenerunt, tendit ad imaginem Divinam homini magis magisque restituendam (§. 1222.), & unum alteri subordinatur, hinc veritates, quibus explicatur, talem inter se habent nexum, prout, qui eas tenet, perspicier, quod supra (§. 191.) præconceptum; de regno gratiæ ideo valet, quod de Mundo dictum (sch. §. 528.).

Finis Tomi secundi.

TENTAMEN

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

METHODO

SCIENTIFICA

PERTRACTATÆ.

TOMUS II.

1747.

Farbkarte #13
B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Inches Centimetres
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-837135-p0521-1